THESAVRVS LAVDVM SS. MAR DEIPARAE,

Super Canticum, SALVE REGINA.

FRATRIS ABRAAM BZOVII Ordinis Prædicatorum.

SALVE.

Viderunt eam Filiç Syon, & Beatissimam prædicauerunt, Reginæ, & Concubinæ, & laudauerunt eam. Cantic. 6. Cap.

CONCIO PRIMA.

In qua Sanctissimæ Virginis MARIAE *Cultus, a Nouatoribus abrogatus, defenditur, & prædicatur.*

SPLENDOR, vis, atque Maiestas virtutis ea est, vt apud omnes, omni tempore mortales, sibi sempiternos honores pepererit. Quum etenim homines, id quod excelsum, summa cum vtilitate cõiũctum est, suspiciant, & venerentur; virtute autem, nihil sublimius, nihilque diuinius excogitari potest; nihil mirum, si illam miris laudibus extulerunt, & summis honoribus prosecuti sunt: Nihil admirandum, si vir- Virtus honores sibi peperit.

tis vt clarissimè videmus tantopere grata est multitudini, adeo iucunda bonis, sic ab improbis suspicienda: Nihil est stupendum, si nihil est a virtute profectum, quod non omni studio ab omnibus amplectatur: si virtus admirandis encomijs a cunctis celebratur; si virtutis honores, nulla consequens ætas obruit. Tanta est siquidem vis in virtute, quod nec perditorum hominum iniurijs infringi, nec inuidiæ telis confici, neque inscitia multitudinis obscurari queat: tantum robur inuictum virtutis; vt semper cum scelere, & amentia congrediens, clarissimos reportet triumphos: talis splendor virtutis, ut lumen suum oculis omnium conspiciendum, & adorandum exhibeat. Cui nunc honestiores partes in consessibus homines tribuunt? assurgũt? loco cedunt? genua flectunt venienti? Cui celsiorem statum vltrò citroque conferunt, nisi virtute excultis, virtute ornatis? Cui, nisi virtute excultis, virtute ornatis, antiquitas illa historias conscripsit? erexit statuas aureas, lapideas, plumbeas, æter no æuo duraturas? Virtute præditos, antiqui virentibus baccis, floridis coronis, aureis diadematibus coronabant; virtute fulgentibus, triumphales arcus, piramides præaltas miro artificio erigebant: alijs altaria surgere faciebant; quibusdam incensa, & munera, certis temporibus offerri mandabant: nonnullis festa Olimpiaca, Cerealia, Augustalia, & eius generis alia instituebant, & maximo apparatu celebrabant: quorundam personas in Comedijs & Tragedijs repræsentabãt: alijs Ciuitates fundabãt: alijs, alios honores, sempiterna dignos memoria impendebant: vt gloriosa virtutis maiestas, temporis longitudine non senescat, atque emoriatur. Sed quid ego prophana commemoro? cum Paulus noster dicat: *Gloriam, & honorem esse omni homini operanti bonum, Iudæo primum, & Græco: non enim personarum acceptio est apud Deum.* Sit quicunque sit, ait, ille, siue Scytha barbarus, siue Paganus crudelis, siue Sacro fonte renatus Christianus: virtutem Christianam tantum complectatur: gloria, & honore coronabitur a Domino. Gloria .n. & honor omni operanti bonum. Hinc sapiens aiebat, memoriam iusti esse cum laudibus, a *memoria*, inquit, *Sancti in compositione odoris facta opus pigmentarij, in omni ore quasi mel indulcorabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini*. Hinc psaltes diuinus laudandum Deum in sanctis eius, admirandũ

in

Præmia virtutis.

Roma. 2.

Sãcti laudandi.

Eccl. 49.

a Psal.150. b Psal.67. c Eccl.44 in amicis ipsius prędicabat. *Laudate, ait, Dominũ in sanctis eius: Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Hinc sapiens monebat. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Nomina eorum viuant in generatione & generationem. Sapientiam ipsorũ narrent populi, laudẽ eorum nunciet Ecclesia. Homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes, in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in dieb. suis habentur in laudib. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrãdi laudes eorum.*

Apoc.21 Ose.2. d Cant.6 e Cant.4. f Cant.1. g Psal.44. h Cant.6 Quocirca nihil est mirandum, si etiam *filiæ Syon.* Syon illius Cęlestis nouæ descendentis de Cęlo: filiæ Syon desponsatæ diuino sponso in fide, in iustitia in iudicio, in misericordia & miserationibus, videntes oculo mentis a vnicam illam perfectam, vnam matri suæ, electam genitrici suæ, b totam pulchrã & sine macula, c totam formosam & pulcherrimam inter mulieres; videntes Reginam d quæ astitit a dextris Dei in vestitu deaurato circundata varietate virtutum: videntes Reginam mundi, Regum progeniem, sacerdotum decus, Patriarcharum gloriam: videntes Reginam Cœlorum, pulchram vt Lunã, electã ut Solẽ, consurgentem ut aurorã. uidẽtes Reginã Angelorum, Cœlitum Triumphum, Beatorum lætitiam, Sanctissimam Virginem .s. Mariam, tanto fulgore gratiarum & virtutum splendescere, vt in illa sola si vspiam Diuina reperiantur munera; in illa congesta, quæ alicubi disseminata; in qua refulgent quæ alicubi nitescunt: Quæ Reges suos parentes iustitia: sacerdotes sanctitate, Patriarchas fide; Angelos puritate; sydera claritate, Lunam constantia, Solem splendore vincit. Quæ, vt Nazianzenus docuit, nullis æquanda mater & virgo, supra omnes decora virgines, vincens omnes Cœlitum Ordines, Regina, Domina, Generis humani bonum. Quæ, vt Damascenus reliquit, res omnes creatas excellit, ac omnibus præest, vtpote rerum omnium Dominatrix censenda, postquã eius qui condidit omnia Mater effecta est: videntes, inquam, filiæ Syon, amicam sponsi, genitricem Dei, tanta & tali varietate virtutũ vt gemmis pretiosis corruscare; Beatissimam, prædicauerunt, miris eam laudibus prosecutæ sunt. Reginę quoque & concubinæ; illæ scilicet concubinæ quæ gentilitatis illegittimo thoro adiunctæ sunt, laudauerunt eam.

Rupert. in Cant. post alios patres his titu. ornat Mariam.

B.Mariæ. Encomia

de Christo patiẽte. Serm. de dormit deiparæ. & lib. 4. Orth. c. 15.

Luc.1. *Beatissimam prædicauerunt.* Ex quo enim (ita sibi pollice-

tur ipsa Virgo Maria) exultauit spiritus meus in Deo salutari suo:ex quo respexit humilitatē ancillæ suæ:ex quo fecit mihi magna,qui potens est:ex quo misericordiā suam effudit de progenie in progeniem se timentem:ex quo fecit potentiam in me, in brachio suo: ex quo recordatus misericordiæ suæ, suscepit per me, Israel puerum suum, Beatam me dicent omnes generationes. *Beatissimam prædicauerunt.* Quia postquam Gabriele Paranympho(ita de se confitetur Maria)nunciante, Spiritus Sanctus superuenit in me,& virtus Altissimi obūbrauit mihi:postquam me humili Ancilla annuente, factum est in vtero meo, illud Verbum caro in effabile:postquā in me & ex me, natum est sanctum appellatum Filius Dei, Beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

Beatissimam prædicauerunt, Angeli,de Cœlis ad terras delabentes,& felicissimum Dei cum hominibus connubium Euangelizātes. Tali eā honore dignatur Archangelus Gabriel. Aue, inquit, gratia plena, Dn̄us tecum, Benedicta tu inter mulieres.

Beatissimam prædicauerunt Prophetæ; vt enim audiuit salutationem Mariæ, Elizabeth:exultauit infans in vtero ipsius Domini præcursor: & quod voce promere non potuit,gestu corporis demonstrauit.

Beatissimā prædicauerunt Prophetissæ. Benedicta tu,ait Elizabeth non illa iam sterilis sed fæcunda,inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Beata quæ credidisti, quia perficiētur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. *Beatissimam prædicauerunt* Sanctæ mulieres. Extollens enim quædam mulier vocem de turba, ita in laudes Deiparæ prorupit, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

Reginæ quoque laudauerunt eam. cætus scilicet & Ecclesiæ iustorum. Vnde Sancta mater Ecclesia sic in virgineas laudes ipsius concinnit. Beata & venerabilis es virgo Maria,quæ sine tactu pudoris inuenta es mater saluatoris. Fælix namque es sacra virgo Maria & omni laude dignissima,quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster. Et quia satis deprædicare virtutes eius excelsas non potest,hinc suam infantilem linguā esse profitetur occinens. Sancta & immaculata virginitas,quibus te laudibus efferam nescio. in orat. de hipop. Dom.

Reginæ laudauerunt eam. Benedicta tu (nomine totius Ecclesię,

clesiæ, Methodius clarissimus Christi martyr, Olympi & postea Tyri episcopus ait) & celeberrima, & desideratissima. Benedictum sit tuum Dei genitrix nomen, Diuinis benedictionibus, & omnibus gratijs, omni ex parte refertum, Tu es fideliū fax. Tu incircumscripti, si ita quidem loqui fas est circumscriptio. Tu speciosissimi floris radix. Tu creatoris mater. Tu nutrix omnia nutriētis. Tu cuncta cōpræhendentis & cōtinētis cōprehensio. Tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa. Tu porta per quam in carnem ingresus est Deus. Benedictum sit tuum Dei genitrix nomen.

Reginæ laudauerunt eam. In ipsius enim memoriam, tot templa magnifica, sacella ornata a fidelibus ædificata, dicata, immensis sumptibus dotata. ne scilicet deessent in sacris ædibus qui B. Domini matrē perpetuo prædicarent. In ipsius laudem tot statuæ aureæ, argenteæ; tot imagines ex pario lapide, erectæ, siue in tabulis depictæ: Sanctissimę Virginis a Gabriele salutatæ: deinde matris suum infantulum parturientis, ac Iesum paruulum baiulantis: atque rursum ad crucem Dominicam summo cum dolore astantis, & mortuum filium de patibulo suscipientis ac sepulturæ tradentis: & demum cum beatis spiritibus in Cœlos progredientis; nunquam, non in veneratione habitæ; illisque altaria parietes, anguli domus, viæ publicæ subinde cohonestatæ sunt. In ipsius honorem, tot tantæque feriæ solennes institutæ, & singula reuolutione annorum solennius celebratæ, ac frequentissimo sacrorum vsu, maioreque ceremoniarum apparatu condecoratæ sunt. In ipsius laudem pueri, iuuenes, viri ac senes, virgines & mulieres, de sanctissima Virginis vita, morte, gloria, reuerēter sentire ac eloqui: eius nomen sacratissimum, inferis etiam tremendum, non sine capitis vel apertione vel inflectione, exaudire ac illud honorifice vsurpare consueuerunt. (Honores B. Virgini ab Ecclesia exhibiti.)

Et non solum Reginæ, sed & concubinæ, Synagogę Dęmonum, (verū ne lapsus sit in verbo) congregationes segregatorū ab Ecclesia, laudauerunt, Mariam. Quid enim Mahomet in Alchorano, de Virgine Maria reliquit? An non beatissimam professus est inquiens? Nullus nascitur de filijs Adam; quem non tangat Sathan, præter Mariam & eius filium. Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta vnquā ex mulieribus (in Alcho c.72. Azoara 5.)

nisi mater Iſę. Quid vero hæreticorum plerique de Maria ſenſerunt & prædicarunt? Anteſignanus eorum Lutherus dicebat. Eoipſo, ait, quod Maria mater Dei facta eſt, tam præclara & ingentia ei bona data ſunt, vt ſuperent captum cuiuſcunque. Hinc.n.oĩs honos ac beatitudo prouenit, vt in vniuerſo humano genere, vnica perſona ſuperior ſit cunctis, cui nemo ſit par; quod cum Cęleſti Patre Filium habeat communem. atq; huc, idem Lutherus Mariæ dictum applicat, Fecit mihi magnifica qui potens eſt. Talem enim ait, ac tantum honorem in hac matris nomenclatura contineri, nemo vt maiora de illa prædicare poſſit, etiam ſi tot linguas habeat, quot flores terra; ſtellas Cęlum, mare arenas ſuſtinet. Quid deinde Caluinus? Hodie, inquit, celebrari nequit allata nobis per Chriſtum benedictio, quin ſimul occurrat, quam honorifice Mariã ornauerit Deus, qui vnigeniti filij ſui, matrem eſſe voluit. Fælix Maria, quæ Dei promiſſionem amplexa, ſibi totique mundo ſalutem concepit ac peperit. An vero mutus eſt Bucerus in virginæ laudanda? Quam piè teſtatur, quam egregie Catholicum ſimulat hac oratione? Pius animus, inquit, de Maria vaſe tam ſancto atque electo, vt Chriſtum nobis pareret, non niſi ſanctiſſima cogitabit. Confirmat Bullingerus, Mariam plurimis, maximiſque chariſmatibus a Deo eſſe donatam, atque adeo omnium gratiſſimam & chariſſimam Deo, mulieribusque prælatam omnibus, membrum Eccleſiæ excellentiſſimum: ab ipſis etiã Angelis omnibusq. generationibus benedictam vereque prædicatam; cuius memoria per Eccleſiam inter fideles iugis & celeberrima eſſe debeat; eaque demum in communem vulgarium mulierum ſortem iniquisſimè rapiatur. Et ratiocinatur, nec perperam, hunc in modum. Si Maria benedicta eſt inter omnes mulieres, & beata ab omnibus prædicanda nationibus; infęlices certe ſunt Iudæi, qui ipſam conuitijs nunquam inceſſere deſinunt; infęlices ſunt Pſeudochriſtiani, qui Iudæis nihilo meliores, ſua laude ipſam ſpoliant. Neque contemnenda eſt ſententia Bugenhagij Pomerani. qui veritate coactus dixit. Fatemur vel inuiti per omnes generationes, beatitudinẽ huius mulieris, de qua dixit Deus. Semen mulieris conteret caput ſerpentis; quemadmodum Maria cecinit. Ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. Hæc laus Virginis

quod

Hæreticorum de B. Virgine & cultu eius ſententię pręclaræ.

in comment. ſuper Matth.

in harm. Euan. circa 1. cap. Luc.

in expoſit 1. cap. Matth.

in ſermõ de B. Maria Virg.

Ser. de laudā. Maria ī Deo in lucem dato post quā ecclesiā deseruit. dedicato uernacula & latina lingua Ioāni Vng. Canonico & in spirituali bus uicario Frisingensi.

quod est Mater Dei, quod concepit de Spiritu sancto, & gestauit in vtero, & peperit ex vtero Iesum Christum filium Dei vnicum Dominum nostrum. Superat hæc laus intellectum omnium hominum & Angelorum. Quæ autem illustriora epitheta, quæ maiores laudes, possunt cōferri in virginem, quā illæ quas reliquit Oecolāpadius? Recte, ait, admonet Propheta, vt in sanctis laudemus Deum, In quo autem plasmate tam laudandus Deus, vt in virgine Maria, quam hodie non solum in habitare ceu templum Sacratissimū, sed ex ea & in ea carne assumpta homo fieri dignatus est? Cęli enarrant gloriā Dei; ne inuideant; quem ipsi continere non poterant, virginis vtero clauditur. Obstupescant Angeli quod ipsis prǽteritis, Rex eorum ad virginem diuertit. Et quomodo non per Mariam laudabilis Deus, in qua se ostentat gratissimè si vspiam diuina reperiantur munera? Nam vt homini communicatæ creaturarum omnium dignitates: ita ista omnium humanarum eminentiarum particeps est. Quid mirum si Parabolicos nulli nō creaturæ comparetur. dicaturq; vt est. Cælum ornatissimum, Pulchra vt Luna, electa vt Sol, clarior syderib. fęcūdior terra, profundior abyssis, candidior lilijs, odoratior rosis, humilior violis; & rursus. Procera vt palma in cades, exaltata vt cypressus in Syon, exaltata vt platanus iuxta aqua; exaltata vt cedrus Libani. Et quis colligeret omnia, inquit. Quid item mirum, si figuris suis scriptura nobis eam delineet. quas pij non explodunt; licet doctiores sublimiora reconditioraq; ex eis hauriant mysteria. Recte & ipsa dicitur. Ardens rubus Moysis, virga Aaron, vellus Gedeonis, archa fœderis, turris Dauid. Thronus Salomonis, hortus conclusus, fons signatus, porta clausa, vestimentum Sūmi sacerdotis, atq; alijs modis. An & ad humanas laudes transeundum? Quid ergo mirum si dicatur, cum ita sit, quod fide vincat Abraam, patientia longanimitateq; Isaac & Iacob, castitate Ioseph, mititate Dauid, maiestate Salomoné, religione Iosiam; & vt semel dicam, omnes omnibus numeris vincat, excellatq; ita vt in vnoquoq; virtutū genere, ac si solum illud peculiare fuisset. Superuacuum foret, eam conferre Sarę, Rebechę, Racheli, Delboræ, Hester, & alijs Sāctis mulieribus, quæ & viros intantum anteiuit. Quin potius si cęlestes Angeliceq; virtutes nobis cognitæ essent, in eis liceret nobilius co-

gnoſcere quid illi cum vnaquaq; commune. Sed quæ ſupra omnes, quæ Regina eſt omnium, quam Deus præ omnibus honorauit, cui ſimilis non reperitur alia, quid non aſſecuta quod eminentiſſimam probet? Nunquam de me ait ille, vt in Domino confido audietur, quaſi auerſer eam. Erga quam minus bene affici (audite, audite, quanti fecerit iſte Deiparam Mariam) REPROBATAE MENTIS certum exiſtimem indicium. Et quomodo non amarem? Et quis eſt qui in eius non rapiatur amorem? Quam Deus ipſe amat, quam venerantur Angeli & Archãgeli, quę peperit Saluatorẽ mũdi, quæ Regina appellatur miſericordię, quę humani generis eſt aduocata. Eia hortor iterũ atq; iterũ, vt ſummis virib. per eã laudemus Deũ. Aliorũ recenſerẽ de virgine prę conia, ni vobis perſuaſum eſſet, illã ſplendore virtutum & meritorũ tantã ſibi gloriã peperiſſe, vt non a beatis ſpiritibus ſolum, non tantum a religioſiſſimis ſuis filijs, ſed a veritatis oſoribus quoq;, ab impijs deniq; & infidelibus, ſummis concelebretur laudibus. Fęlix es ter & quater fœlix ò ſanctiſſima virgo. Fœlix Maria quam nõ ſolum filiæ Syon, non modo Reginæ, ſed & concubinæ laudauerunt & beatiſſimam prędicauerunt. Fœlix, vt doctiſſimi Cardinalis Turrecrematæ verbis vtar, quam Angeli laudibus proſequuntur. Fœlix quam Apoſtolorum chorus honorat. Fœlix quam martyres candidati beatificant. Fœlix quam ſanctorum confeſſorum ſtolatus concelebrat numerus. Fœlix cui ſanctarum virginum cum ſuis palmis exultans occurit exercitus. Fęlix Maria cui non ſolum ex ore infantium & lactentium, ſed per iugulum etiam Aduerſariorum, Deus laudem perficit. Fœlix quam non tantum Eccleſiæ iuſtorum, ſed etiam congregationes hæreticorum honoribus proſequuntur, encomijs illuſtrant. Sed quid? Hæreticorum congregationes; ais (ſic aſpicio vos me velle alloqui) Beatiſſimam prædicarunt Mariam? laudibus celebrarunt virginem? An non ipſi contaminarunt honorem Mariæ? An non ipſi cultum abrogarunt Deiparæ? Meminiſtine illius quæ rimoniæ, quam aliquando ipſa ſanctiſſima Dei mater faciebat ſponſo. Dilecte mi, ad quem conuerſio mea, qui es meus mihi & ego tibi: intuere, quod a filij matris meæ pugnauerunt contra me, Et non tantum iſti b ſed & cuſtodes murorum qui circumeunt Ciuitatem inuenerunt me, percuſſerunt me:

Reprobatæ mentis indicium eſt erga Mariam male affici.

in lib. de contemplat.

a Cant. 1.
b cant. 5.

me: vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. Quomodo ergo beatissimam prædicauerunt? Quomodo Beatam illam dicunt omnes generationes? Nisi forte depilationem, vulnera tumentia, infandum bellum dixeris benedictionem, laudem & honorem? *Filij matris meæ*, olim progeniti Deo in fonte sacrato, olim coniuncti per sacrorum communionem, olim deuincti Deo per religiosam promissionem. *Pugnauerunt contra me* verbis mendatij, acuerunt linguas suas sicut serpentes, lingua eorum gladius acutus. *Custodes murorum* impij blasphemi, peruicaces, damnatæ fidei, emotæ mentis nõ homines sed hominum fæx. *Inuenerunt me, & tulerunt pallium meum*, pallium laudis, pallium honoris, quo a te dulcis sponse meus, a filiabus Syon, a virtutibus Cęlestibus, ab omni generatione & progenie fueram adornata. Tulit pallium honoris mei sacrilegus a Lutherus; dum meum cultum immodicè esse a cultorib. meis prædicatum asserit. Tulit palium honoris mei b Caluinus, qui eos qui me nomine Deæ dignati sunt, atrocem mihi & Deo iniuriam facere iudicat. Depilauit me Buccerus, c Summos meos cultores, summos & meos & Dei blasphematores ęstimãs. spoliauit me laude mea Oecolãpadius; cultũ meũ cultũ idolorũ esse ogganiens. Taceo d Ioannis Marbachij fędã procacitatem. e Coruini virulẽtam linguam. f Vigandus g Brentius g cæteriq. eius farinæ homines, Catholicos de primo præcepto ob Mariæ cultum violato, impudenter accusant, & Marię cultum ab Ecclesijs tot sæculis obseruatum, ad prohibitum Dei cultum, & enorme scelus idololatriæ transferunt; nosque itidem ob singularẽ Mariæ venerationem, idololatris aggregare, vt pote qui illam tanquam iræ Diuinæ reconciliatricẽ adoremus, neutiquam erubescunt. Melanchton vero atrox atq; maledicus conuiciator, h nos Colliridianis olim sub temporibus Epiphanij damnatis annumerare non veretur. Narat, (inquit Melãchton) Epiphanius, sua ætate mulieres in Syria statuã Mariæ circumtulisse, & ei liba & nescio quas res alias obtulisse. Quem morem inter hæreses recenset, oppræssum esse diligentia & authoritate Episcoporum, eo quod esset ethnici furoris imitatio. Nunc (subdit Melanchton) magna pietas ducitur colere Mariam, inuocare Mariam, donaria libenter cumulare. Quomodo igitur beatissimam prædicauerunt, quam summis conui-

Hæreticorum de cultu Marię iudicium per uersum.

a in postilla circa euang. nati. Mar.
b in 2. c. Ioan.
c in 12. c. Math.
d in lib de miraculi uirgin. cont. eisengr.
e lib. colloqu. de inuoc. Sã.
f in confutat. cathech. Austr.
g in catech. circa. 1. præpt.
h in respõsione ad clerũ Colonien.

conuitijs, prosciderunt. Quomodo laudauerunt cuius, cultores idololatris aggregauerunt? inter Ethnicos blasphemos conscripserunt? Quid hic primum mirabor? Filij Dei & sanctissimæ virginitatis Principis patientiam? An vero istorum inconstantiam? impudentiam? peruicatiam? Patientiã inquã Christi & Mariæ. Lectulum tuum dilecte sponse sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios ad bella doctissimi, vniuscuiusq; ensis super femur suum. Quid dico sexaginta? vno verbo dic ad Patrem. Pater mi, gloria matris meæ est gloria mea, gloriam meam alteri non dabo; videsne istos filios iniquos, semen Chamiticum, denudantes atq; deturpantes honestiora mea. vides istos rebelles, qui cristas suas inflectere nolunt nomini meo & virginis, quam ego præcæteris volui honorare: Exhibebit tibi modo plusquam duodecim legiones Angelorum. Collum tuum o sponsa sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Tu ipsa non modo suauis es & decora, sed & terribilis vt castrorum acies ordinata. Cur ergo vterq; arma non intorquetis, contra istos rebelles, maledicam in vestrum honorem vibrantes linguam? Cur honorem vestrum ab istis improbis, non vindicatis? Denudarant olim filij scelesti, verecundiora Patris sui, & sempiterna maledictione impietatem illorum puniuisti; ecce nunc spoliant, deturpant honestiora tua; te & matrem tuam infra idolorum numerum retrahunt; te & matrem tuam honore debito depilant. vt quid patienter sustines? Contra te o dulcis virgo, Draconis pestiferi ministri, venenatas exsibilant linguas, vt quid in desertum fugis? vt quid non te conuertis, & vel Michaeli non præcipis, vt ipse gladio flammanti illas serpentinas præscidat linguas? vel tu ipsa calcaneo tuo, quę calcaneo caput Dæmonis cõtriuisti, illorum improba capita non conculcas? non ad nihilum redigis? Vterq; appræhende arma & scutum; præcipite verbo fortibus vestris, gladios ancipites vibrent, ad faciendam vindictam in his peruersis nationibus, increpationes in his scelestis populis. Regum furorem & potentiam Copronimorum atq; Iulianorum, si qui sunt vestri atroces hostes, nolite pauere. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Faciant in eis iudicium conscriptum, Gloria n.

Marginal notes: Cant. 3. — Prou. 17. — Gen. 9. — Apoc. 12 — Psal. 149

hæc

hęc quam rapiunt, est tua propria, a matre tua quam honore pręuenisti non alienanda: gloria hæc est omnium sãctorum
Prou. 17. tuorum. Gloriam tuam & illorum alteri ne dederis. Gloria Matris est gloria tua, vt.n. corona senum filij filiorum; sic gloria filiorum, parentes eorum. Si igitur mater tua ignobilis & in honorabilis erit, si mater tua ignominijs quorumcunq; exposita erit, in tuam hoc iniuriam & ignominiam decidet. Tu pollicitus es seruis tuis. *Qui mihi ministrauerit, bonorificabit eum Pa-*
Ioan. 12. *ter meus*. Quapropter & Dauid dicebat. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*. non.n. maiores honores quis assequi potest quã honores a Deo: ecce mater tua tibi triginta & tribus annis ministrauit, omnia materna obsequia præstitit, super omnes tuos amicos maiori nexu amoris tibi deuincta est. hanc veneratur Deus Pater Cælestis, hanc adorant cælestes ciues. hanc honorant Ecclesiæ iustorum; vt quid dehonorare illam his infaustis filijs permittis? Mirabor etiam istorum inconstantiam, dum se more Protheorum in diuersas efformant formas; dum ex vno ore & calidum & frigidum efflant; dum virgineum cultũ & oppugnant, & propugnant. Nõ alios nunc cẽsores appello, pręter vos; vosmetipsos o Prothei, iudices esse nostros imploro & constituo. Quomodo gnato Luthere, (te obtestor,) nostri Monachi laudes Mariæ, imodicè deprædicarunt; si vt tu docuisti, omnem honorem ac beatitudinem tantam sibi vendicet Maria vt in vniuerso humano genere, vnica persona superior sit cunctis? si superant captum cuiusq; eius munera? si laudes eius nemo deprædicare potest, etiam si tot linguas habeat, quot flores terra, stellas cęlum, mare arenas sustinet? si non potest celebrari allata per Christum nobis benedictio quin simul occurrat, quam honorifice Mariam ornauerit Deus, vt tu Caluine voluisti; quomodo atrocem Deo & Mariæ iniuriam faciunt, qui illam diuinis encomijs celebrarunt? quomodo eò progressus est vęsanus furor, vt Christi nudati spolijs eam ornarint? Si pius animus de sanctissima virgine, non nisi sanctissima cogitare debet, vt obseruasti Bucere. quomodo summi Marię cultores, summi blasphematores sunt ipsius? Si Marię memoria per Ecclesiam inter fideles celeberrima esse debet. si in fælices censet Bullingerus, Iudęos, qui ipsam conuitijs incessere nunquam desinunt si infęlices sunt Pseudochristiani, qui sua laude ipsam spo

liant.

liant. si superat eius laus intellectum omnium hominum & Angelorum, vt cętera turba vestra prędicauit. Quomodo Catholici primi pręcepti violatores existunt? Quomodo cultores Marię, cultores idolorum sunt? Quo iure Colliridianis ab Ecclesia reprobis aggregamur? Si obstupescunt Angeli ad munera quę in Maria corruscant, si nihil non assecuta Maria, quod eminentissimam probet, si in nullo plasmate tam laudandus Deus vt in virgine Maria. si illam Deus pręomnibus honorauit. si venerantur Angeli & Archangeli. si summis uiribus nos ad hortamini, vt per eam laudemus Deum. si reprobatæ mentis certum indicium existimasti Oecolampadi erga virginem minus bene affici. quomodo cultus Mariæ cultus idolorum est? Nollebas Oecolampadi ex cultu Mariæ aliquid diminui, modo Diuino Cultui vero illi, quo colitur in spiritu & veritate decedat nihil: vero illi cultui Diuino, quo colitur in spiritu & veritate, decedat nihil; non enim illi cultum impendimus Latriæ: vt quid igitur idololatriæ insimulamur? Cultus Dei in spiritu & veritate, a Sanctis nomine Latriæ nuncupatus, est, vt secundum præceptum Dei *non habeamus alienos Deos, coram illo forti zelote, omnipotente Deo. Alienos autem dixit, non habeamus.* non quod non nominare debeamus alios Deos præter ipsum; sunt. n. alij siue in cœlo siue in terra qui a scriptura dicantur Dij; sed *non habeamus*, non s. alios ipsi æquemus, neuè quæ sibi peculiaria sunt, velut omnipotentia, sapientia, Bonitas æternitas, alijs quam illi soli, velut authori, tribuamus. *Alienos dixit* non habeamus, non autem intimos, amicitiæ vinculis cóiunctos Deo; non illos qui gratiæ communione vt [a] Dionisius ille magnus aiebat, Deificati sunt: non illos qui per prætiosa & maxima dona [b] vt Petrus docuit effecti sunt Diuinæ consortes naturæ, fugientęs eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem: non illos qui, vt idem Petrus ait, ministrantes in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem, in charitate autem imaginem Dei in animab. suis perfecte expræsserunt. *Alieno dixit*; [c] non illos qui Spiritus Sancti participatione Dij effecti sunt. *Alienos dixit* non illos qui ab ipso Dij appellati, Dij constituti sunt. Qualis erat Moyses ad quam

[Margin notes: in serm de laudaDeum in Maria. — Exod. 20. — Colere Deum in spiritu & veritate quid. — Primi pręcepti explicatio. — Alienos Deos q. d. — Dei nomē multis atribu tum. — a lib. eccl. Hie. c. 1. — b. 2. Pet. 1. — c. Basil. de S. Spiritu — d. Exod. 2.]

quem nomen Dei translatum a Deo ipso legimus. Ecce inquit constitui te Deum Pharaonis. Quales erant Principes, &
a Exod. 22. sunt omnes homines publica dignitate præcellentes, de quibus idem Deus præcipit, a Dijs non detrahes, & Principi populi
b Ps. 81. tui ne maledices. Quales erant de quibus Diuinus Spiritus b. Ego dixi Dij estis, & filij Excelsis omnes: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Quales sunt
c Psal. 8. de quibus Psaltes c Minuisti eum paulominus ab Angelis, legitur Hebraice Heloim. quod est Dijs. *Alienos dixit*: illos scilicet
d Gen. 31 e Iud. 18. quos colebat cæca. Gentilitas: quos d furata fuerat Rachel
f Deut. 32. patri suo: quos e plangebat Michas sacerdos, Deos inquit meos tulistis: f quos ignorabant sancti Patres Israelitarum. *Alienos dixit*: illos scilicet qui noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres Iudæorum: illos quibus in excelsis lucos plantarunt, aras extruxerunt, immolauerunt filios suos & fi-
g Hier. 44 lias suas Demonijs. *Alienos dixit* illos scilicet de quibus proterue testati sunt Iudæi g faciamus vota nostra quæ vouimus, vt sacrificemus Reginæ Cœli, Lunæ. s. & libemus ei libamina:
h Hier. 7. *Alienos dixit*, illos scilicet de quib. Deus conquerebatur h Filij colligunt ligna, & Patres succendunt ignẽ, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ Cœli, & libent Dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent. *Alienos dixit*, illos
i 2. Cor. 4 scilicet inter quos Apostolus Sathanam commemorat, Deus,
k Psal. 3. i ait huius sæculi excæcauit mentes infidelium. Quibus & carnem ascribit. k Quorum inquit, Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. *Alienos dixit*, nam & si sunt qui dicantur Dij siue in cęlo siue in terra; siquidẽ sunt Dij multi & Domini multi; nobis tamen vnus est, Deus pater ex quo omnia. & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum. scientes quod nihil est idolum in mundo, & nullus est Deus per essentiam nisi vnus, cui soli nos fidere, in quem sperare, quẽ
l 1. Cor. 8. denique super omnia amare oportet. Cultus Dei (vt ad priora regrediamur) in spiritu & veritate, nihil aliud requirit, præter Cultus Diuini partes & munera.
m Io. 14 fidem, spem & charitatem. Fidem exigit. l Creditis in Deum
n Deut 6 & in me credite. Spem. m spera in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Charitatem. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; vt scilicet quantum animo intellectu voluntate consequi possu-

possimus Deum diligamus; vt omnem affectum, ac omnes tam animi quam corporis vires, ad amandum, honorandum, colendum Deum; ad obtemperandum, obsequendum ac obediendum ei, conuertamus. Cultus Dei in spiritu & veritate requirit, vt nemini præter ipsum sacrificia libentur, hostiæ offerantur, vota nuncupentur, altaria construantur. Homo quilibet, ita Deus præcipit, de domo Israel; si occiderit bouem aut ouem siue capram in castris, siue extra castra & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Cultus Dei in spiritu & veritate requirit vt Deum nostrum timeamus, & illi soli seruiamus. Quo etiam scripturæ loco vsus est Saluator contra Sathanam tentatorem, dicens. Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies. Quare autem non apposuerit, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut. Illi soli seruies. Secunda Synodus Nicena declarauit. Adoratio, inquit, nihil est quam salutem dicere. & est vox multæ significationis. Adoratio enim est, cum venerationem, desiderium, & timorem significamus. Ita nos vestrum virtuosissimum & placidissimum Imperium adoramus. Est Adoratio quæ tantum timorem significat vt Iacob, adorauit Esau. Est quæ gratiam notat; quomodo Abraam pro agro quem accepit a filiis Heth in sepulchrum Sarę vxoris suæ, adorauit illos. Rursus qui beneficium se accepturos sperant a potentioribus, eos adorant. vt Iacob adorauit Pharaonem. Sumitur etiam pro cultu adorationis in spiritu qui Deo tribuitur, Hinc scriptura Diuina, dicens, Deum tuum adorabis, & illi soli cultum exhibebis. Adorabis absolute ponit, neque adiicit soli, vt significetur vox notionis & æquiuota. Cultum autem exhibebis siue seruies, quod Græce est Latreusis, soli adiicit. Quam ob causam latriam soli Deo tribuimus, ad illumque referimus. In eandem sententiā Damascenus aiebat. Adoratio, inquit, est submissionis & honoris signum. Adorationis modos plane nouimus esse differentes. Omnium prima adoratio est quam soli Deo suapte natura adorando exhibemus per latriam. Proximo ordine sequitur, quam offerimus amicis ac famulis Dei, quemadmodum Iosue filius Naue & Daniel Angelum adorarunt. Aut etiam quæ locis Deo consecratis debetur, vt cum ait Dauid. a Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius b Adorate scabellum pedum

Sacrificia offerre ad latriam spectat.

Leuit. 17

Deut. 6. Matth. 4.

in exépla Tara & vniuersæ Synodi ad Imperatores. quę é in fine 7. Act.

Adorationis multiplex acceptio.

lib. 4. Orthod. cap. 17. & lib. 1. Apolo.

a Psl 131.

Adoratio creaturarum.

c.Gen.18 pedum eius. Vnde scimus, quod c Abraam & Loth Angelos
a Gen.19 adorauerunt, quod a Iacob septies, obuiantem sibi fratrem
b Gen.33 adorauit. quod eius b filij fratrem Ioseph, quod Moyses Iethro
c Gen.42. socerum suum. quod c Iudith Holofernem in conopeo se
d Exod. 18. dentem, quod d Ionathan Dauid cadens pronus in terram,
e Iudit. 11. quod e Nathan, Abigail, Bersabee procidētes super faciem, Regem Dauid, quod Sunamitis religiosa corruens ad pedes eius,
f 1. Reg. 20. quod Nabuchodonosor Danielem, quod Cornelius vir iustus
g 2. Reg. 12. & religiosus ad genua Petri prouolutus adorauit. Neq; tamen illos scriptura idololatras pronunciare audet: quum in his &
h 3. Reg. 1. Patriarchę, & Prophetæ, & iusti, & Religiosi reperiantur.

Seruiēdū creaturę.

i Dan.2. Sed neque etiam seruitus ita propria Deo est in vniuersum,
k Act.10 vt nulli alteri citra vitium idololatrię seruire liceat. cum Paulus, non solum non prohibeat hominem homini seruire; quin etiam de eo quemadmodum seruire oporteat præcepta dede-
l Ephes.6 rit. h Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi. Quid? Ergo Paulus docuit idolatriam? Sed nunquam id vel cogitare Paulo in mentem venit, vt Diuinum honorem
m 2.Ti.1 quem prædicabat, ad homines trāsferre vellet i Soli enim Deo honorem deferendum dicebat: Gloriam tamen & honorem esse omni homini operanti bonum constanter affirmabat. solum Deum adorandum esse iubebat; adoratores autem aliorum hominū haud contemnebat. Soli Deo seruiendū esse sciebat; seruitutis tñ humanæ præcepta imponebat. Seruitus.n. latriæ soli

Soli Deo seruiendū quomodo.

in postilla circa Euan. de Epiph. Domini. Deo debita & nemini concessa, neutiq; pugnacut cū seruitute Duliæ vel Hyperduliæ. Adoratio & honor & laus latrię, nō cōtrariatur adorationi Dulię & Hyperduliæ. Adorare, .n. inquiebat ipse Lutherus in scripturis nihil aliud est, q̃ inclinari, honorē
in pręcep. Decalog. deferre, curuari & genuflectere, & eos coram quib. nos deijcimus pro Dominis agnoscere. Adorare, inquit Bullingerus, est
ser. 2. de cad.2. caput nudare, geniculari seu flectere, aut inclinare caput vel corpus, procumbere, honorem exhibere, & venerari, reuererique. Adorarunt, ait, s. genuflexerunt, caput nudarunt, & procubuerunt sancti ante magistratus, & Prophetas, Principes & Doctores populi, virosque venerabiles. Quia Deus hoc præcipit, qui & operatur per illos salutem hominum. & homines sunt viua imago Dei.

Cultus

Cultus ergo,(vt hanc materiem contrahamus) Dei in spiritu & veritate est, nullam creaturam Deo vel æquare vel præferre;in neminem creaturam credere, & sperare,fidere nulli vt authori gratiarum : nullam creaturam ex toto corde, anima, méte,virtute,& fortitudine amare: nulli sacrificia offerre,vota vouere, altaria & templa extruere, nulli creaturæ cultum latriæ impendere. Monstrate nunc nobis,per Deum & salutem vestram vos oro, tale quid in cultu Mariæ:declarate quomodo Mariam, Deo exæquamus vel præferimus ? Quomodo in Mariam credimus ? in Maria vt Deo speramus? Mariæ vt Deo confidimus ? Quomodo illam toto corde & medullis animæ diligamus vt Deum? Quæ sacrificia illi litamus? vota vouemus ? Altaria & templa extruimus ? Quomodo illi cultum Latrię soli Deo debitum exhibemus? At de Spe, Inuocatione Imitatione alibi est sermo instituendus, nunc de reliquis partibus cultus cum Ioanne,Cantacuzeno Rege Constantinopolis,qui vitam splendidam Regalem, cum Religiosa vili & despecta commutarat dicimus. Nos equidem,ait, qui Christum profitemur, vnum Deum adoramus creatorem omnium visibilium & inuisibilium,huiusq; Verbum & Filium Christum. Hæc vera sunt,nec sentimus aliter talem.n.hunc credimus & fatemur. Diuam vero virginem Mariam creaturam Dei iudicamus & ancillam. Credimus autem & cõfitemur,quod huic similis homo nec natus sit,nec post hac ex viro & muliere nasciturus vsque ad consummationem sæculi. Et secundum humanam quidem naturam, eam Angelis inferiorem iudicamus tanquam hominem;honore aut & sanctimonia ipsam omnibus Angelis indubie præferimus eo quod verbum & Filium Dei secundum carnem peperit,omnesque nos illam Aduocatam & Auxiliatricem agnoscimus. Orat & intercedit indesinenter pro nobis peccatoribus. Miracula edit & operatur,admiratione & stupore digna. Hanc COLIMVS non vt Deum sed vt matrem filij Dei secundum carnem :cæterum Anathema sit, quisquis vel duos vel tres plures sue Deos adorauerit,sed adoramus vnũ Deũ creatorem Cęli & terræ, omnium visibilium & inuisibilium. Quod si illam Deificatam cum [a] Damiano Deam cum [b] Nazianzeno & [c] Damasceno appellamus; Dei honori derogatum nihil volumus. Est.n. Dea, nõ aliena a Deo, sed intima Dei, soror

Cantacuzeni Regis de cultu Mariæ sententia.

Maria potest dici Dea.

a ser. de nat. 2

b de Christo patie.

ror

c li.4.or. c.2. ror Dei, amica Dei, sponsa dei [d] Genitrix Dei speciosa. solium
gloriæ Dei.[c] Templum misericordiæ Dei, Forma Dei; sacrariū
d Ildeon. ser. 7. de assumpt. totius diuinitatis Est Dea charimate gratiarum ab ipso gratiæ
fonte supra omnes creaturas repleta. DEA est virgo Maria, quiā
e Aug. ser. 2. de assumpt. Deum Deorum Saluatorem nostrum de suo imaculato vtero
mundo profudit. [g] Quod si illos scriptura Deos appellat, ad
quos sermo Dei factus est: cur non deam appellare licebit, in
f Damiā. ser. 2. de nat.m. qua verbum caro factum est: [h] quæ fuit præangustus illius si-
nus, qui sinu suo omnia complectitur, quæ fuit purificantis car
g Ioā. 10. bonis forceps, incomprehensibilis illius roris vellus, Bethlemi
h Metho. in orat. de hipop Dom. tica illa cysterna, quam veluti vitæ refocillatricem Dauid desi-
derauit, & ex qua immortalitatis poculum mortalibus emana-
uit; per quam Deus humanam naturam indutus mortalibus
innotuit; impollutum illius indumentum qui luce vti vesti-
mento circumfunditur, Deo nullius rei alioqui indigo carnem
quam non habebat mutuans, quò nimirum hac ratione omni-
potens, id quod dignatus est, homo. s. vere appareret. Quid hoc
illustrius? Quid hoc sublimius? Qui cœlum & terram implet,
cuius præterea sunt omnia quæcūq; mouentur atq; subsistūt,
cui o Beata virgo factus est indigus. Tu. n. admirabilem Incar-
nationem quam aliquando non habuit, Deo mutuo dedisti. Tu
potentem illū, corpore tanquā decenti quandam panoplia in-
duisti; per quam quidem ipse facile & cerneretur, & tenere-
tur; ego vero tutum & commodum ad illum accessum habe-
rem; per quam etiam ignita, omnia maligni tela extinguuntur.
Euge, euge, mater Dei & ancilla, Euge euge quæ debitorem il-
lum habes, qui omnibus mutuatur; Deo namq; vniuersi debe-
mus, tibi vero etiam ille debet. Proinde qui dixit: Honora Pa-
trem tuum & matrem tuam, vt is decretum a se promulgaret
atque adeo hac in parte alios excelleret, omnem matri & gra-
tiam & honorem impendit, quæ certam secundæ natiuitatis
ministram illi se præbuit, quamq; ipse Patrem hominē ne-
sciens, secundum hanc ipsam natiuitatem, matrem viri inexper
tem vltro sibi cooptauit. Hanc igitur talem & tātam, Dei ma-
trem, Amicam Dei, Deo super omnia creata maximo amore
coniunctā, maiori gratiarū plenitudine refertam, Deæ vel Dei
ficatæ nomine non dignabimur? Atrocē Deo & Mariæ iniuriā
faciemus, si illam Deā appellabimus? Idololatriæ insimulabi

mur quod eā vt Deā intimam Deo non alienam a Deo, venera mur? adoramus? Si Deus præcipit vt personas venerabiles, qui sunt viua imago Dei, & per quos Deus salutem humanam ope ratur, adoremus, quod ēt vos libenter fateminis; Quare illam quæ est perfectissima imago Diuinæ bonitatis, per gratiæ fulgo rem illustrata, per virtutum cumulum expræssa; cur illam quæ est maxime simillima Deo, & secundum animam quia gratia plena; & secundum carnem quia carnem suam Filio Dei com municauit; ad cuius similitudinem Deus homo, homo factus est. non venerabimur? non colemus? Si gloria & honor omni homini operanti bonum. cur per Deum, Mariam quæ super alios operum bonorum effectrix fuit, suo honore priuatis, sua gloria spoliare contenditis? Quid vos in tantam vesaniam deduxit, vt quod alijs magnis & excellentibus personis conceditis, illi quæ superior est cunctis denegatis? Quod alijs cultoribus virtutis a Deo virtutum præmiatore, ab omnibus omni tēpore mortalibus exhibitum est, Mariæ quæ fide vincit Patriarchas, spe Prophetas, constantia martires, amore Apostolos, sobrietate confessores, Castitate virgines, puritate & gratiarum splendore etiam ipsos antecedit Angelos, derogabitis? Quæ malitia? quis atrox animus? Quid mali de vobis commeruit Maria, vt summos cultores eius, summos blasphematores esse ipsius, insano iudicio condemnantes estimatis? Si in Mariam nō credimus, si Mariam ex totis medullis vt Deum non diligimus, si Mariam Deo nec exæquamus nec præferimus; Deam.n. illā non per essentiam sed per participium Spiritus sancti, prædicamus; si Mariæ cultum latriæ non impedimus; vt quid idololatriæ, vt quid primi præcepti violatores esse accusamur? Si uos illud offendit, quod, inquitis; Alraria, capellas, templa Mariæ dicatis; ferias instituitis, Missas celebratis. Hæc autem Deo pro pria sūt: Hęc a Deo ad creaturas sine vitio idololatrię trāsferri non possunt. Cęterum huic conuitio Faustiniaco, Augustinus ante millenos annos satisfecit. Populus Christianorum memoriam virginis, religiosa solennitate celebrat (loquebatur ille de Sanctis Martirib. ego verba illius adapto B. virgini) & ad excitandā imitationem, & ut meritis eius consocietur atq; orationibus adiuuetur. Ita tamen ut non Mariæ, sed Deo Mariæ, quamuis in memoriam Marię constituamus Altaria. Quis n.

Altaria & tēpla quomodo conse crata Mariæ.

lib. 20. cōtra Faustum. c. 21.

Anu-

Antistitum in locis Mariç, assistens Altari dixit, Offero tibi Maria. sed quod offertur, Deo offertur, qui Mariam coronauit; ad memoriam Mariç quam coronauit. Non sacrificamus igitur Mariæ ut calumniatur Melanchton. Colliridianos, non quidem in Syria sed in Arabia olim degentes vt Epiphanius relinquit, Quædam, inquit, mulieres in Arabia, a partibus Traciæ hanc vanitatem inuexerunt, vt statuæ virginis in curru sella superpositæ & ornatæ, in nomen virginis colliridem seu panem tortilem sacrificent, & simul congregentur ad participandum ex hoc sacrificio. Hos inquam phanaticos non imitamur, sed detestamur. Virginem quidem Mariam, Reginam Cęli, sed non eo sensu quo idolatræ Iudæi suam Lunam, vocitamus, Tamen filij nostri non colligunt ligna, patres nostri nunquam succenderunt ignem, Mulieres nostræ, nostræ Catholicæ Ecclesiæ, nunquam consperserunt vel conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ Cœli, & libent Dijs alienis, vt Deũ ad iracundiam prouocent. Nullum tale, (vt reuertens ad Augustinum dico) aliquid offerrimus, aut offerendum præcipimus, vel Mariæ vel cuique sanctæ animæ, vel cuiquam sancto Angelo. Et si quis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Ipsi enim sancti vel homines uel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi cognoscunt. Apparuit hoc in Paulo, inquit, & Barnaba. Dum commoti mii aculis per ipsos factis, Licaonij ciues, tanquam Dijs immolare voluerunt: Conscissis enim vestimentis suis confitentes & persuadentes se Deos non esse, ista sibi fieri uetuerunt. Apparuit & in Angelis, quos legimus prohibentes se adorari, ac dicentes adoratori suo. Conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Ista sibi plane superbi spiritus exigunt, Diabolus & Angeli eius, sicut & per omnia templa & per omnia sacra gẽtiliũ videmus. Colimus aũt Sanctã Deiparã sanctos cæteros, eo cultu dilectionis & societatis, quo & in & hac uita colũtur sancti homines Dei; sed illos tantò deuotius quantò securius post incerta omnia superata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus, iam in uita fæliciore victores, quam in ista adhuc pugnantes. At illo cultu qui Græce latria dicitur, cum sit quædam propriç Diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Addo,

Margin notes: hæres. 79. cont. Collirid. — Colliridianorũ error. — Sacrificia nõ offerrimus Mariæ. — Act. 16. — Apoc. 19 & 22.

ex Damasceno, Nycethia Patriarcha Constantinopolitano a Adoramus & latriæ cultum soli Deo offerrimus, Creatori & vniuersitatis Architecto; Adoramus & sanctam Virginem non tanquam Deum, sed tanquam Matrem Dei secundum carnem. b Sanctam Dei Genetricem, quæ Christum in carne peperit, Dei proprie vereque Matrem esse credimus, & confitemur, eandemque vt reuera Dei qui homo factus est, Matrem atque idcirco Dominam & Reginam omnis Creaturę Diuina gratia effectam, Adoramus & reueremur & tanto maiori honore eam dignamur, Hyperduliæ scilicet, qui homini ob affinitatem aliquam cum Deo contractam debetur; quanto Maria inter omnes affines & consanguineos Dei per translationem & gratiam factos, Deo propinquior existit. Ipsa enim Deum genuit, ipsa totam humani corporis substantiam, illi de sanguinibus suis tribuit ipsa, eum nouem menses vtero sacrato gestauit, infantulum uberibus lactauit, propria cura educauit, virum in passione non deseruit. Tāto maiori honore eam veneramur, quia præ cæteris Sanctissima excelsior est Maria, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis intra sui ventris cōclusit archanū. Attēde Seraphin & in illius superioris naturæ superuola dignitatē, & videbisquicquid maiusest, minus virgine, solumq; Opificem istud opus supergredi. Hæc est aurum fuluum nimis, quo Salomonis Tronus est uestitus. Quia tali modo Deus induit virginem, & in virgine indutus est, vt meliore non posset. Tanto maiori honore eam veneramur, quia præ cæteris sanctis est a Deo honorata; b ab ipsis Angelis adorata, vt pote in qua præ alijs magis Deus honorabilis & landabilis fit. Honoratur siquidem in illa Pater æternus, dum grati confitemur, qđ ipse ex summa fortitudine manus suæ vt mundum perditum recuperaret, fœmineum verum tantorum munerum & bonorum capacem effecit. Honoratur & Dei filius; dum charitati erga nos ipsius flagrantis gratias reddimus, quod in vterum virginis de sinu Patris vltro descendit. Honoratur & Spiritus sanctus; qui hoc cubile & sacrarium Dei, c Cęlum, templum, Thronum Diuinitatis, inexplicabilibus Paradisi monilibus ornauit, vt sit superior Angelis, sublimior Cherubin & Seraphin. Honoratur tota Trinitas, quæ tot munera velut Dij in Pandoram, vel vt in armarium Cœleste abunde

contu-

Marginalia (left): Cultus B. Marię authoritate sanctorum Patrum firmatus. — Maria sublimior Seraphinis. — Cultu Marię honorauit Deus.

Marginalia (right): a libr. 3. Apolog. — b In fragmento ex lib. 20. Thesauri Ortodoxiæ. — a Dami. Ser. 1. de Nat. Mariæ. — b Epip. ser. de lau de Mar. — c Epip.

a Ephr. orat. de laud. Mariæ. b Chrys. orat. de annúcia. Mariæ. c Ber. ser. 2. de aduent. d Esic. ho. 2. de laudib. Mar. Hieron. lib. 3. in Esai. c. 7. e Ambr. ser. 81. f Ildeph. ser. 3. de ass. g Hier. ad uer. Ioui. h Ber. ser. 3. de assu. & ser. 4. de eodem & ser. 2. de eodē. i Dama. orat. de dormit. Deip. k Gril. hom. 6. in Nest. Ephr. Oratio. de laud. Mariæ. m Ber. ser. 3. de miss. n Ser. de Nat. Mariæ. 1. Reg. 6.

contulerit, vt inde dicatur & sit a Paradisus uoluptatis omni ligno fructifero consitus, b Paradisus deliciarum & immortalitatis c Paradisus rationalis, d Domus sapientiæ, e fæderis archa f speculum & species totius castitatis, g Lilium inter spinas, h hortus conclusus, fons signatus, Columba formosa delitijs spiritualibus affluens, lampas ardentissima, i lapis inextinguibilis K Margarita Regni Cœlestis prætiosa, l vas auri solidum ornatum omni lapide prętioso. m virgula Fumi ex aromatib. Oliua fructifera in domo Dei, scala Iacob, altare Thimiamatis Pulchra ut Luna, electa ut Sol.

Quis igitur, ut dicam n cum Iustiniano, Deum non honoret in uirgine? Quis hanc sublimem uirginem non laudibus exornet? Quis hanc lucem sæculi, hoc speculum sanctitatis immaculatum, hoc templum & fæderis archam Diuinis manibus fabricatam, non suspiciat, admiretur? adoret? ueneretur? Adorare iusserat Psaltes, in loco ubi steterunt pedes Dei, Ecce uirginem habetis, ubi ipse eus stetit; in cuius substantia ex ea accepta ut homo substitit, Ecce fœminam uidetis, quæ utero suo circundedit uirum Giganteæ immensitatis, Adorate igitur locum hunc ubi steterunt pedes eius. Pręcipiebat Diuinus uir. Adorate ait, scabellum pedum eius, quia sanctum est. Ecce Beata Virgo scabellū pedum Dei est, & scabellum sanctum, super alios sanctificatum. Adorate ergo, ueneramini Mariam. Forte pauetis aspectum huius loci? Forte timeris uidere & admirari Archā istā uiuentē de auratā, ne uobis illa mors acerba, ut quondā Bethsamitis mirantib. ligneā Archam accidat? uerū, isthæc archa censetur esse non timoris sed amoris, nō mortis sed vitę. a Vas electionis. b Desiderium collium æternorum. c Cunctis desiderata gentibus. d Omnium perfugium. Salus vniuersorum. f spes miserorum vnicum nobis in terra solatium. g tutissimum singulareq; perditorum refugium. h Accedite ad illam & facies vestræ non confundentur. Admiratę sunt illam Cœlestes substantiæ. i Quę est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens inixa super dilectum suum? k Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna. electa

a Cypr. ser. de Nat. Do. b Ber. Epist 174. c Ignat. epi. ad Io. Euāg. d e Ephrem in oratione de laud. Mariæ. f Dionis. Carthus. lib. 2. de laud. Mariæ art. 23. Damasc. in himn. de assump. Bonau. lib. 25 memorabilium. h Psal. 33. i Cant. 8. k Cant. 6.

electa vt sol? Beatissimam prædicauerunt illam filiæ Syō, laudauerūt eā Reginæ,[l] Ecclesiæ dignis illā laudib. celebrarūt; p ipsam viuificatæ, nō mortificatę, consolatæ non confusæ, erectę non deiectæ sunt. Paueāt impij Bethsamitę, qui vidēt archā hāc oculo infecto sāguine blasphemię. Paueant impij [m] Ozæ, irreuerēter cōtingētes, & impie manus suas, sed cōtra illā nō ꝓ illa extēdentes; non in honore sustinentes, sed de illo deijciētes. Paueant idololatræ isti, nos idololatriæ inculpantes. Idololatras nominare libet, quoscunque idololatrarum crimen nobis obijcientes. Idololatræ sunt; quicunq; in potentia sua gloriantur, vt erat princeps Tyri.[n] Talis fuit Iulianus scelestus; talis fuit Copronimus, qui Imperatoria ambo fortitudine & potencia confisi, filio Dei Deo reiecto, cultu Sāctorum violato, se pro Dijs coli uolebant. Idololatræ sunt: qui in sua sibi prudentia seu sapientia placentes, in Sanctorum honorem insaniunt. Talis fuit superbus & elatæ mentis Caluinus, qui tantum suo ingenio in deffiniendis rebus fidei tribuit; vt nemini primas partes concedat. Idololatrę sunt; qui voluptati potius quam pietati student, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum. Talis fuit Martinus Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, & alij eius sectæ homines; qui ruptis fidei & professionis religiosæ repagulis, sponsis Christi (primo effractis forib.) ex monasterijs eductis, pellices suas, ventres suos, confusiones suas adorarunt. Isti vereantur, isti paueant, istis est mors non vita, confusio non consolatio, deiectio non erectio, mortificatio non viuificatio. Erga hanc.n. SS. uirginem, ut suo iudicio ipsos condemnem, minus bene affici[o] Reprobatę mentis certum indicium est. Sicut erga hanc bene affici, hanc venerari, colere, honorare, amare, laudibus cohonestare & extollere, Beatitudinis certum indicium omnes existimarunt. Gloria.n. & honor omni operanti bonum; qua gloria & honore coronare digneris cultores SS. Matris tuę Christe Iesu in Cœlorum gloria Amē.

[Margin notes:]
l Missa Chrysost. vetiopic. Ambrosiana. Iacobi Apost.
m 2. Reg. 6.
n Ezech. 28.
Iddololatræ hæretici.
Idololatria quid nam.
o Oecolāpadius vbi supra.

SAL-

SALVE

Salutate Mariam quæ multum laborauit pro vobis. Rom. 16.c.

CONCIO SECVNDA

In qua salutandam esse virginem SS. contra Caluinum & alios multos hæreticos, ostenditur & demonstratur.

QVAE, uel Triumphantes de inimicis Victores, uel Reges in Regali solio diademate Regio coronati, a communi plausu atq; lętitia populi recipere solent, etsi omnia splendida & magnifica sint: nullum tamen maius, quam illę acclamationes; Viuat Rex. Victori & Triumphatori uita sempiterna; Salue Rex. Salue hostium domitor atque debellator: quibus uniuersus populus, siue congratulatur ptincipi, siue animi gratitudinem, promptitudinem, & obedientiam significat. Christo in illa regali pompa ingressuro Hierosolymorum urbem, turbę & quę pręcedebant & quę sequebantur, arbitratę nullum maiorem honorem posse exhiberi; cęperunt gaudentes, ut ait Lucas & Mathęus, laudare Deum uoce magna, super omnibus uirtutibus quas uiderant, dicentes. Benedictus qui uenit Rex in nomine Domini, pax in Cœlo & gloria in excelsis, Hosāna filio Dauid, hosanna in altissimis, Vncto Sauli in Regem Israel, clamauit omnis populus. Viuat Rex. Salomoni itidem sapientissimo, adhuc uiuente Patre Dauid, in Regem constituto, cecinerunt buccina; & dixit omnis populus. Viuat Rex Salomon. Ascenditq; uniuersa multitudo post eum & populus canentium tubis, & lætantiū gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. Viuat Rex Salomon. Viuat Rex Salomon. Victrici autem Iudithę, dum abscisso capite Holofernis, regrediebatur Bethuliam; qui honor exhibitus est? Voca-

Acclamationes & salutationes Regum.

Math.21. Luc.19.

1.Reg.10. 3.Reg.1.

Iudith. 13. & 15.

uerunt (recenset scriptura) Presbyteros ciuitatis, & occurrerunt ad eam omnes a minimo usq; ad maximum; & accendentes luminaria congirauerunt circa eam uniuersi, & adorantes Dominum dixerunt ad eam talem salutationem & congratulationem. Benedixit te Dominus in uirtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Quid uero Ozias princeps populi? Benedicta, inquit, tu filia a Domino Deo excelso, prę omnibus mulierib. super terram. Benedictus Dominus qui creauit Cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: quia hodie nomen tuum ita magnificauit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerunt uirtutis Domini in ęternum. Et dixit omnis populus. Fiat, fiat. Achior autem proselytus quam congratulationem fecit? Benedicta tu, inquit, a Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. Vniuersi autem conciues benedixerunt eam vna voce dicentes. Tu gloria Hierusalem, tu lętitia Hierusalem, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris. ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Quæ igitur communi gentium consuetudine, omnibus Regia dignitate præcellentibus in Regio throno constitutis, vel victorib. gloriose triumphantibus, ab omni gente, natione, populo exhibentur: (nũc te Caluine, vosq; cæteros hostes virginis, Reginæ & victricis admirãdæ, appello) cur illi communia hæc denegatis? cur ora acclamantium huic virgini obturatis? cur salutãtes hanc virginem idololatriæ vt consueuistis criminatis? Reginã esse Mariam virginem ambigitis? In solio supra choros Angelorum a dextris Dei ab æterno præparato sedentẽ astare in quęstionem reuocatis? Sed *a* *Astitit Regina a dextris Dei in vestitu deaurato, circundata varietate.* *b* Regina est mundi, q̃a de regali stirpe exorta Regem Regum & Dominum Dominantium, intacto Regali thalamo, mũdo profudit. Regina est cælorũ, quia Dominum Cœlorum & *c* Regem syderum, quem illa suis limitibus compræhendere non suffecerunt, tuo gremio Beatissima virgo cõtulisti. Regina est Angelorum. Angeli.n. sunt ministri filij Regis Regum filij virginis *d* Accedentes ad eum ministrabant

Regina ẽ Maria.

a Ps. 44. Athanas in serm. de San. Deip.
b Hierõ. ser. 1. de assumpt.
c Aug. ser. 2. de assumpt.
d. Mat. 4.

bant ei. Quidni & virginis matris eius ministri? si missi etiam sunt in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? quidni B. virgo non est Regina Angelorum? cum illa sit, e signum magnum in Cœlo, amicta sole iustitiæ: sub cuius pedibus Luna defectus cuiusq; siue visibilis siue inuisibilis creaturæ: in cuius capite corona stellarum (quod nulli creaturæ præter ipsam concessum est,) duodecim? Astitit in vestitu deaurato, charysmatum & gratiæ plenitudine. circundata varietate virtutum. Est.n. f mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & Sanctæ spei. In ipsa est gratia omnis vitæ & veritatis; in ipsa, omnis spes vitę & virtutis.. Astitit Regina hæc a dextris Dei. g Exaltata est sancta Dei genitrix, super choros Angelorum ad Cælestia Regna. Cur ergo Reginam hanc tali infenso odio insectamini? vt quę ceteris Regib. mortalib. quidẽ, atq; corruptibilibus, aureo throno insidentibus; quod Regib. cæteris & his paucissimis imperantibus, commune est: Reginam immortali veste indutam, gloriæ perpetua & indeficienti corona coronatam, super omnes gentes, & tribus, & nationes constitutam, hoc honore priuatam esse vultis? Quare a canticum illud, quo gratulamur virgini dicentes Salue Regina; vos impium & in salutare appellatis? Quare b adorationem virginis quę in verbis huius cantici acclamatorij continetur; atque vt vos dicitis in omnibus Papisticis templis exercetur, idololatricam esse censetis? Quamobrem c Rosarij quod est salutatio pręcipua virginis, ex Angelicis salutationibus ad modum Psalterij Dauidici congesta, vsum; quidam Mommus vester arrodit? pios Mariæ cultores insectatur, adeoq; damnat eos qui salutationem Angelicam iterare, vel ex his Psalteria quædam virginis conficere consueuerunt? in eos destomachatur qui sanctissimum quoddam sodalitium ineunt, vt ad Mariæ laudes, imitati huius consilij autorem & Ducem S. Dominicum aliosque Sanctos viros, sæpius ex instituto celebrandas conspirent? Cur tantum impudentia vestra processit, vt in dialogum inducatis Virginem suos salutatores alloquentẽ? Desine me (inquit Maria ex blasphemo ore istorũ) salutare & salutando venerari: desine sanctos & vita functos adorare, istam salutationem tuam, tuasq; præces execramur: tu vbi terrarũ sis, quid agas, viuas deniq; an mortuus sis, neq; scimus neq; curamus. O impuden-

e Apoc. 12. Bern. ser. signũ magnũ.

f Eccl. 24 Ildephon ser. 1. de assumpt. g Eccl. in festo assumpt.

a Vilhelmus Bidẽbachi⁹ Lucas Osiander contra Theses Dilinge disputatas. b Iacob. Heerbrãdus in disputat de Hæreticis an sint puniendi. c Conrad⁹ vuolf. Platziuf. Guilelmus Rõdigus cõtra Scholas Iesuitarum.

Hęreticorum de salutatione Marię censura.

Maria uictrix Sathanę. dentiam. O blaſphemiam. Quid vos per Deum in eam impulit mentē? Quę cā tanti furoris? Victricem hanc eſſe Sathanæ, forte vobis non eſt perſuaſum? Sed virtute illius qui poſuit inimicitias inter mulierem & Sathanam, *ipſa contriuit calcaneo ſuo, caput Dęmonis*. Vicerant quōdam adoleſcentes Ioannis diſcipuli, malignum; Dederat Chriſtus Apoſtolis ſuis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſuper ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici. Verum Beatę huic victrici, ſicut ad vincendum peccatum, ita ad conterendum Sathanam, omni ex parte plus ei gratię collatum eſt, quę concipere ac parere meruit eum quem conſtat, & nullum habuiſſe peccatum, & nūquam ſubiectum eſſe domino & authori peccati. Ideoque talia tropheą reportauit, qualia nunquam Ioannis adoleſcentes: nunquam.n. ſathanę quicquam debuit, non eius pedibus ſubiacuit, ab eius iugo & imperio ſe ſemper immunem ſeruauit; tanto fęlicius & prudentius venenata eius tela, hęc virgo depulit, quanto incautius ac turpius prima mulier in primo cum hoſte congreſſu corruit, ſeque pernicioſius vna cum poſteris inter quos diſcipulos Ioannis ab ipſomet recenſitos, Sathanę mancipium & ludibrium ſimul fecit. Si dixerimus filioli, ait Ioannes, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nō eſt: Vas aūt illud electionis Maria, teſtatur Cyprianus Martyr, a ceteris plurimum differens, natura illis communicabat non culpa. Hac virgine excepta, ait Auguſtinus, ſi omnes ſanctos & ſanctas, cum hic viuerent congregare poſſemus, & interrogate: vtrum eſſent ſine peccato? omnes vna uoce clamaſſent; ſi diximus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. Colluctatio quidem eſt nobis omnibus, aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus: Sed hæc luctata eſt nō cum quolibet ex iſtis, ſed cum ipſo principe mundi; cum principe dæmonum, cuius poteſtati nulla eſt æquanda in terra poteſtas. Pugnauerat quidem Michael & Angeli eius cum Dracone; dū factum eſt prælium in Cœlo; deiecit quidem ſerpentem illum Antiquum, qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum Orbem; exturbauit quoque è Cœleſtibus & Angelos eius. Verum quo tempore? Poſtquam.ſ. filius ille, qui recturus eſt omnes gentes in virga ferra: filius mulieris ſed virginis, raptus

[Margin notes: 1. Ioan. 1 (Luc. 10.) — 1. Ioan. 1. — Ser. de Natiu. D. — lib. de natura, & gratia c. 36. — Epheſ. 6. — Apoc. 12]

Marc. ult. ptus est ad Deum;& nubes suscepit eum ab oculis nostris ad Thronum eius;postquam mulier virgo & mater,fugit in solitudinem illam Cęlestem,vbi Pastor ille Bonus reliquerat nonaginta nouem oues; vbi habebat locum paratum,a Deo. Huius.n.& illius benedicti seminis virtute,non potentia propria, Victor Michael extitit. Hæc Beatissima Triumphatrix sola cum Filio suo contriuit, vicit, prostrauit, depræssit caput serpentis.

Gen.3. *Contriuit Maria caput serpentis*, vt Fulberti Carnothen Episcop. verbis loquar, seruando virginitatem & humilitatem, quia & hac extinxit mentis superbiam, & illa carnis concupiscentiam. Contriuit potentiam Sathanæ per filium quem genuit,spoliando illum Dominio suo. Contriuit caput Sathanæ astutiam eius, nempe sapientiam terrenam, per paupertatem spiritus. Contriuit caput Sathanæ venenatum,inquit Bern.quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia, deduxit ad nihilum. Contriuit caput Sathane, vt cum Chrysippo tandem finem faciam, quæ hostem humani generis e Tyranide deturbauit, vt quem antiqua Eua in astum erexerat,is per nouam deijceretur.Quod si illis qui vicerunt, datum est sedere in Throno Dei, sicut & Filio Dei victori,datum est sedere in Throno Dei; filio autem Dei omnis lingua confitetur, quod est in gloria Dei; & salutando,& honorando, & venerando; Maria virgo non venerabitur?non salutabitur? non confitebimur ei quod est in gloria Dei? qđ astat a dextris Dei? qđ assidet lateri Dei? Non acclamabimus ei dicentes, Salue Regina,mater misericordiæ. Aue Maria,gratia plena, Dominus tecū. Benedicta tu in mulierib. Si victrici Iudith,tot tamque præclara epitheta,in ipsius salutatione populus Israelis plenis vocibus conclamauit: illi quæ caput non Holofernis sed Dæmonis truncauit, contriuit;quæ non Assiriorum sed Dæmonum exercitum dissipauit, fugauit: cur non si non in maiora vt maiora debemus, in illa saltem quę Angelus protulit,quæ nos Ecclesia docuit verba erūpam⁹? Cur nō iridē dicem⁹? Aue gr̄a plena. Benedicta tu in mulierib. Aue Benedicta a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedictus Dominus

Maria cō triuit caput Sathanæ.

Hom. 2. super missus.

in orat. de sācti. Deip.

Apoc. 3.

Philip. 3.

nus qui creauit Cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum. Aue benedicta a Deo tuo in omni tabernaculo Iacob; quoniam in omni gēte quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. Aue gloria Hierusalem, lætitia nostra; honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter & confortatum est cor tuum. Salue Regina misericordiæ. Vita dulcedo & spes nostra Salue. Oggannit hic Caluinus, & non sine blaspemiæ spiritu calumniatur. Catholici, inquit primum, salutatione Angelica quasi magico exorcismo vtuntur, temere sibi alienum officium vsurpant; deinde alijs salutationibus stulta illorum æmulatio est, quod absentem salutant. O fœdam blasphemiam, & o crassam ignorantiam, *Angelica salutatione quasi exorcismo magico vtuntur?* Doctoris, scilicet Euangelici, iudicium Euangelicum. dicam diabolicum. Quasi vero pij, dum Euangelicis verbis pie vtuntur, magicos exorcismos exerceant? Quinto euangelici verbis Euangelij, & impie vtuntur: vobis metipsis magiæ exorcismos facere potius, quam nobis conuenit. De probatis Ecclesiæ Catholicæ exorcismis, nil aliud nunc dicam: nisi quod sunt [a] horribiles canones dogmatū de cœlo missorum. [b] tormenta verborum & flagra spiritualia, quibus adiurati Dæmones, de obsessis hominum corporibus per Exorcistas eijciuntur. Quam vero ingens, & horrenda cæcitas, hos religionis nouę principes occupauit; videtis, dum in rebus adeo manifestis errant turpiter, execrandæ idololatriæ & flammis vindicandæ magiæ deputantes, quod Mariam virginem salutamus. Nihil iam superest nisi vt etiam ex Archangelo aut idololatram faciant siue magum; qui si virginem futuram Dei matrem tam honorificè salutando, suo est munere rite perfunctus; nos potius laudem quam reprehensionem merebimur, quod eandem postquam Dei mater effecta est, verbis ijsdem & reuerenter, & humiliter salutamus. *Temere*, inquit Caluinus, *sibi alienum officium vsurpant.* Velim primum scire a te Caluine, quod nam munus erat Gabrielis? quo animo hæc verba quæ sunt [c] melos Angelicum protulit? nimirum vt suaderet Mariæ, quò Diuino filió vterum & animum offerat. Nos Virginem iam non in Nazareno cubiculo latitantem quærimus, sed in amplissimo Cœli palatio regnantem. Neque vero suademus, neque expecta-

mus

Caluini blasphemia.

Exorcismus qd.

Salutando B. Mariam quale officiū exercemus.

a Chrys. hom. 40. in epist. Corinth.

b Cypr. epist. ad Demetrianū ad magnū.

c Ephre. in orat.

mus vt Angelus fecit, vt Maria Diuinũ cõplexum amplectatur & venturo Emanueli & animã, & corpus paratũ offerat, seque simul matrẽ & virginẽ futurã credat; sed salutamus quia Angeli verbis credidit; diuino nutui paruit; de Spiritu sancto concepit; & casta peperit mundi redemptorem; & tanto nunc magis, quanto hęc in Mariam rectius pleniusque competunt, quãdoquidem ab omnibus corporis vitæque huius ærumnis remota, atque ad fœlicissimum vitæ statum perducta, & Angelicis choris prælata maiorem plenitudinem gratiæ obtinet. *Alijs* ait *Salutationib. stulta illorum æmulatio est, quod, absentem salutant.* Quæ vero hæc mentis vesania? Quæ stupiditas? Quasi vero Mariam nemo salutare queat, nisi procul absentẽ quęrat, & cũ, Magis accedat? Hac eadẽ quoque ratione, neq; genu terrestrium flectetur Christo homini, neque infernorum corruet & contremiscet, quia Christus assumptus a nobis, sedet a dextris Dei, & in forma humana amplius, neq; cũ terrestribus in labore & miseria, neq; cum subterraneis in dolore & pœna cõuersatur. *Absentem salutant.* Quasi vero in Pathmos cũ Ioanne exulet? aut forte apud extremos Indos peregrinetur? aut forte cum septem dormientibus in spelunca latitet, vel instar eorũ mortuorum est, qui iuxta sensum Anabaptistarum, in manu nõ autem in conspectu Dei sunt; vt viso speculo Diuinæ essentiæ, non videat illa omnia, quæ in hoc lucido & claro speculo præsentantur? Aut sit forte vel minoris curæ, vel minoris beatitudinis quam Angeli nostri custodes, qui res nostra perpetuo administrare solẽt? De Angelis scimus, quia, Hi sunt, vt recognoscebat Augustinus. custodes super muros Ciuitatis Dei nouæ Hierusalem, & montes in circuitu eius, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem Diuinum, nequando rapiat vt leo animas nostras, dum non est qui eriperet, ille antiquus serpens aduersarius noster Diabolus, qui quasi Leo rugiens circuit quærens quem deuoret Hi sunt Ciues Beatæ Ciuitatis supernę Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; vt eos liberet ab inimicis suis, & custodiant in omnibus vijs suis; confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum deferant, in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempe conciues suos, per quos ruinæ

Caluini stupiditas & ignorantia.

lib. Soliloq. c. 27.

Angelorum pręsentia circa nos.

suæ scissuras restaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti studio ad sunt nobis, omnibus horis & locis. succurentes & prouidentes necessitati bus nostris, & solicitè discurrentes inter nos & te Domine, gemitus nostros atq. suspiria deferētes ad te, vt impetrent nobis facilē tuę benignitatis propiciationē, & referant ad nos desideratā tuæ gratiæ benedictionē. Ambulāt nobiscū in omnib. vijs nostris, intrant & exeūt nobiscū: attente considerantes quam piè quam honestè in medio prauæ nationis conuersemur: quantoque studio & desiderio quæramus regnum tuum & iustitiam eius, quanto timore & tremore seruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus de te inquam gaudentibus: compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos, diligunt quos tu diligis, custodiunt quos tu custodis, & deserunt quos tu deseris. Hunc affectum & diligentem solicitudinem expresit Spiritus Sanctus dicens per os prophetæ, Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis. Sunt spiritus. ideoque potentes; sunt ignis, ideo amore flagrantes; sunt ministri, ideo semper astantes, & omnia intuentes. Dubitatis forte de tali præsentia illorum? At reuocemus in mentem Scripturæ exempla. Conuiuatur [a] Abraam, & ecce tres Angeli accumbunt. Loth incendium Sodomorum & stuprū virginum pauet [b] protegitur & educitur manibus Angelorum. Orat & contemplatur Iacob. [c] & ecce Angeli ascendentes & descendentes de Cœlo. Populus Israeliticus [d] fugit Aegyptios; & tollēs se Angelus qui præcedebat castra stetit in columna nubis inter castra Aegyptiorum & castra Israel. Agar rebellis in deserto pœnitentiam agit: [e] & ecce inuenit eam Angelus Domini iuxta fontem aquę. Expugnat Iosue Hiericontem: [f] & ecce videt virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium. Purgat frumenta in torculari Gedeon. [g] & ecce apparuit ei Angelus Domini. Concipitur Samson fortissimus [h] & ecce uir Dei uenit ad me, ait Manue, habens uultum Angelicum, terribilis nimis. Fame [i] moritur sub iunipero Elias. Angelus pascit eum subcinericijs panibus. Isaias [k] ad gentem peccatricem loquitur, Angelus purificat ardenti

Angeli sūt ignis & spiritus.

Psal. 101
a Gen. 18
b Gen. 19
c Gen. 28
d Exod. 14.
e Gen. 16
f Iosu. 5.
g Iudic. 6.
h Iud. 13
i 3. Reg. 19.
k Isai. 6.

l Tob. 12 denti carbone labia eius. Thobias/ peregrinatur. Angelus ducit & reducit sospitem; pecuniam a Gabelo recipit; vxorem illi
m ibidē. desponsat; dæmonium ab ea compescit; a deuoratione piscis iuuenem eripit; patrem senem lumen cęli videre fecit. m Tobias senior in opere bono sese exercet. Ego sum inquit Raphael vnus ex septem qui astamus ante Dominum. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos per diem abscondebas in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego vobiscum eram. Tres illi infantuli
n Daniel. 3. in camino n succenduntur. & ecce Nabuchodonosor videt quatuor viros solutos, & species quarti, similis filio Dei. o Nasci-
o Luc. 2. tur Christus, & facta est multitudo militiæ Cœlestis laudantium Deum, & nunciantium pastoribus. Euangelizo vobis
p Mat. 4. gaudium magnum. p Ieiunat in deserto; Angeli accesserunt
q Matth. 28. & ministrabant ei. q Resurgit a mortuis. Angelus sedens in sepulchro nunciat mulieribus. surrexit non est hic. Ascendit ad
r Act. 1. cœlos. r ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis. Dies me deficeret si omnia vellem persequi beneficia, quæ mortales per præsentiam Spiritum Beatorum perceperunt. Ange-
s Psal. 90. lis s enim suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: qui in manibus portant te, ne forte offendas ad lapi-
t Matth. 22. dem pedem tuum. Quod si id Angelis tribuit Deus; cur non tribuat etiam beatis? cum futurum sit vt t assimilentur Angelis Dei in illa beatitudine Cœlesti? Natura quidem atque officio, Angeli & Sancti dispares sunt; cæterum syncera erga nos charitate similes, similes & cognitione. Perfruentes enim fælicitate illa sempiterna, vera nobis velut in Christo commembris charitate conglutinari; assiduam salutis nostræ curam habere; pia mortalium desideria percipere? fulgore scilicet Diuini vultus Cœlites omnes irradiante, in quo tanquam in speculo res humanas perspiciunt; cupiunt atque exoptant. Quod ergo Angelis & alijs Sanctis concedit Deus; vt alios & præcipue credentes videant & clarissime intelligant; eos diligant, & cu-
Bern. ser. 1. & 4. de assumpt. Serm. 1. super salue. stodiant in omnibus vijs suis; id Angelorum & Sanctorum omnium Reginæ? Reginæ inquam quæ ascendens de huius mundi deserto etiam Angelis sanctis, vt canit Ecclesia, speciosa & suauis in delitijs suis facta est? Reginæ quæ tātum in Cęlis obtinet gloriæ singularis, quantum gratiæ in terris ade- Maria omnibus adest.

pta

pta est præ cæteris; negatum esse credemus? Oportet, ait Bernard. vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus, & vt totam animæ nostræ Trinitatem in eam dirigamus, quam adeo deuotissimis præcibus exoramus. Agnoscit certe & diligit diligentes se, & prope est in veritate inuocantibus se: præsertim his quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate. Adfuit Ioanni filio suo adoptiuo indeserto. seu exilio. Adfuit Ioanni Damasceno. Adfuit Theophilo. Cypriano martyri. Gregorio Magno. Leoni Sancto. Adfuit Bernardo. Dominico. & alijs suis cultoribus dilectis; Bernardum salutaribus vnguentis, Dominicum vero viuificis aquis perfundendo. Silétio hic prætereo, Dominici imo totius Ecclesiæ propter salutatam Virginem, salutatione illa nunquam laudata SS. Rosarij. mirabilem de Albingensibus & alijs hæreticis victoriam. Non commemorabo Thomæ splendidissimi Ecclesiæ, syderis Aquinatis inquã, simul cũ illa salutatione Angelica, quam puerulus in cunis deglutiuerat; totam humanarum & Diuinarum rerum scientiam velut alter Ezechiel vorantis, familiaritatem maximam cum virgine. Hyacintho Septemtrionali gemmæ corruscanti, & flori odores suos per totum mũdum spargenti, apparitiones illas in quibus ipsum affatur. Fili Hyacinthe gaude; quia orationes tuæ gratæ sunt filio meo, & quicquid ab eo per me petieris impetrabis, recensere nollo: Rẽ non minus fide dignam, quam ad ignorantiam maledicorum refellendam idoneam enarrabo, quæ initio Prædicatorum Ordinis contigisse, primum a B. Iordane, deinde à Flaminio, cęterisque Prædicatorum hystorię scriptoribus refertur; ut & ignari non in pęnitentiam (Quod enim piaculum Patrum dogmata, Ecclesiæ authoritate firmata complecti? Quod scelus, Redemptionis insigne beneficium prædicare? Quæ culpa, virginem Deip. Christo non æquare? Quæ autem pęnitentia, persistenti in peccato. Si Virginem hæreditariæ subiectam fuisse labi dicere peccatum lubet, cum pęnitententia post relictum scelus imponatur?) Prædicatoribus, salutandam esse virginem impositum fore, & Ecclesiæ hostes non fictitias Beatorum apparitiones impio blatterãtes ore, sed veras esse profiteãtur. Crescebat, ait Flaminius, Prædicatorum ordo, numero virorũ Sanctitate, ac fama illustris. Quod cernens hostis antiquus, & satis

[Margin notes: Apoc. 22 — In vitis illorum. — Ezech. 3. cap. — Fratres S. Domin. cur post cõpletorium, Salue Reginain processione decãtãt.]

tis intelligens quantum Ecclesia lucrum, ipse iacturam factus esset, ad suas consuetssus artes labefactare, atque diruere totis viribus surgens ædificium conatus est, Bononiæ præsertim atque Parisijs: quibus in locis variè quidem, & grauiter admodum ab eo vexati sunt cenobitæ, dum alios terret ignea forma supra caput ardescente, alios dum flāmiferos dracones obijcit aut asinos terribiliter cornibus armatos, alios alijs diris vexat imaginibus, nec sinit quiescere, vt necesse fuerit nocturnas adhibere per vices quiescentibus excubias. Sed & quidam obsessi ab eo sunt Parisijs, inter quos fuit, qui & ipse factus erat cænobita, regis filius. Alij sunt atra bile correpti, & facti similes in sanientibus. Quam pestem vbi videre patres diffundi, ac late grassari, Deiparæ virginis opem implorarunt, ne suis deesset; ac instituerunt, vt quotidie post officium completorium processionali more, Salue Regina caneretur. Quod vbi fieri cæptum est, omnes illæ dæmoniacæ ludificationes discussæ atque dispulsæ sunt. & fugati ab obsessis dæmones, ac restituta mens desipientibns, ita omnibus quotidie magis prospere omnia cessere. Dumque sæpe canitur Salue Regina, conspexere quibus hoc datum est, cœlo delapsam Angelorum Dominam, vultu admodum placido astitisse canentibus, & ad illa verba. O Dulcis Maria, leniter caput submisisse, quomodo solent, qui reuerenter quempiam salutant. Recedentibus vero illis de loco in cælum remigrasse. Marsiliæ mulier fuit Lombarda nomine, quæ ob vitæ sanctitatem Deo admodum grata erat: quæ cum die quadam in æde Prædicatorum adesset, Salue Regina ex more canentibus, corporeis ablata sensibus, mira quatuor vidit, quæ nec tacenda sunt, nec obliuioni tradenda. quorum illud fuit primum. Dum canerent, spes nostra Salue, uidit delapsam continuo Dei matrem cœlo, uultu admodum blando canentes illos resalutantem. Alterum vero dum ad illa peruenissent verba, Eia erga aduocata nostra, flectentem ante filium genua suppliciter, & pro canentibus orantem. Tertium dum dicerent, illos tuos misericordes oculos, mitissimis eos oculis intuentem. Quartum autem, vbi canerent. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: illam tanquam puellaribus restitutam annis, atque la-

ctantem paruum Iesum, velut recenter natum singulis ostendentem. Quæ tunc mens SS. Deiparæ? Quanta fælicitas, beatis illis obtigit Patribus? a Regina cœlorum orbis vniuersi Imperatrice salutari? complecti? Diuino aspectu dignari? Tantane, non tam pœnitentibus pro crimine, quam in deuotione Mariana persistentibus beatitudo obuenit? hisne beneficijs Mariæ cultores augentur? salutatione humili, supremis spiritibus admirandam & comitatam Virginem de cœlis ad terras deducunt? Dei filium oĩa moderantem ex eius gremio auollunt? amplexantur? pedibus eius basia figunt? O dignationem, o fælicitatem. Ad anteriora regredior, certa est & indubitata Sanctissimæ virginis salutantibus apparitio. certa fides Ecclesiæ est, authoritate scripturarum firmata, sanctos vita functos viuis apparere: plena sunt monumenta hystoricorum, SS. Virginem omnibus qui se illi conformant in humilitate & castitate, nunquam non deesse. Spiritus tuus o Maria, (alloquebatur ipsam Germanus Patriarcha Constantinopolitanus;) viuit in æternum, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinet; omnia obseruas; omnia contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit. Quamobrem licet oculi nostri impediantur, ne te videre queant, tu tamen Sanctissima Virgo, dignis teipsam patefacis; caro enim tua spiritus tui virtutem, & eficacitatem nihil quicquam remoratur. Cũ ergo neq; stulta sit æmulatio nostra quia nõ salutamus absenté, sed oĩa cõtuẽtẽ; neq; officiũ alienũ temere vsurpam⁹; neq; magicos exorcismos exercemus; cur non nobiscum vocibus his compellatis virginem, Aue gratia plena. Salue Regina. Quod si Regio honore ipsam dignari non vultis; si vobis de victoria ipsius minime constat: Amica est nostra, *multum laborauit pro nobis*; & quia multum laborauit pro nobis, salutate Mariam. Amicum, inquit Ecclesiasticus, salutare non confunderis, a facie illius non te abscondas. Amica est nostra. b Mater est viuentium. c Mater gentium. d Spes Christianorum sanctissima. Studiosorum lumen. clausorum liberatrix saluberrima. orphanorum susceptio, adiutrix destitutorum, vexatorum portus, subsidium oppræssorum, redemptio captiuorum. e vnicum molestiarum leuamen; omnium cordis dolorum medicamentum. remedium aduersus Dæmones. f consolatio

Ser. 1 de assumpt.

Quõ Maria multum laborauit pro nobis.

a Eccl. 22
b Aug. ser. 2. de assumpt.
c Ildeph. ser. 2. de Nat. Mariæ.
d Ephræ. in orat. de laud Mariæ.
e Damasc. de dormit. Deiparæ.
f Ber. in Salue Regina.

solatio infirmorum. dulcedo animarum credentium. *Multum laborauit pro nobis*. Per hanc enim humana natura gaudij non præludia tantum, sed fines percipit. Per hanc Diuini consortij initium, ab omni peccato purgata, cum immensarum diuitiarum sponso nuptias celebrauit. Per hanc prioris hominis effigies nouã figurã cõsequitur, ac senio quasi confectus mundus, peccatorum senectam exuit: per hanc rorarunt Cœli iustitiam, & nubes pluerunt iustum, per hanc stillarunt montes dulcedinem, & colles iustitiam: Per hanc misertus est Deus populi sui: Per hanc mysterium ante sæcula absconditum, reuelatur: Per hanc vniuersi opifex, summa potentia conceptum apud se iamdudum de recreatione nostra consilium, ad finem perduxit: Per hanc misericordiæ largitor viscerum suorum abyssum reuelauit; filium suum vnicum misit: Per hanc a Deus princeps pacis, atque per b portam clausam mundum ingressus est: circa cuius educationem, lactationem quos non pertulit labores? quas non pertulit molestias; dum in vtero gestauit; dum in vili stabulo hyeme media, & hoc in nocte media, sine alleuatrice obsequente genuit; dum in gremio fouit: dum fascijs cinxit: dum in Aegyptum longinquam regionem exulatur: dum puerum dolens triduo, inter affines & cognatos quærit. Perpendite, uos cum Damiano alloquor. hinc dilecti, hinc rogo perpendite, quam debitores simus huic Virgini, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Cur ergo vel saltem cum Cyrillo præside Cõcilij Ephesini, non illi congratulemur in hæc verba. Salue inprimis sancta & arcana Trinitas, quæ nos omnes ad hanc Deiparæ Mariæ celebritatem conuocasti. Salue & tu quoque Dei genitrix Maria, eximium vniuersi terrarum Orbis decus & ornamentum. Tu lampas inextinguibilis. tu virginitatis corona. tu rectę fidei sceptrum ac norma. tu templum inuiolatum. tu eius sedes qui nullo capitur loco. Tu virgo & Mater. per te benedictus qui venit in nomine Domini in Euãgelijs appellatur. Salue quę incomprehensibilem in Sancto virginali vtero compræhendisti. Salue per quam & sancta Trinitas sanctificatur, & veneranda crux colitur, & in vniuerso terrarum orbe salutatur. Per te cœlum exultat; per te Angeli & Archangeli lætantur; per te dæmones fugan-

a Isai. 8.
b Ezech. 44.

in ser. de Nat. Mariæ.

Hom. 6. cont. Nestoriũ dicta corã grauiss. Patrum cætu in Ephesino templo Deiparæ dicato.

Cyrilli Alexãdr. in Ephesina Synodo, salutatio B. Virginis.

tur: per te Diabolus tentator e cœlo decidit; per te prolapsum plasma siue figmentum in Cœlum recipitur; per te vniuersa creatura idolatriæ vanitate occupata, ad veritatis cognitionē deducta est: per te Sacrum baptisma & oleum exultationis ob tingunt credentibus: per te in vniuerso mundo fundantur Ecclesiæ: per te gentes & infideles ad pœnitentiam adducuntur, Et quid multis moror? Per te vnigenitus Dei filius ijs qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, tanquam lux vera resplenduit. Per te Prophetæ futura prædixerunt; per te Apostoli salutem gentibus prædicarunt: per te mortui suscitantur: per te Reges Sancta Trinitate Duce regnant. Verum ista non placent superbis, inuidis, morosis. Hi cum sint sequaces stultorum & cæcorum Phariseorum, superbiæ spiritu inflati morbo inuidiæ infecti; *amantes salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*; quod erat proprium Virgini & sanctis eripuerunt, sibique ipsis impudenter vsurpauerunt. Omnes enim isti amant salutationes in foro, salutationes autem Sanctorum idolatriam censent. *Amant vocari ab hominibus Doctores & Rabbi*; victoribus autem mundi scriptis in libro vitæ, quibus datum est & nomine nouo nominari, & sedere in throno Diuino; neque nomen victorum concedere volunt; Morosi: quia apud omnes gentes consuetudine perpetua firmatum est, vt in primo ingressu occurrentes salutent, illisque bene præcentur, sicut & vulgares loquendi formulæ approbant. Salue. Bene vale. prospera tibi cuncta eueniant. Apud Iudeos autem solennis erat salutatio, qua mutuo sibi pacem optabant; pacis deinde pignus osculū exhibebant; vt hinc ēt pro ætatis illius vsu Paulus iuserit salutate inuicem, in osculo Sancto; ne s. fraudulento ac proditorio osculo, quale Iudas Christo præbuit, falsæ amicitiæ locus relinquatur. In Euangelio quoque Apostolis pręcipitur, vt beneuolentiam suam quam peregre venientes domum ingrediuntur, amica salutatione tanquam Christianæ charitatis signo, comprobent. Isti & humanitatis, & officij Ciuilis, & beneuolentiæ obliti; nedum ipsi salutare sed nec ab alijs salutatā esse volunt sanctissimam virginem. Forte salutationes nostras ad instar salutationis Iudæ, vel militum exprobrantium Christo, vel Nicanoris æstimatis: ne, s. salutando Beatam virginem vel illudamus ei vt milites

Quare non sunt Salutare virginē hæretici?

Matt. 23.

Rom. 16.

In fer. de annunc. virgin. militem, vel ipsam prodamus vt Iudas & Nicanor? verum in vos ipsos, idipsum potius quadrat. Salutandam censuerat virginem vester Spangebergius. Hæc est, inquit, salutatio, qua Sancta Trinitas virginem Mariam dignata est alloqui: ideo & nos non detrectemus, eam eiusdem verbis salutare. Ipsa canit in suo cantico. Humilitatem ancillę suæ respexit, ecce ex hoc tempore, beatam me prædicabunt omnes generationes. Si hæc verba sunt implenda, necesse est profecto esse homines, qui eam laudibus vehant & ornent. Elisabeth incæpit, Lucæ. 2. dicens. Beata quæ credidisti. Similiter & mulier Luc. 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Quis eam nunc beatam prædicabit? Iudæi Turcæ, gentes, hypocritæ & Pseudochristiani non faciunt, sed summa ignominia & blasphemia eam afficiunt. Quare peruerse agunt, qui præ nimia sapientia & sanctimonia, ferre non possunt, vt hæc salutatio recitetur. Proinde nostri erit officij qui Euangelion profitemur. Deinde obijcit sibi quod ab alijs, puta Caluino, Luthero, Bullingero, Ecclesię obiectum est. verum est, inquit, non esse orationem; nihil. n. in ea præcamur; sed est salutatio, qua S. Trinitas Mariam salutari voluit. Si ergo placuit Sanctæ Triadi; cur non itidem nobis placeat? Mouet deinde quæstionem. Num hac salutatione vti possumus; & respondet. Trifariam, inquit, hac salutatione vti licebit. Primum, inde discimus initium nostræ salutis, & redemptionis. Secundo videmus, quantam gratiam Deus Mariæ largitus sit. Tertio, tam gratuitis Dei beneficijs in operibus accedimur, & adducimur ad orandum Deum; vt & nobis vel scintillam Diuinæ impertiat gratiæ. Salutandam censuerat virginem vester Brentius, si, inquit, absit superstitio & impia opinio, non solum licebit verum etiam valde vtile est, hanc salutandi formam sæpius repetere. Quia Angelus ornat Mariam, in sua salutatione magnis laudibus, commemoremus salutationẽ non ad superstitionem sed ad pietatem. Primum quum recitamus Mariam gratia plenam, & benedictam inter mulieres, cogitemus hæc verba, significare Mariam præ omnibus mulieribus electam, vt sit mater benedicti seminis Abrahæ veri Messiæ: & excitemur ad gratiarum actionem, quod quæ Dominus tot retro sæculis de mittendo Messia, in orbem terrarum promisit; ea per Mariam virginem impleuerit. Deinde confirmemus fi-

Aliorum hæreticorum de salut. uirgine, iudicium.

Salutatione Mariæ trifariam vti possum.

Hom. 6. in 1. cap. Luc.

C 3 dem

dem nostram, non solum hoc nomine, quod ex hac salutatione certificamur, Christum iamdudum in hunc mundum natum, nec alium expectandum esse; sed etiam hoc nomine, quod Maria fuerit mulier in hoc sæculo humilis, & abiecta; elegit tamen ipsam Deus in matrem Christi filij sui. Cum igitur Deus sit tantæ clementiæ; fiduciam concipimus, Deum nos et in humilitate nostra respecturũ & saluaturũ. Salutãdã cẽsuerant virginem Lutherus & Reghius. Lutherus quidem, primum, ob eam rationem, vt eam salutationem tanquam piam aliquam meditationem accipiamus: in qua donorum quæ a Deo accepit Maria fiat enumeratio. Deinde vero, vt ceu votum addamus & præcemur, omnes vt sentiant & agnoscant eam talem esse, qualis hic prædicatur. Reghius vero Vrbanus, ille a magistro Luthero tantopere commendatus, vt eum de mortuum cathalogo sanctorum adscripserit, & magnis in Cœlum laudibus vexerit; is iure, inquit, & nos hanc virginem benedictam cum Angelo, & beatam appellamus cum Elisabetha, quæ beatitudinis & veræ salutis authorem Christum immaculata peperit: vt impleatur prophetia benedictæ virginis: quæ seruatorem nostrum in vtero gestans virgineo, cecinit. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est & s.n. eius. Cur ergo, inquit, Christiani hanc salutationem Angelicam quotidie recitant? respondet pedagogus, Reghij personam sustinens. Ad renouandum assidue memoriam maximi illius mysterij; quod Deus homo factus est in plenitudine temporis, ante 1596. annos; & quod promissiones Abrahæ & Patribus factæ, exhibitæ sunt. Beatissima.n. virgo Maria filia est Abrahæ & Dauidis, ex qua nobis genitus est Iesus Christus, vnicus ille saluator mundi. Quoties ergo salutationem repetis Angelicam, gratias agito ex toto corde misericordi & veraci Deo, qui sic dilexit nos, vt filium suum vnigenitum miserit in hunc mundum; vt homo factus, homines ab omni malo liberarit. Salutandam omnes isti censuerant virginem. verum subdolè, Nicanoricè, ad instar Iudæ proditoris. Salutando.n. deturpant honorem virginis. Deturpauit honorem virginis Spangebergius; dum illam non Deum sed hominem purum parturijsse commentus est. Deturpauit honorem virginis Lutherus: dum Mariã æq; sanctam esse vt Diuos alios

siue

in explicat salut. Angeli.

in minori Cathechismo.

in postil. de uisit. Mar. & Domin. 3. post Epiph.

intracta tu circa. 2.c. Ioan. siue etiam, vt nos, si modo in Christum credamus, arbitratus est. Deturpauit honorem virginis Brentius; dum humani nihil a Maria fuisse alienum, sed eam publico humani generis iudicio, quo peccato & iniustitię omnes subijciuntur, contineri: dicere veritus non est. Gladio transfixerunt doloris, animam virginis cęteri hæreticorum: dum aliquam notam vel virgini, vel cultoribus virginis, inurunt. Nos autem imitati Angelum, Elizabetham, Ecclesiæ vsũ, & sanctorum Patrum studiũ, salutamus uirginẽ quia inde discimus initiũ nostræ salutis & redemptionis: inde cognoscimus quantam gratiam Mariæ Deus largitus est. Salutamus quia ista salutatione significamus, Mariam præ omnibus mulieribus electam vt, sit benedicti seminis Abrahæ mater. salutamus, & salutando confirmamus fidem nostram, Christum s. iamdudum in hunc mundum natum nec alium expectandum. Salutando renouamus memoriam maximi illius mysterij, quod Deus homo factus est in plenitudine temporis: Salutando gratias agimus misericordi & veraci Deo, qui sic dilexit nos vt filium suum vnigenitum miserit in hunc mundum, vt homo factus homines ab omni malo liberaret. Salutamus, & salutando tanquam pia meditatione, donorum multitudinem quæ à Deo accepit Maria enumeramus: certo persuasi quicquid gratię in Maria primum laudauit Gabriel, id non solum post conceptionem verbi in matris vtero, sed post virginis etiam in Cœlos assumptionem ingentes accepisse profectus. Quando. n. illa sic in terris plena fuit gratia sicut nunc, dum post peractum Diuinæ dispensationis mysterium, & gratię & gloriæ bonis in Cœlo sempiternis afluit? Quando magis cum illa Dominus: præterquam eo loco, ubi sine impedimentis quæ mortales à vita cœlesti remorantur, Diuini vultus gloria perfruitur? & cum regnante filio coniunctissime viuit? Quãdo autem rectius, ac plenius inter mulieres benedicta: nisi cum perfecta & exhibita sunt illi, quæ matri suæ filius munera, & præmia maxima præparauit? donauit? impendit? Quum gratia, inquit Emissenus, plena sit Maria priusquam concipiat, post conceptionem quãta abundauit gratia, quis cogitare potest? Ad recensendum ergo hęc ineffabilia Mariæ charismata, diuersis etiam salutationib. vtimur. Dicimus cũ Andr. Hierosf. Salue lętitiæ Organũ,

Quare Beatã virginẽ salutamus.

in Euan. miss. est. Andreas Hierosolimit. oratione in salutat Angelic.

Salutarũt B. V. Patres & quomodo.

per quod delicti nostri condemnatio expiata, ac verí gaudij plena facta compensatio est. Salue magnificum Diuinę glorię Templum. Salue consecratum Regis palatium, Salue Thalame in quo Christi humanitas desponsata est. Salue electa Dei antequam nata fueris. Salue Diuina cum hominibus reconciliatio. Salue Thesaure vitę nostrę inuisibilis. Salue Coelum solis glorię cœleste tabernaculū. Salue Christi Ager amplissime, quem nullus alter locus nisi tu sola comprehendere potest. Salue Sancta uirginalis Tellus, ex qua nouus Adam, ineffabiliter, nouo modo formatus est, qui veterem saluti restitueret. Salue Sanctum Dei fermentum, quo tota humani generis massa conspersa est, & ex vno Christi corpore ceu panis factus est, in unum corpus incredibilis concretio. Salue Vrna aurea, quæ eum fers qui dulce manna reddit, ac mel a petra ingrato Israeli elicuit. Salue Seraphica mystici anthracis Fibula. Salue contemplatiuæ cognitionis speculum, per quod celebres spiritus prophetarum, incredibilem Dei ad nos descensionem, mystice adumbrauerunt. Salue Dioptra perspectiua; per quam qui in tristi peccatorum vmbra sedebant, recipientes de super cum gloria venientem ortum iustitię solem, mirabiliter illustrati sint. Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium Ornamentum, nec non inuestigabilium Dei oraculorum præconium verissimum. Salua sis noua glorię Arca, in qua Dei delapsus quieuit, Arca in qua est nouę sanctificatio glorię.

Epitheta virginis Mariæ

Dicimus cū Chrysippo itidem Hierosolym. Aue gratia plena. Aue quę vterum adepta es pręter naturam uel ipsis cœlis latiorem; quandoquidem per hunc comprehendisti Deum, quem nec cœli capiunt. Aue fons Lucis omnem hominem illuminantis. Aue solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Aue Armarium vitæ. Aue quę es Hortus Patris. Aue quę es pratum totius fragantię sancti Spiritus. Aue Radix omnium bonorum. Aue specimen gemme omne pretium excedentis. Aue uitis vuas pulchras producens. Aue nubes pluuię potum animis sanctorum exhibentis. Aue quę es puteus semper uiuentis aquę. Aue quę es rubus ardens igne spirituali, nunquam tamen adureris. Aue porta clausa soli Regi aperta. Aue mons unde lapis angularis abscisus est sine manibus.

in serm. de S. Deipara.

in orat. de Deipara dormit.

Dicimus cū Damas. Salue decus omniū honorificētissimū.

Salue

Salue o Deipara ac uerbi mater. Tu paradisi nobis claustrum aperuisti. Tu aditum nobis ad Cœlum patefecisti. Tu filio ac Deo familiares nos reddidisti. Dicimus cum Epiphanio. Aue gratia plena, multis uirtutibus exornata uirgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem sole splendidiorem. Aue gratia plena quę sitiétes perennis fontis dulcedine satias. Aue gratia plena, quę Cherubicum thronum Diuinitatis fulgore superas. Aue gratia plena, nubes columnę similis, quę Deum habes qui populum deduxit per desertum. Solo Deo excepto cunctis superior existis; natura formosior es, ipsis Cherubin, Seraphin & omni exercitu Angelico.

In serm. encomiastico uirgin.

Dicimus cum Syris, quorum lingua materna, Christus & uirgo usi sunt. Salue nobis Genitrix Dei, salue mater lucis. Salue quę similis es Rubo quem uidit Moyses. Salue nubes uelox de qua dixit Isaias gloriosus ca. 19. Salue quia ex te natum est Verbum ęterni Patris. Salue gestatrix uitę & lętitię mundi.

In orat de hipop. Domini.

Dicimus cum Methodio martyre. Salue inęternum ineffabile gaudium nostrum. Ad te recurrimus, tu pręciosa cęlestis regni Margarita, tu Animatum altare panis uitæ. salue Diuinę charitatis promptuarium; tu uere fons uberrimus totius sanctitatis, Salue humanitatis Filij fons. Salue spiritus S. Vmbraculum. In te perbenignus ille conditor feruentissimę charitatis flamās, quasi confertos quosdam solis radios est ciaculatus. Tu ante omnia secula conceptum in fine temporū enixa es. Tu patefecisti inaspectabilis Patris filium; per quem nobis fit pax & gaudium restitutum in sęculorum sęcula. Amen.

REGI-

REGINA MVNDI

Egredietur virga de radice Iesse, & Flos de radice eius ascendet. Isaiæ. 11.c.

CONCIO TERTIA

In qua genealogia & prosapia Regalis Beatæ virginis deducitur.

ARCANORVM Diuinorum indefessus scrutator Zacharias Propheta: dum contemplaretur reuelantem Dominum; una dierum, uisionem mirabilem iucundam simul & terribilem, mentis oculo illustrato, aspexit, *Vidi, ait, & ecce Deus assumpsit sibi duas virgas; unam vocauit Decorem, & alteram vocauit Funiculum: & pauit gregem. Et tulit virgam quæ vocabatur Decor & abscondit eam; vt irritum faceret fœdus suum quod percusserat cum omnibus populis. Et in irritum deductum est in die illa, & cognouerunt sic Pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia Verbum Domini est. Et præscidit virgam suam secundam quæ, appellabatur funiculus, vt dissolueret germanitatem inter Iudam & Israel. Et dixit Dominus ad me. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet.* Quæ nam sit hæc virga? uideo vos summa cũ auiditate velle ex me edoceri. Quæ nam sit virga? Decora? funiculus? Abscondita? in qua Deus irritum facit fœdus populi? in qua verbum Domini est? in qua dissoluit germanitatem inter Iudam & Israel? post quam suscitat idolum non pastorem? Aestimo quia virga est, Virgo Beatissima. hoc enim nomine appellauit eam Spiritus Sanctus. [a] Quæ est ista quæ ascendit per desertũ sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & turris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Virgo Beata, virga illa [b] populea est posita a Pastore bono ante conspectum ouium, vt ab illius facie concipiant

Zach. 11 c.

Allegoria uirgarum Zachariæ.

B. Maria uirga est.

a Cant. 3 Bern. ho. 3. in missus est.

b Gene. 30.

cipiant oues & parturiant, ſpiritum timoris & amoris: & germinent fructum virtutum & operum bonorum. Virgo Beata, virga eſt illa a Moyſis conuerſa & abſorpta per amorē in Chriſtum ſerpentem. ſicut enim qui adhæret meretrici efficitur vnum corpus cum ea, ſic qui adhæret Deo efficitur vnus ſpiritus cum eo. Virga Moyſis, B. Virgo eſt ait Bernardus, qua feriente, aqua vel diuiditur tranſituris, vel de petra excutitur habituris. Virgo Beata virga eſt; illa cuius b faſtigium Iacob moriens adorauit. cum qua c tranſiuit Iordanem d: cum qua Banaias deſcendit & rapuit haſtam Aegyptij & occidit eum, e cuius tranſitus fundatus, quam requieſcere fecit Dominus ſuper Aſſur, & qua in bellis præcipuis expugnabit eum. Virgo Beata, virga eſt Aaron f. quia ſicut illa protulit quod ante non habuit; non radicata plantatione, non defoſſa ſarculo; non animata ſucco, non fæcundata ſeminario; ſic & iſta virgo, cum illic deeſſent vniuerſa iura naturæ, protulit quod nec ſemine ſuggeri potuit nec radice. Virgo Beata, virga eſt *Decora* vt Propheta dicebat; vox enim tua dulcis, ait ſponſus, & facies tua decora. *Abſcondita* in vmbra ſpiritus ſancti. Spiritus ſanctus ſuperuenit in te, & virtus Altiſſimi obumbrauit tibi. *In qua Deus irritum facit fœdus populi*; quia non ex virili ſemine, (quod fœdus pepigerat Deus cum generantibus cunctis, vt ex commixtione maris & fœminæ præcrearent.) ſed myſtico ſpiramine, Verbum Dei factum eſt Caro. *In qua pauperes gregis qui cuſtodiunt mihi, cognouerunt verbum.* g Etenim paſtores qui erant in regione illa vigilantes & cuſtodientes vigilas noctis ſuper gregem ſuum; poſt Angelorum concentum & reuelationem, loquebantur ad inuicem. Tranſeamus vſque in Bethleem, & videamus hoc VERBVM quod Caro factum eſt. quod fecit Dominus & oſtendit nobis. *In qua virga diſſoluit germanitatem inter Iacob & Iſrael.* ſcilicet inter templum & adorantes; quia h venit hora vbi neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem. venit hora quod non i ſolum in Iudæa notus eſt Deus, neque in Iſrael tantum eſt nomen eius ſanctum, Sed k cognoſcent me omnes vſque ad minimum. venit hora vt l iam amplius non alligabunt onera grauia & inſuportabilia, m iugum ſcilicet illud quod neque nos neque Patres noſtri portare potuerunt. venit in hac

virga

a Exod. 3 Ambr. li. 10. epi. 81 Bern. ſer. 2. ſuper miſſus.

b Hebr. 11.

c Gen. 32

d 1. Para. 11.

e Iſai. 30.

f Num. 7 Chriſoſ. in Geneſ. Damaſ. lib. 4. c. 8. Ber. ho. 2. ſuper miſſus Auguſt. lib. 23. cōt. Fauſ. cap. 9. & ſer. 3. de tempore.

g Luc. 2.

h Ioan. 4.

i Pſal. 75

k Hier. 31.

l Mat. 23

m Act. 16.

Explicatio Prophetiæ Zachariæ distincta.

virga tempus illud fęlix, quo hic *funiculus* B. Virgo, abſciſſus a Synagoga, adiunxit, & colligauit nos Chriſto. [a] In vinculis Adam traham eos in funiculis Adam & charitatis, Beata Virgo virga eſt. *poſt quā ſuſcitauit idolum non paſtorē.* Synagoga .n. infęlix nō hēt amplius nec Moyſen nec Dauidem, nec Aaron, qui derelictum a Tito & Veſpaſiano ſemē illorum viſitet; diſperſum per totum mundum quærat; contritum ſanet, & id quod ſtare videtur enutriat. Beata virgo virga eſt, verum *exciſa* ab illo funiculo, & abſciſus ab ea funiculus Synagogæ, illius quæ habebat tot colligationes & funiculos quibus ligabantur tabulæ cortinæ, ſaga & opertoria, vela tabernaculum, veſtes, balthei, feminalia, pectoralia & ſuper humeralia Sacerdotum; & non ſolum hos funes ſed & colligationes impietatis. Abciſa eſt B. Virgo, ab impia Synagoga non enim eam amplius vel ceremoniarum ritibus, vel ſacrificiorū cultu, vel expiationum varietate obligat Chriſtus. ſi quidem morte ſua, & illam, & nos oēs a maledicto legis liberauit. Poſt hebdomades ſexaginta duas, (prædixerat Daniel) [b] occidetur Chriſtus & non erit eius populus qui eum negaturus eſt. Et Ciuitatem & ſanctuariū diſſipabit populus, cum duce venturo; & finis eius vaſtitas, & deficiet hoſtia & ſacrificiū; & erit in templo abominatio deſolationis; & vſq; ad conſummationē, & finē perſeuerabit deſolatio. Beata Virgo (vt ad [c] Auguſtinum redeam) virga eſt illa Aaron, quæ nobis Chriſtum verum Sacerdotem concepit, & peperit, de quo Dauid cecinit, Tu es ſacerdos inæternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Superiori namq; verſu iam dixerat. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. Et Iſaias Propheta (quæ verba nos pro fundamento concionis, inducti authoritate [d] Hieronymi [e] Tertuliani. [f] Leonis Papæ, [g] Ambroſij. [h] Damaſceni [i] & Bedæ, accepimus) apertius Mariam Sanctam deſignat dicens.

Virga Aaron. B. Virgo.

Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Quod ergo virga hæc nuces prædixit, inquit Auguſt. imago Domini Corporis fuit. Nux enim trinam habet in ſui corpore ſubſtantiæ vnionem. Corium, teſtam & nucleum. In corio caro; in teſta oſſa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis, carnem deſignat Saluatoris, quæ habuit in ſe aſperitatem ſeu amaritudinem paſſionis, in nucleo interiorem dulcedi-

a Oſeæ. 11.
b Daniel. 9.
c ſer. 3. de temp.
d epi. 22. ad Euſtachium & ſuper Iſa. lib. 4.
e li. 5. cōt. Marcionem.
f ſer. 4. de Nat. Domin.
g lib. 2. de Spiritu ſanct. c. 5.
h libr. 4. Orth. f. c. 8.
i hom. in Gallicantu Nat. Domin.

dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum, & luminis subministrat officium. In testa lignum interserens Crucis, quod non discreuit, id quod foris & intus fuit, sed quæ terrena fuerunt & Cœlestia, mediatoris ligni interpositione sociauit. dicente B. Apostolo quia ipse pacificauit per sanguinem Crucis, siue quæ in Cœlis, siue quæ in terris sunt. Ipse est scilicet Christus, ait Tertullianus: flos de virga profecta ex radice Iesse; radix autem, Iesse; genus, Dauid; virga ex radice, Maria ex Dauid; flos ex virga, filius Mariæ qui dicitur Iesus Christus, ipse erit & fructus. Beda vero. Egressa est virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendit; quia intemerata virgo Maria, de stirpe Dauid orta est: de cuius carne Dominus in Ciuitate Nazareth, veritatem carnis sine inquinamento carnis assumpsit. Egredietur virga virgo Maria de radice Iesse, & flos de radice eius ascédet. virgo Regina mundi Regum progenies. quæ secundum Mathæum, in suo stemmate quatuordecim Reges; tot deinde Duces & Heroas; Principes & sacerdotes; Patriarchas, & Prophetas longa serie computabat.

Colos. 1.

Math. 1. c.

Si vobiscum tantum modo. N. qui Reginæ huic, suos titulos conceditis egissem, credidissem hac raciocinatione mea, omnem vobis exemptum esse scrupulum. Ast quia ex *a* deserto quorundam crebro, sibilus non quidem auræ tenuis, sed *b* veterum & nouorum hæreticorum ventus furens, & domos Regum subuertens, me perflauit; Manicheorum scilicet Faustinianorum & Celsianorum. Aetate *c* Origenis prodierat impudens Celsus; qui non modo Mariæ, humile & simplex vitæ genus, quod Fabri esset coniunx; nō modo illudens Mariæ, nec fortunatam, nec Regiam prolem, adeoq; vix suæ viciniæ notam, sed potius exosam fuisse dicebat; sed & Christianis hoc nomine insultare veritus non est. Aetate *d* Augustini, Faustus prodijt Manicheus, imo Manichæorum sui temporis princeps. Qui tametsi Mariam Hebræam, ex Iudaicis ortam parentibus fateretur, quod nemo plane nisi stolidus negaret; tamen genus illius ad tribum Leui, potius quam Iuda referendum esse contendit. Aetate nostra prodijt Caluinus: qui Deiparam, prohpudor, puellam obscuro loco natam, ignobilem, nec vllius coram mundo precij, contemptam & contemptibilem facit. Lutherus autem, inopem, abiectam, afflictam, despectam, vilem, nullius.

a 3. Reg. 19.
b Iob. 1.
c Origen. lib. 1. & 2. cont. Celsum.
d August. lib. 23. cont. Faustum c. 9.
in hac Euan.
in exposit. Cantici magnif.

Hæreticorum de virginis genealogia, sententia.

lius coram mando existimationis ac pretij puellam; quæ in summa vilitate vixit & permansit. Secutus est illos, & Brentius; idem, eodem odio infectus in Beatam virginem, virulento ore & scripto pronuncians. Hæc omnia ex stolido fantasmate, contra omnium scripturarum authoritatem, vt Augustinus dixerat Fausto, profecta, quis auribus æquis audiet? Quis ista, cum nulla fulciantur ratione, comprobabit? Sunt ista omnia contra Scripturarũ authoritatem, vt videre non difficile est. Lege Diuina firmatum erat, vt Israelitæ nubant quibus volunt: tantum vt suæ tribus hominibus: ne scilicet commisceatur possessio filiorum Israel, de tribu in tribum. *Omnes.n.viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fæminæ de eadem tribu maritos accipient; vt hæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt a Domino separatæ sunt.* Maria aut fuit coniuncta in matrimoniũ Iosepho de tribu Dauid; vt Euangelista clare locutus est: contribulem igitur necesse est esse Mariam Iosepho. Quod etiam vt testarentur, dum descriptio esset vniuersi Orbis, secundum edictum Cæsaris Augusti; Ascendit Ioseph a Galilæa, de Ciuitate Nazareth, in Iudæam in Ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethelem: eo quod esset de domo, & familia Dauid; vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Vbi obseruauit Rupertus & ante eum Augustinus, non temerè Lucam indicasse Ioseph & Mariam, vt censum Cæsari penderent, sub ipsam Christi Natiuitatem, a Galilæa in Iudæã esse profectos; vt se Bethleemitici oppidi Ciues, quod sub tribu Iuda continebatur, ambo profiterentur. Quod si aliquis ex vestris illud Fausti, nobis obijcere cupit. Quare ergo Euangelistæ quum Christi genealogiam tractant, longamque tot generationum seriem texunt, successionem omnem non ad Mariam, sed ad Ioseph vsque deducunt? Respondemus cum Augustino, cui etiam hoc idem obiecerat Faustus infaustus. In eo personam Ioseph, propter virilem sexum honorari; satisque Christi Virginem Matrem, adeoque Christum ipsum, quod ex semine Dauid originem trahit, ab Euangelista commendari. Dicimus cum Eucherio, quod ideo per generationem Ioseph origo significatur; quia consuetudo scripturarum est, virorum potius quam fœminarum seriem in gene-

[Margin notes: in Euan. visit. Mariæ. — Num. 36 — Luc. 1. — Luc. 2. — lib. 11. de Victoria uerbi Dei c. 18. — Cur Euãgelistæ nihil de prosapia Mariæ scripserunt. — li. 23. con tra Faustum. — li. de difficilib. quæstio. noui Testam.]

in 3. cap. Luc. generationem contexere. Vnde Ambrosius testatur. In Ioseph origine Mariæ originem demonstrari. Quia quum ille vir iustus fuerit, non potuit contra id quod lege præceptum erat facere, sed secundum legem ex Tribu, patriaque sua uxorem accepit. Licitum ergo nobis est cum Bernardo inferre, non tantum Ioseph, sed & Mariam descendisse de domo Dauid; alioquin non esset desponsata viro de domo Dauid. Sed in altera completa est veritas quam iurauit Dominus Dauid, altero tantum conscio, & teste adimpletæ promissionis. Maria ergo est Regina mundi, ex Regali Iessea familia exorta.

Hom. 2. de Beata Virg.

Quod si vera ut verissima, & ab omnibus gentibus, & populis, approbata, est communis illa conceptio Iurisprudentium. *Ventrem sequitur Partus*. scilicet qualis partus talis venter; si Regius partus, Regius & vterus; huius familiæ proles, huius familiæ, & parturiens; accedente præsertim in præsenti controuersia mandato Diuino. Omnes autem scripturæ, aperte clamant, Christum filium virginis, ex semine Dauid ortus sui initia, secundum naturam in tempore assumptam, ducere. Clara est imprimis promissio illa Dei, facta gentium Magno Parenti Abrahæ. Possidebit, inquit, semen tuum portas inimicorum suorum, & Benedicentur in semine tuo, omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Adnotauit Paulus, *cur nō dicit in seminib. quasi in multis sed quasi in uno, et in semine tuo*, vt insinuaret scilicet quod nō de alio nō de Isaac sed de Christo intelligendæ erāt Diuinæ promissiones. Non enim in Isaac benedictæ sunt omnes gentes, sed in Christo, Alias Iacobo Patriarchæ non inculcaretur, hæc eadem promissio. Dilataberis ad orientem & occidentem, & septentrionē & meridiem, & benedicentur in te *& in semine tuo cunctæ tribus terræ*. Vt autem certius constet de quonam semine accipienda erant verba Diuina (ne scilicet Paulo, & Euangelistis, imputetur violenta explicatio scripturarum) ipse Patriarcha sanctissimus Iacob edoctus oraculis Diuinis, manifeste expressit. Dū enim moriturus benedixisset suis filijs, Principibus futuris Tribuū; & alijs habitationem in littore maris, & in statione nauium vsque ad Sidonem; alijs requiem quod esset bona & terram quod esset optima; his pinguedinem panis, præbentem delicias Regibus; illis eloquia pulchritudinis: istis vero benedictiones

Ventrem sequitur Partus

Christus filius Dauid. & Abraam.

Genes. 22

Galat. 3.

Gen. 28.

Gene. 49

Cœli

Cœli desuper, benedictiones abyssi iacentis deorsum, benedictiones vberum & vuluæ; donec scilicet veniret desiderium collium æternorum, assignasset & reliquisset; ne ignota esset illis benedictio suprema, cuinam tribui relicta esset; & quamnam personam contingeret, uocato Iuda filio suo hæc verba ad eum locutus est. Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij Patris tui; Catulus Leonis Iuda; ad prædā fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit Expectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem o fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Quæ verba quam pulcherrime conueniant in Christum, præter authoritatem Sanctorum Patrum. Ambrosij. Chrysostomi. Augustini. Cyrilli. Origenis. Tertulliani. Bernardi. ipsa manifeste declarant. *Iuda, inquit, te laudabunt fratres tui.* Quis aūt magis laudatus a fratribus suis quā Christus? Tam præclara in laudē Christi enūciarunt discipuli eius vt maiora dici nequibāt. a Tu es Christus filius Dei viui, dicebat Petrus. b Alij vero. Domine quo a te ibimus, verba æternæ vitæ habes. Alij c vere filius Dei erat iste. Alij d Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. Alij. e qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Alij mirati opera eius. f Qualis est hic quia venti & mare obediunt ei. Alij cum vidissent quod Iesus fecerat signum dicebant g Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.

Prophetię Iacob de Christo explicatio.

Adorabunt te filij Patris tui. Nonne discipuli Christi post resurrectionem eius adorauerūt eum? h vndecim discipuli, ait Matthæus, abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus. & videntes eum adorauerunt: quidam autem scilicet Thomas, dubitauerunt. Habuit euentum suum, o Christe, non i somnium tuum sed prædestinatio Patris tui, vt Sol & Luna, scilicet Pater tuus putatiuus, & vera genitrix tua, & stellæ vndecim lucentes k in perpetuas æternitates, l lumina illa mundi adorarint te. *Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum.* Dabo enim tibi gentes, ait Deus ad filium, heredi-

a Matth. 16.
b Ioan. 6.
c Matth. 25.
d Luc. 11
e Matt. 3.
f Matt. 8.
g Ioan. 6.
h Matth. 28.
i Gen. 37.
k Dan. 12.
l Matth.

hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes
a Psal. 109. eos. *Manus tuæ, in ceruicibus inimicorum tuorum.* a Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Manus*
b Marc. 11. Matt. 21. Luc. 19. *tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum.* Demonstrauit bene hanc suam virtutem, dum facto b flagello ex funiculis, cæpit eijcere vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, & non sinebat vt quisque transferret vas per templũ. Domus.n.mea inquiebat,
c Apoc. 5. domus orationis vocabitur cunctis gentibus. *Catulus Leonis Iuda.* Quis vero c Leo de tribu Iuda, radix Dauid nisi Christus? *Ligans ad vineam pullum suum.* quam uere in eum quadret; meministis illius solennis ingressus Christi in vrbem, de
d Zacha. 9. quo etiam monebat propheta, Hierosolymitas. Exulta satis filia d Syon, iubila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus uenit tibi iustus & Saluator, ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ. *Non auferetur sceptrum ex Iuda*
e Dan. 9. *donec veniat ille qui est expectatio gentium.* e Septuaginta ait Daniel. hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum; & super vrbem sanctam tuam, vt consumetur præuaricatio & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur
f Luc. 2. Iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia & vngatur sanctus sanctorũ. *Ipse erit expetatio gentiũ.* Xpus aũt erat f Lumẽ ad reuelationẽ gentiũ & glãm plebis suæ Israel, vt de eo ꝓ
g Luc. 1. phetabat Simeon. Ioannes vero Pater supplicabat. Illuminare g his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Lauabit in vino stollam suam*
h Isai. 63. *& in sanguine vuæ pallium.* Quis vero sanguine maculauit vestimentum suum. nisi Christus? ipse enim est h qui torcular calcauit solus & de gentibus non erat vir secum. Ipse calcauit eos, scilicet peccatores in furore suo, & aspersus est sanguis eorum, super vestimenta sua. & omnia indumenta sua inquinata sunt. Ipse est quem interrogarunt Angeli. Quare rubrũ
i Isai. 53. est indumentum tuum & vestimenta tua sicut calcantium in
k Isai. 63. torculari? Ipse est quem i vt infirmum & despectum, vulneratũ propter iniquitates nostras admiratæ sunt virtutes Cœle- Allusio ad Longinum militem.
l Ioã. 19. stes. k Quis est iste qui venit de Edõ tinctis vestib. de Bosra? Ipse, est de cuius latere l exiuit sanguis & aqua, illuminantes ocu

D los

los militem (militia enim vita nostra est super terram) militantium in hac vale miseriarũ, in hoc miseriarũ oĩum exilio.

Has easdem promissiones Deus ipse Dauidi inculcabat. *a* Semel, inquit, iuraui in sancto meo si Dauid mentiar, semen eius in ęternum manebit. & thronus eius sicut sol in conspectu meo & sicut luna perfecta inæternum & testis in Cœlo fidelis. *b* si, (talia iuuamenta fecerat Deus) inquit, irritum potest fieri pactum meum, cum die & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo, pactum meum irritum esse poterit, cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius. *c* Iurauit Dominus Dauidi & non frustrabitur eum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Quale autem semen, qualis Rex iste futurus erat? ne dubietati relinquatur locus, ipse Dauid explicauerat alibi. Talis erit filius Regis cui Deus iustitiam dabit. quod *d in diebus eius suscipient montes pacem populo, & colles iustitiam*. Susciperent, montes pacem, Montes illi, secundum Greg. sublimes scilicet Angelorum virtutes, quæ hic nos ministrando & adiuuando reficiunt: quæ Deo largiente in omni nos certamine protegunt: quæ defensione sua contra aduersarios ex omni latere nos muniũt. Montes de quibus idem Psaltes dicebat *e* quod sunt in circuitu populi sui. hi ergo montes susceperunt pacem populo nunciandam. *f* Gloria in excelsis Deo & in terra pax homnib. Colles vero illi qui stillant dulcedinem susciperent iustitiam. Euntes *g* in mundũ vniuersum docete; ita eis pręcipiebat Christus, omnes gentes. Talis erat filius Regis, *qui iudicaret & saluaret filios pauperum*, iuxta qđ Deus ipse pollicebatur. Non *h* amplius vocaberis paupercula, derelicta, tempestate conuulsa & absque vlla consolatione, *i* ego enim eos qui iudicauerunt te iudicabo, & filios tuos saluabo. ego cibabo hostes tuos carnibus suis. & quasi musto sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Talis erat *qui saluaret filios pauperum*, pauperum illorum eiectorum ex domo & hæreditate propria; quibus Deus, nihil præter pelliceos, ossa & carnem, post illud Dominium Orbis terræ contulit; filios pauperum saluaret exulens filios Euæ, *k* Ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum. Talis erat qui non saluaret modo filios pauperum.

sed

Marginalia: Christus qualis persona Dauidi promissa. — a Psal. 88 — b Hiere. 33. — c Ps. 131. — d Ps. 71. — e Ps. 124. — f Luc. 2. — g Mar. vlt. — h Isai. 54. & 49.

sed & humiliaret calumniatorem, Calumniatorem illum post
a Apoc. 12. cuius è Cęlis deiectionem cantabant sancti a nunc facta est salus & virtus & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Talis erat filius Regis, *qui humuliaret calumniatorem* humiliatus est aût b ait Glosa, calumniator Diabolus in Christi passione c vt ipse denunciauit Saluator. Nunc iudicium est mundi & princeps huius mundi eijcietur foras. Ipse Christus est d qui humiliauit sicut vulneratum superbum: & in brachio suo dispersit inimicos suos. Ipse est qui summa cum indignatione & potentia fugauit Dęmonem e vade Sathana, & reliquit eum Diabolus. Ipse est f Iesus sacerdos magnus visus a Zacharia, a cuius dextris stabat Sathan vt aduersaretur ei: Quem ille furore vocis Patris sui adorsus Increpet Dñus in te Sathã, & increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem, nunquid non iste torris est, erutus de igne? postrauit, deiecit. Talis erat futurus filius Regis, *qui permaneret cum sole* qui vt ait Paulus g esset splendor glorię Dei, & figura substantię eius, portans omnia verbo virtutis suę per quem fecit sæcula, qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: *Qui permaneret ante Lunam*; quem h ante Luciferum genuisset Deus, qui nobiscum esset & heri & hodie, ipse & in sæcula: qui k antequam Abraam fieret, progenitus esset secundum Diuinitatem: qui scilicet neque initium neque finem sciret, sed esset sine principio & sine fine. principiũ & finis. Alpha & O, Talis futurus erat filius Dauidis, qui secundum naturam humanam & temporaneam generationem in veterum virginis *descendere debuit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*: scilicet non ex cognitione viri, sed ex spiritus sancti superuentione; non per strepitum generationis naturalis, & communis, sed per Virtutis Diuinæ obumbrationem. *Sicut stillicidia stillantia super terram*, leniter, dulciter, qui non corrumperet implendo sed perficeret illabendo virginea claustra. Talis futurus erat filius Dauidis, *in cuius ortu oriretur abundantia pacis*, in cuius ortu multitudo militiæ Cœlestis exercitus concineret. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; in cuius ortu describeretur ob fęlicissimæ pacis vsuram, vniuersus Orbis: in cu-

b Glos. in Euang. Ioannis. c Io. 12. d Psal. 88 e Matt. 4. f Zach. 3. g Hebr. 1 h Ps. 109. i Hebr. 11. k Ioan. 8.

ius diebus oriretur iustitia, illa de qua dicebat. Nisi a abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, non intrabitis in Regnum Cœlorum; in cuius diebus oriretur abundantia Pacis. b Pax vobis. Pax vobis. Pacem meam do vobis. Pacem meam relinquo vobis & non quomodo mundus dat vobis. mundus enim dat ad tempus, & hanc pacem quæ potius belli quam pacis nomine censenda est, ego autem & hanc veram & non ad tempus *sed donec auferatur luna*. Luna scilicet illa c quæ eleuato Sole stetit in ordine suo. quæ me ascendente in Cœlos, in prædicationis authoritate roborata est. Luna scilicet Ecclesia, donec auferatur, donec transferatur de statu mortalitatis ad immortalitatis gloriam. Talis futurus erat filius Dauidis qui *dominaretur a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos Orbis terrarum*. cuius militum & præconum d in omnem terram exiret sonus, & in fines orbis terræ verba eorum. Talis futurus erat filius Dauidis *coram quo procidérent & cuius inimici terram lingerent:* ad quem Aethiopes horridi per e Matthæum adducti; quem f Eunuchi Candacis Reginæ per Philippum baptizati, poplite flexo adorarent, Quem videntes Reges & Principes g consurgerent & vultu in terram demisso adorarent, & puluerem pedum illius lingerent. Ad h quem venirent curui filij eorum qui humiliauerunt eum, & adorarent vestigia pedum suorum omnes qui detrahebant illi. Talis futurus erat filius Regis, *cui Reges Tharsis & insulæ munera offerent, cui Reges Arabum & Saba dona adducerent; quem adorarent omnes Reges terræ*, in i cuius ortus splendore, ambularent Reges; ad quem inundatio camelorum, dromedarij Madian & Epha, & omnes de Saba venirent, aurum & thus deferentes & laudem ei annunciantes ad k quem, in diebus Herodis Regis, Magi ab oriente venirent, & inuento puerulo cum Maria matre eius procidentes adorassent eum, & apertis thesauris suis offerent ei munera aurũ, thus, & myrrham. Talis futurus erat filius Regis qui *liberaret pauperem a potente*, filios illos pauperum, pauperes qui cum Iobo dicebant. nudus egressus sum de vtero matris meæ & nudus reuertar illuc. liberaret pauperem & talem qui cõquærebatur, eo quod non erat ei adiutor. l Perijt enim fuga a me & non est qui requirat animam meam. Qui liberaret paupe-

a Mat. 5.
b Ioã. 20.
c Abac. 3.
d Psal. 18
e in vita Matthæi.
f Act. 8.
g Isai. 49.
h Isai. 60.
i Isai. 6.
k Mat. 2.
l Ps. 141.

pauperem a potente, Potente illo qui circuerat terram, & perambulauerat eam: qui vt [a] Gregorius ait, iniquitatis suę impresserat vestigia, qui cadens de sublimibus humanas mentes iure possederat, quas in culpæ suæ vinculo nolentes astrinxerat; qui tanto latius est in mundo vagatus, quanto a reatu illius quisque per omnia liber inuētus nō est. qui liberaret pauperē à Potente illo [b] cui non est potestas in terra quæ comparetur: cuius corpus quasi scuta fusilia. & oculi eius vt palpebræ diluculi: de cuius ore lampades procedunt vt tedę ignis accensæ; cuius sternutatio splendor ignis; de cuius naribus procedit fumus sicut ollæ succensæ atque feruentis. cuius halitus prunas ardere facit: quem cum appræhenderit gladius sit etiam gladius Goliæ, subsistere non poterit; qui reputat ferrum quasi paleas, & æs quasi lignum putridum; quem non fugabit vir sagitarius; qui in stipulam vertit lapides fundæ; qui vt stipulam æstimabit malleum; qui deridet vibrantem hastam. a tali potente qui factus est vt nullum terrenum timeret. Talis futurus erat filius Regis qui *pauperū aīas ex vsuris et iniquitate redimeret*; ad quē vt olim ad suū Patrē Dauidē in speluncā Odolę, [c] in cauernā maceriæ, in foramina petræ, venirēt omnes qui essēt in angustia constituti, & oppræssi ære alieno & amaro animo: ad quem [d] essent appropinquantes publicani & peccatores. [e] Zacheus vsurarius. Mathæus thelonearius. [f] Petrus apostata. [g] Magdalena publica peccatrix. [h] Latro homicida. De quo diceretur. hic peccatores recipit & manducat cum illis. cuius officium esset, non iustos sed peccatores ad pęnitentiā vocare. Talis futurus erat filius Dauidis. *cuius frumentum*. (seu secundū Hieron memorabile triticum) *esset in terra in summis montium*, cuius frumentum cadens in terram mortuum esset, & multum fructum afferret: ita vt superextollatur super Libanum fructus eius, & floreat de Ciuitate sicut fœnum terræ. cuius frumentum esset in summis montium. panis scilicet ille qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo, qui est vere cibus quem ille qui manducat viuet inæternum. Talis futurus erat filius Dauidis: *qui uiueret ineternum: cuius nomen esset benedictum in sæcula; cuius maiestate repleretur omnis terra; cui daretur de auro Arabiæ de quo* suadebat Angelus cuidam. suadeo tibi emere aurum ignitum; de quo adorarent & benedicerent

[a] 2. Moral. c. 22.
[b] Iob 41.
[c] 1. Reg. 22.
[d] Luc. 15.
[e] Luc. 19.
[f] Luc. 5.
[g] Luc. 22.

Dæmonis potētia.

semper tota die illa tenebras ignorante. clamantes Sanctus a Sanctus, S. Dominus Deus omnipotens qui erat & Qui est, & Qui venturus est iudicare viuos, & mortuos. Quæ omnia quam propria sunt & sint Christo qui est b Filius Dauid. c Rex Israel. d Leo de tribu Iuda. e stella ex Iacob. f Dux & rector populi Dei. g Dominator in domo Iacob. h super solium Dauid sedens, i sedem habens æternam. vosipsi videtis. Confirmauit hanc veritatem Paulus Timotheo suo k scribẽs, & præcipiens. memor, inquit, esto Dominum Iesum Christum resurrexisse ex mortuis. *ex semine Dauid secundum Euangelium meum.* Confirmauit & Matheus secundum Euangelium suum, quod in Iudæorum gratiam scripserat, statim in capite libri de ipso scribens, l Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. filij Abraam. Confirmarunt & Pharisæi Iudæorum in scripturis peritissimi, & a Christo alienissimi dum a Christo rogantur. m Quid vobis videtur de Christo cuius filius est? Illi expeditè profitentur Dauidis esse Filium Quod si *partus ventrem sequitur*. Christus autem filius virginis, nihil a Iosepho sed tantum a virgine, (est.n. tantummodo virginis semen) est filius Dauidis & Abrahæ; quomodo ergo Maria nõ erit filia Dauidis & Abrahæ? quomodo non erit virga Iessęa? quomodo non erit virga illa decora, regia, abscondita? cum etiam idipsum etiam Gentiles agnoscant. Orietur inquit Balaam. n stella ex Iacob & consurget virga de Israël, & percutiet Duces Moab; vastabitque omnes filios Seth. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias Ciuitatis. *Paupercula*, (inquit Lutherus cum Celso & alijs) *erat, contempta & contemptibilis, nullius coram mundo pretij*. Quasi vero fortuna in suo mutabili curru nunquam voluatur? quasi vero nullus sicut ex egeno Diues, vt constat de Saule & Dauide quos de stercore erexit Dominus, vt sedeant cũ principib. & soliũ glorię tenerẽt: ita vice uersa ex Diuite, Rege, principe pauper, inops, vilis & abiectus efficiatur? Vnus, sufficiat Nabuchodonosor, qui vitam Regalem & solium Regium, cum vita iumentorum & presepi commutarat: sufficiat & ille qui de altissimo Solio in rogũ deiectus ardentẽ exclamauerat. O Solõ Solõ. Dominus.n. vt fatebatur Anna, pauperẽ facit & ditat, humiliat rursus & subleuat, suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem. Quasi vero paupertas,

quæ

Maria filia Dauidis & Abrahæ.

Paupertas non priuat Regia genealogia Mariam.

a Apo. 4. b Math. 1. c Luc. 1. Ioan 1. d Apo. 5. e Nũ. 24. f Micheę 5. g Malach. 3. & Luc. 1. h Isai. 9. i Dani. 7. & Luc. 1. K 2. Tim. 2. l Mat. 1. m Mat. 22 n Nu. 24. 1. Reg. 2.

quę est contempti honoris, & amatæ submissionis specimen, non plus eximiæ uirtutis, verique decoris quam diuitiarum copia homini adfert? Beati sunt nō diuites auari, sed pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Et sicut Christus propter extremam pauperiem Dominus & Rex esse non desijt, quin potius nominis sui gloriam illustriorem reddidit, quum oblatum Regium honorem recusauit, & sicut Paulus inquit, seipsum exinaniuit. Sicut Ludouicus. Cantacuzenus, Iosaphat, deposito Regio diademate, & summo vitæ splendore in monasticum uilem, obscurum, abiectum commutantes, Regiæ sobolis esse non desierunt; quin potius tanto nobiliores extiterunt, quo seipsos religionis gratia, submissius abiectiusq; gesserunt: Ita neq; B. Virgo licet abiecta, uilis pretij apud mundum, paupercula sed in spiritu fuerit; Regiæ stirpis esse desijt, quin potius tanto maiorem honorem adepta est. quò ipsa pauper pauperis filij Mater, paupertatem uoluntariā quæ secundum Chrisost. manuductrix est quædam in uia, quæ ducit ad Cœlum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus magnus, & tranquillus, alijs exemplo suo prima monstrauit. Maria ergo virgo ex Regali prosapia, quia Regem Regum protulit, ut uirga decora exorta est.

Ioan. 6. Philip. 2. Ser. 18. su per Epist. ad Hebr.

Ventrem partus sequitur. Christus uero filius uirginis non tantum Rex, sed & Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech fuit. Pontifex ut ait Paulus, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in Cœlis; Sanctorum & tabernaculi ueri, quod fixit Dominus Deus & non homo, minister. Nunc melius sortitus ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Pontifex qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, & emundauit conscientiam nostram, ab operibus mortis, ad seruiēdum Deo uiuenti. Virgo quoque Beata *virga est illa funiculus sed abscisus* Funiculus tribus. s. Sacerdotalis Leuitici. *Sed abscissus* non quod propriè & principaliter traheret originem suam, scilicet secundum Patrem, ex tribu Leui. sed quia tribum Leui sanguinis nobilitate ex matre sua attingit. Cuius rei argumentum habent [a] Nazianzenus. [b] Augustinus. [c] Eucherius, quod Mathæus per Salomonem, Lucas uero per Nathan Christi genealogiam pertexit: ne. s. ignoremus Mariam ex Regali

Heb. 8. & 8. Christus ex tribu Leui.

a in car. de Christi geneal. b li. 2. de cons. Euāg. c. 2. c li. quęst. noui Testam. Maria cō sanguinei tate attigit tribū Leui. & quomodo.

gali simul & sacerdotali genere pro dixisse. Ideo, aiebat Augustinus, numerus generationum in Matheo & Luca diuersus est, quia uterq; sub diuersa Christi persona, diuersam texit genealogiam. Mathæus quidem qui regiam in Christo personam instituerat insinuare, naturales Christi ex Regibus Iudæorum generationes enumerat. Lucas uero Sacerdotalem in Christo personam ostendere uolens; generationes adoptionis Christi percurrit. Cuius rei alterum argumentum est; quod B. uirgo erat cognata Elizabethæ uxoris Zachariæ quæ erat filia Aaron. Nullatenus. n. esset cognata, nisi contingeret sanguine tribum Leuiticam. Quomodo autem (inquiunt Antidicomarianitæ apud Epiphanium) potest hoc esse, ut illa quæ ex tribu Iuda est, congnata sit Elisabeth, quæ est ex tribu Leui. Respondemus cum Beda. *a* Animaduertat talis proauos earum, liberis inuicem nuptui traditis, utranq; tribum potuisse coniungi. Animaduertat secundum Augustinum, *b* quod hæ duæ trib. solæ inter se coniungebantur; Regia sacerdotali, & sacerdotalis Regiæ. Quod si exemplis agendum est. *c* Aaron summus & Primus sacerdos, non suæ tribus sed de genere Iuda Elisabeth filiam Aminadab uxorem accepit. Ioiada Pontifex max. *d* stirpis regalis uxorem duxit, quæ scilicet Regis Ioram erat filia, & alterius Regis Ochoziæ soror nomine Iosabetha. Peculiare. n. hoc fuit inter tribum Iuda & Leui; ut utrinque coniugia permiscerentur, & affinitas mutua contraheretur: licet etiam hoc alij referant, ad alias trib. docentes illas cum hac Leuitica contrahere posse, modo hæreditates impermixtæ manerent, & sua cuique tribui bona integra essent. Hoc enim lex illa Numerorum ultimo data uolebat, ut uidimus. Ex cuius decreti intentione Dauid non peccauit, *e* etiam si ex tribu Iuda ortus, uxorem Michol ex tribu Beniamin, Saul Regis filiam duxit: cũ nulla hæreditatis portio fœminæ alicui quæ fratres habebat, debebatur. Sacerdotũ uero filij sepius cũ tribu Iuda, ut digniore inibant coniugia; quia inde nulla confusio bonorum subsequebatur: cũm lex diserte prohiberet. *f ne ad tribum Leui hæreditas aliqua pertineret?* cum illi essent sors Domini de altari Domini uiuentes. Cæterum quod ad Mariam attinet, qualem cognationem habuerit cum Elisabetha, aiunt nonulli, Elisabeth sic esse natam; ut Patrem Aaronis

tribus

Margin notes:

Preter hos Hilarius Canone. 1. in Euan Math. Iulianus pomeriũ li. 3. contra Iudæos. lib. 2. de consen. Euã. c. 3.

Luc. 1. Hæres. 78

a in 1. c. Lucæ.

b li 3. de cõs. Euã. c. 2.

c Exod. 6

Tribus quomodo coniũgi potesant.

d 2. Paral. 22.

e 1. Reg. 18.

f Num. 3. & 8. Exod. 30.

tribus, matrem uero de tribu Iuda habebat. Vt enim ueteres reliquerunt, quum Emerentiana Soloni de tribu Iuda nupsisset, & ex illo filias duas Annam & Ismeriam genuisset; prior. s. Anna, Ioachim uiro de domo Dauid, qui & ipse Mariæ Pater obtigit coniunx, posterior uero. s. Ismeria quum a sacerdote in uxorem ducta esset, filiam Elisabetham peperit. Quæ deinde Zachariæ coniunx, iam sterilis Domini præcursorem Ioannem in lucem edidit. Virgo igitur Beatissima virga est. virga decora, virga Iessea, virga funiculus, virga Aaron, Regio decore, & sacerdotali splendore collustrata. Fœlix cui ad suum honorem, laudem, neq; etiam terrena defuerunt. Licet. n. ab illo trahat excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi, nouo genere procreatus; licet per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis excedat nobilitatem: licet vana sit plerumque iactatio hominum de fucata nobilitate: neque tamen & ista contemnenda est laus, dum Maria clara est proauorum titulis; tanto magis quanto donorum affluebat copia; quanto ad hanc nobilitatem pulchriores fructus virtutum adiunxit. vt enim pratiosæ fulgentesque gemmæ, quæ annullo aureo interseruntur, magis ac magis gratiosæ, & clariores redduntur; sic Mariæ quoq; dotes & gratię, aureo huic throno insertæ, magis admirabiliores redduntur. Quarum gratiarum dignos laudatores, dicam potius elocutores, & admirantes, nos facias Christe Iesu, Rex Regum qui viuis & Regnas per infinita seculorum secula Amen.

Còsulas de his Galatinum. li. 7. de archanis Cathol fidei.

Damasc. ser. 3. de nat. m.

REGINA SANCT· OMNIVM

Et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccleſ. 24. c.

CONCIO QVARTA

In qua plenitudo virtutum virginis Mariæ, probatur.

Dei imẽſitas.

INcircvmscriptvs ille Deus, & ſi ſecundum Salomonem, a nullo compræhendatur loco, ſed omnia Cœli & terrę vaſtiſſima penetret & ſuperexcedat ſpacia; vbi tamen ex immenſa ſua bonitate, peculiarem ſedem locare dignatur, ibi maiora ornamenta, illuſtriorem aparatum loci, & requirit, & facit. Locum debere proportionari locato commu nis eſt ſententia Philoſophorum. Deus autem eſt puriſſimus, ſpecioſus forma præ filijs hominum. Cuius pulchritudinem ſol & Luna mirantur. Cuius faciem deſiderant Angelici ſpiritus ſẽper intueri, in qua Moyſes ęſtimat eſſe omne bonum. Cuius oculi multo plus lucidiores ſole. Caput eius aurum optimum. Manus eius tornatiles aureę plenæ Hyacinthis. Similitudo eius quaſi aſpectus ignis, ab aſpectu lumborum eius & deorſum ignis, & a lumbis eius & ſurſum quaſi aſpectus ſplendoris, & vt viſio electri. pedes eius ſimiles aurichalcho, ſicut in camino ardenti. Totus pulcher & totus deſiderabilis: Locum igitur in quo ſpeciali modo inhabitat, requirit pulcherrimum, mundiſſimum & adornatum. Palatium Cœleſte elegerat, in quo & ſecundum eſſentiam, & ſecundum prę ſentiam, & ſecundum gloriam, ſedem ſuam con ſtitueret. Cœlum.n.mihi ſedes eſt. Quid vero in illo perficiendo, & decorando non fecit? Fecit primo lucem illam ſplendidiſſimam. ſ. Angelicas mentes incorporeas, natura immutabiles; animo impaſſibiles; mente rationales ſtirpe ęternas; arbitrio liberas;

Locum in quo quieſcat Deus requirit adomatũ.

beati-

beatitudines perpetuas: quarum ſubſtantiæ ſpeciem & terminum ſolus qui creator eſt nouit. Fecit aſtra illa matutina quorum alia laudarent eum, millia vero millium miniſtrarent ei: & decieſcentena millia aſſiſterent illi, & darent gloriam & honorem Regnanti in Sęculorum Sęcula. Fecit deinde luminare maius lucernam mundi, ſ. ſolem, Dominum elementarium virtutum: plenum lumine cœleſti: diffundentem radios ſuos per omnia, etiam intima & abſtruſa viſcera terrę; vitam, ſenſum, motum, uirtutem omni creato uiſibili diſtribuentem: Fecit demum lunam, terram Cęleſtem, ſiue mauis dicere Cœlum terreſtre, receptaculum influxuum Cęleſtium, quibus grauidata, tot & tantorum mirabilium efficacia inuiſibili operatrix eſt. Quibus vero vt lapillis & gemmis pręcioſis, huius ędificij faſtigium diſtinxit? Fecit ſtellas vt faces ardentes, & illuminantes nocte, vſque ad profundiſſimos Antipodas. Taliter adornauit hoc ſoliũ gloriæ ſuę; vt ſicut ſapiens de quibuſdã aiebat, quod non attendentes quis horum eſſet artifex, gyrum ſtellarum, vel nimiã aquam quę eſt firmamentum, aut ſolem & Lunam rectores Orbis terrarum Deos putarint. Iam uero dum uagari inſtituerat, cum Iudęis per uaſtam ſolitudinem, quale tabernaculũ omni artificio elaboratum, pręcioſis cunctis adornatum habere uoluit. Facient, inquit ad Moyſen, mihi ſanctuarium; & habitabo in medio eorum. Sed quale ſanctuarium?
Exod. 25 Arcam de lignis ſetim compingite; & deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris; facieſq; ſupra coronam aureã per circuitum, Facies & propitiatorium de auro mundiſſimo. Facies & duos Cherubim aureos & productiles ex vtraq. parte oraculi. Facies & menſam de lignis Sethim, & inaurabis eã auro puriſſimo. Facies & cãdelabrũ ductile de auro mũdiſſimo haſtile eius & calamos, ſcyphos & ſphærulas ac lilia ex ipſo procedentia. Facies & decem cortinas de biſſo retorta, & hyacintho ac purpura, coccoq. bis tincto variatas opere plumario Dies me deficeret recenſendo ornamenta illius Sanctuarij, in quo Deus habitare volebat. Et non hoc ſufficiebat oculis Domini, Sed poſtquã oĩa perfecta ſunt, propter maiorem decorẽ & munditiem, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & tũc gloria Domini impleuit illud, ita quod non poterat Moyſes ingredi tectum fœderis nube operiente omnia, & maieſtate Domini

mini corufcante. Hac eadem gloria repleuerat Deus templum Salomonis, antequã habitaret in illo. quod refert liber a Regũ & b Isaias in Spiritu videt. Vidi inquit Dominum sedentem su per solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus a maie state eius, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabãt super illud, Sex alæ vni & sex alæ alteri, duab. velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius & duabus volabant & clamabant alter ad alterum. Sanctus. S. S. Dominus Deus exercitum, plena est omnis terra gloria eius & commota superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.

a Damasc. ora. de dormit. Deip.
b Iacob. Apostol. in Liturgia.
c Bernar. in ser. de B. Virg.
d And. Hierosol. in Salu. Angel.
e Damian. Ser. 3. de assũp.
f Andr. Cretensi. de dormi. Deip.
g Andr. Hierosl. vbi sup.
h Dam. orat. de dorm. Deip.
i August. in præfat lib. de assump.
k Esich. ser. 2. de assump.
l And. Hierosol.
m Ideph. ser. 7. de assump.
n Meth. in orat. de
o Hierõ. in ser. de assump.
p Meth. vbi. sup.
q Ioan. 6.

Maria fuit animatum Cęlum in qua ampliorimo do quam in alia creatura mansit Deus.

Quid ergo existimandum est de Virgine Sanctissima? quæ fuit a animatum quoddam Cęlum b imo Cœlis amplior, cuius c vterus fuit capacior Cœlis, diffusior terris, latior elementis, quia illum continere valuit quem totus Orbis comprehendere non potuit. quæ fuit d Arca vitę. e Sacrarium totius Diuinitatis, Sanctuarium Dei, f Propitiatorium vniuersi mundi; Quæ fuit g Tabernaculum gloriæ. h Sacra & animata viuentis Dei arca. i Thronus Dei. k Cathedra Cherubica: quæ fuit l Templum gloriæ ornatissimum. m Solium gloriæ Dei excelsum & eleuatum; n quę fuit speciosissimi floris radix, incircumscripti si ita loqui fas est, circumscriptio. nutrix omnia nutrientis, cuncta continentis & compræhendentis compræhensio: quæ fuit gestatrix illius qui verbo suo portat vniuersa: præangustus illius sinus qui sinu suo omnia complectitur. Cui quod o natura non habuit, vsus nesciuit, ignorat ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, Creatura etiam Cęlestis miratur, per Gabrielem nunciatur. Cum qua Deus non vt in Cęlis, sed ampliori & nobiliori modo habitare voluit. Qui. n. p cęlum & terram implet, cuius præterea sunt omnia quæ mouentur atque subsistunt, non Cęlorum sed Beatæ Virginis factus est indigus. Hæc. n. admirabilem Incarnationem quam a Cælis non habuit, Deo mutuam dedit. Hæc potentem illum, corpore tanquam decenti quadam panoplia induit.

Antithesis Marię & Archę

Hęc fuit cum qua Deus non in nebula vt quõdam in templo; in ipsa. n. habitauit plenitudo Diuinitatis etiã corporaliter: in qua non iam manna illud quod manducauerunt q Patres in deserto & mortui sunt; sed panis Angelorum; Panis qui

de

de Cęlo descendit & dat vitam mundo, quem qui manducat non moritur in ęternum; in qua non iam corruptibilis Virga
a Isai.11. Aaronitica, sed a flos ille Iesseus, super quem requiescit Septi-
b Isai.53. formis Spiritus: sed b. Virgultum illud & radix ascendens de
c Apoc. 22. terra sitienti; sed arbor illa c lignum. Vitæ, afferens fructus duo decim, per menses singulos reddēs fructum suum, & folia eius
d 1. Cor. 10. ad sanitatem Gentium: in qua non iam tabulæ petreæ, sed d Pe-
e 1.Pet.2. tra ipsa Christus, sed e lapis ille angularis f excisus de monte si-
f Dan.2. ne manibus, qui facit vtraque vnum: non iam tabulæ sed di-
g Ezech. 9. gitus Dei, g scriptor ille accinctus lineis humanitatis, signans
h Hier.31. Thau dans h legem nouam in mētibus hominum, & cordibus eorum super scribens eam: in qua non iam lex scripta sed Legislator, Mediator Dei & hominum, Redemptor, Deus ipse in persona propria, in natura humana sibi per vnionem ineffabilem illam hypostaticam coniuncta requieuit, resedit, nouem mensibus in hoc tabernaculo mansit. Quid ęstimandum est quonam splēdore? quanto decore? qua gloria? quo Charismatum genere? quāta gratiarum multitudine, hæc Virgo Sanctissima repleta, condecorata, & adornata fuit? vt filij Dei Diuinitatis, habitaculum esse mereretur? Fuit cœlum imo amplior
i Apoc. 12. Cœlis: nō defuit ergo ad ornamentū illius Sol, plenitudo. s. Spiritus Sācti i. Mulier. n. ista fuit vt veste decenti, amicta Sole non tantum intus repleta, sed & extra amicta. Tam abundè fuit perfusa Spiritu Diuino in anima, vt & in corpus externum refunderetur.

K Franciscus Lambertus in 1.c.Lucę. Fuit *Amicta Sole*, Dicā maius. Ex eo. n. quod fuit (k vt etiā inuitè inimici Virginis fassi sunt) absorpta à Spiritu Sancto, vt iam non ea vetus homo, imo non ipsa in se, sed ipse Christus Sol iustitiæ quem conceperat viueret, sentiret, operaretur & loqueretur. Ipsa fuit Sol. In l Sole. n. iste sponsus procedens de
l Ps.18. thalamo suo Cęlesti Diuino, In Sole posuit tabernaculum suum. Libet appellare Virginem nomine Solis. Sol est primus Planetarum nobilitate, dignitate splendore. Beata Virgo, non renitentibus sed confitentibus hæreticis ipsis, m superior dignior, nobilior quacunque creatura fuit. Secundum Lutherum tam præclara & ingentia bona dat sunt Mariæ, vt superent captum cuiuscunq. ex quo prouenit ei talis honor, vt in vniuerso humano genere vnica persona superior sit cunctis;

Maria Solis nomine appellatur.

m Lutherus in cōment. super Magnificat... (m Luther rus in cō ment. super Machæum.)

cui

cui nemo sit par, quod cum Cœlesti Patre filium habeat communem. Secundum Bullingerum *a* Maria plurimis maximisque charismatibus a Deo donata; atq. adeo omnium gratissima, & charissima Deo, mulieribus prælata omnibus, membrum Ecclesię Catholicæ excellentissimum; ab ipsis etiã Angelis omnibusq. generationibus benedicta. Præclarius vero ex nostris Damianus. *b* Attende Seraphin & in illius Superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus Virgine, solumque Opificem istud Opus supergredi. Mulieris bonæ species, dicebat *c*. Sapiens, in ornamentum domus eius, est sicut lucerna splendens super candelabrum Sanctum; & non solum, sed est sicut Sol oriens mundo in Altissimis Dei. Sed quænam fœminarum melior est Virgine hac optima? quænam est in maius ornamentum, non tantum suæ sed & Diuinæ domus, vt Maria? Est igitur sicut Sol oriens mundo in Altissimis Dei. Sole oriente obscuratur lumen stellarum; sic Virgine oriente, obscuræ, non apparentes fiũt virtutes & gratiæ Sanctorũ. Quid est inocentia Abelis? Quid iustitia Noe? obediẽtia Abrahę? patiẽtia Iacobi? mansuetudo Moysis? castitas Ioseph? charitas Samuelis? humilitas Dauid, Simeonis simplicitas? deuotio Annæ? sanctitas Elisabeth? quid demum plenitudo gratię Stephani & Apostolorum, comparata virtutibus & plenitudini gratiæ, Sanctissimæ Virginis? Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita etiam in comparatione Matris Domini, *ita sensit Hieronymus* nullus inuenitur perfectus, quamuis eximijs virtutibus comprobetur. totam .n. repleuerat Spiritus Sancti gratia, totam incenderat eam Diuinus amor, ita vt etiam in ea nihil esset mundanum quod violaret affectũ. sed amor continuus & ebrietas perfusi amoris. Sol pręhabet in se oĩa illa q̃ sunt in inferiorib. sparsa: sic Virgo Beata, quòd in alijs Sanctis dispersum & diuisum est in se vnite habuit: in hanc.n. congesta q̃ alicubi disseminata, in hac refulgent quæ alicubi nitescunt, Cęteris Sãctis, aiebat Hieronymus per partes prębatur gratia: Marię vero se totam infudit gratiæ plenitudo quæ fuit in Christo. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Et vere, perhibet Bernardus, in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Marię, cui non defuit fides Patriarcharum, Spes prophetarum Zelus Apostolorum, constantia

a In ser. de B. Maria Virg. b Ser. 1. de Nat. Mariæ. c Eccl. 26.

in ser. assump. Virg.

ſtantia martyrum, Sobrietas confeſſorum, caſtitas Virginum, fæcunditas coniugatorum, ſed nec ipſa puritas Angelorum. Fides Mariæ.

Luc. 1. *Non defuit illi fides Patriarcharum*. Beata quæ credidiſti, verbis Angeli nunciantis: quia perficientur, ita ei promittit Elizabeth, in te quæ dicta ſunt tibi a Domino. *Beata quæ credidiſti*, illud iam adeſſe tempus quo Deus immemor indignationis ſuæ, totum ſe homini dare, vt olim pollicitus fuerat, per Angelum nunciat. *Beata quæ credidiſti* Deum tanta exarſiſſe dilectione, vt propter hominem, humanum corpus, è tuis viſceribus aſſumere dignetur. *Beata quæ credidiſti* te illam virginem parituram Emanuelem, eſſe a Deo electam, in qua & per quam myſterium hoc excedés intellectum etiam Angeli cum perficeretur. *Beata quæ credidiſti* Deum incarnandum & naſcendum, quæ vel ipſi Cherubin ægre capessent. *Beata quæ credidiſti* illa quantumuis ardua, excelſa, ſublimia, inaudita, *perficientur in te, quę dicta ſunt tibi a Domino*. Deum concipies Spiritu ſancto operante. Mater eris virtute Altiſſimi obumbrante, nec tamen patieris virginitatis iacturam. Magna certe fuit fides Patris credentium Abraam. quem Paulus *a* & ex fide eſſe, & in ſpem contra ſpem credidiſſe, & Patrem omniũ Gentium, fidei iugo colla ſua ſubijcientium aſſeuerauit: eo quod credidiſſet, quod eſſet futurus multarum gentium Pater, ſecundum quod dixit ei Deus. *b* Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ Cœli & arena maris. ſuſpice cœlum & numera ſtellas, ſi potes. Sic enim erit ſemen tuum. Credidit Abraam Deo & reputatum ei ad iuſtitiam. Magna certe fuit fides Abraæ, eo quod credidit *c* & non infirmatus eſt in fide, nec conſiderauit corpus ſuum iam emortuum, cum iam fere centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ; in repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſime ſciens quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere: ideo reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Magna certe hæc fuit Patris fides; ſed eum fide filiæ comparata, aut obſcuratur, aut ſuperatur. Abraam ſterilem nonagenariam parituram; hæc autem Virginem futuram eſſe Matrem credidit. Abraam habuit aliquale fidei ſuæ argumentum, de anu paritura & de centenario generante. Adam enim & Eua poſt centum & triginta annos genuerunt

Fide exceſſit Abraam.

Collatio fidei B. Virginis cum fide Abrahæ.

a Rom. 4 & Gen. 3 Ambr. in lib. 1. offic. c. 2. & lib. 2. de Abraam c. 8.
b Gen. 15.
c Rom. 4
Geneſ. 5.

nuerunt filium, ad imaginem & similitudinem suam nominē Seth: quin vt ait scriptura Adam postquàm genuit Seth, octin gentis annis genuit filios & filias. Noe quoque dum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet. Virgo autem Beata nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Virgo Beata nullum eius rei quod Virgo, Virgo præmanens Mater est, in toto orbe habuit exemplum, in nulla creatura, vnde argumentum fidei & solatium habuisset. Abraam sibi prolem ex se viro iam sene; hec sibi filium ex se absque viro promisit nasciturum. Abraam habuit fidei suæ subsidium de sene, sed cum semine generante. Henoch enim & Mathusalem & Malaleel post annos decrepitos, Deus multiplicauit materiam generandi: Virgo autem Beata, nihil tale vnquam quod scilicet sine viri commixtione partus prodire potest, a sæculo audiuit Abraam purum hominem; hæc vero Deum & hominem, in lucem edendum esse certo certius constituit. Abraam huius fidei habuit leuamen, eo quod homines, non nisi homines propagare solent. Virgo autem Beata, nullum; eo quod Deus sicut nec arbitrio humano constitui, ita neque humana natiuitate quæ mutationem & sordes annexas habet, generari potest. Abraam vsitato naturæ modo: hæc vero præter omnem naturæ consuetudinem, procreationem esse futuram non dubitauit. Abraam. vt facta sibi promissio impleretur, Deum etiam posse mortuum suscitare nō hæsitauit: Beata Virgo Deum nasci & mori posse, firma fiducia assensit. Abraam licet credidit, tamen in corde suo simul risit, ac prę admiratione futuri euentus dixit. Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet: cum ét terram Chanaam sibi promissam audisset, interrogare ausus est. Domine Deus vnde possum hoc scire, quod possessurus sum eum? Beata Virgo nec miraculum quærit, nec exemplum postulat, sed in promisso Angelico simpliciter acquiescit. Crediderat Gedeon Domino, quod saluare debebat populum Israel, per manus eius a Madianitis: tamen non sine argumento. Si inquit saluum facis per manum meam populum Israel, sicut locutus es; ponam hoc vellus lanæ in area; si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum

eodem capite.

Iudic. 6.

manum meam sicut locutus es, liberabis Israel. Hæc vero Beata Virgo, Angelo, illud incompræhensibile mysterium nuncianti; quod scilicet per filium suum deberet côterere virtutem inimici; sine signis credit, & dicit. Ecce ancilla Domini. ecce ego ipsa sum vellus mundum, incoinquinatum, immaculatũ; non in alteram sed in me descendat ros ille Hermonis, descendens in montem Syon: nõ alteri sed mihi fiat, secundum verbũ tuum. *Beata quæ credidisti.* Crediderant olim Deo Moyses primus mediator, & Aaron primus Legalis Pontifex, non tamen absq; hæsitatione, non absque diffidentia; dixerunt enim ad populum: Audite rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Beata autem virgo credidit absque diffidentia & hæsitatione: credidit quod Deus [a] ille qui dat pro terra silicem; potest quoque de silice vteri sui intacti, torrētes aureos fontis vitæ producere. Et licet ab Angelo requirat. *Quomodo fiet istud?* Verba tamen, vt ait Brētius [b] (testimonijs autem hæreticorum id conuincimus, quia ex ipsis quidam blasphemi infidelitatem Mariæ ascribere non verentur) ista non sunt verba incredulitatis, vt fuerunt Zachariæ; sue sunt verba quæ proficiscuntur ex admiratione fidei. Non enim Maria dubitat de certitudine verbi Dei, quod ex Angelo audierat, sed dubitat de modo quo promissa implenda sunt. Verba ista, [c] dicit idem alibi, non sunt incredulitatis, neque curiositatis, sed potius necessitatis: vt videlicet Maria suę pudicitię obseruantissima, discat quid sui sit officij, quod agendum sit vt promissus filius in vtero ipsius concipiatur. Verba ista dicit, ([d] vt omittam Bucerum, Pellicanum, Bullingerum, Zuingliem) Spangebergius, non sunt incredulitatis verba sed præstantissimæ fidei. Nihil dubitat prorsus de verbo Dei; quod sit Mater futura, & nihilominus virgo mansura, & non solum Mater simpliciter sed Mater Dei; id illi præter opinionem auditur & admirabile videtur. & enim nullum eius rei in toto Orbe habet exēplum, in nulla creatura vnde argumentum fidei & solatium habuisset. Quasi dicat. verbis tuis credo & persuasum habeo esse verisimile. Nec me latet id ab Esaia prædictum. Si vero ego sum ea virgo: dic mihi quomodo fiet istud? *Beata ergo quæ credidisti*, Beatior Mariá fuit, inquit [e] Augustinus. concipiendo Christum fide, quam carne.

Num. 20 & Deut. 32.

[a] Iob. 22.

[b] Brentius hom. 6 in 1. c. Luc.

[c] in Euā. Annunc. Domin.

[d] in 1. ca. Lucæ.

[e] lib. de Virginit.

Quomodo fiet istud. nõ sunt verba incredulitatis sed &c.

Mariacredidit in Christũ natum.

Materna.n.propinquitas nihil ei profuisset, nisi fœlicius spiritum fide quam carne gestasset. Quid vero de ipsius in Christum natum fide, necesse habeo dicere? Non potuit certe Diuinitatis Christi non esse credula; quæ nouerat se filium non ex virili semine secundum ordinem naturæ, sed Diuino spiramine, nunciante Archangelo concepisse. Non potuit Diuinitatis Christi non esse credula; quæ viderat famulantium Angelorũ ei adesse frequẽtiam, vt nascituro nũciantes; nato jubilãtes; in Aegyptũ fugientẽ atq; iterũ redeũtẽ, deducẽtes & reducẽtes, in deserto ieiunanti ministrantes. Talia n. obsequia nõ nisi Deũ decebãt. Non potuit Diuinitatis Christi non esse credula; quæ & stellarũ annũciationem, & Magorum de longissimis partib. inspiratum aduentum, quam maximum habuit indicium veritatis. Simeonis quoq; & Annæ ꝓphetica dignitate insolitus cætus, & huic Virgini specialis occursus, quæ omnia Maria conseruans in corde suo, altius ad fidem roborata, pio corde conferebat: intantum vt omnino non nutabunda sed certa de filij potestate, tanquam de Dei virtute vera, deficiente vino in nuptijs dixerit. quia vinum non habent, sciens plane hoc illũ potuisse, quod eũ mox contigit Diuino miraculo compleuisse. Facessat ergo impia vox a Culmani, qui Mariã Angelica verba iudicio & ratione assequi nõ potuisse mordicus dixit, qui infirmã & (calamus refugiebat scribere) infidelẽ, non credentẽ verbis Angeli, subdubitãtẽ, atq; ea ignorãtẽ. Obmutescat blasphemus b Lutherus qui Mariã incredulitatis sensum quendam, & insultum habuisse blaterauit. Maria, vt Augustinus cũ reliquo Patrum cętu, (si non admittunt testimonia suorum,) nunquam concepisset Christum in vtero, si nõ prius concepisset eum per fidem in mente. Maria cum interrogat. *Quomodo fiet istud quia uirum non cognosco?* inquirendo dixit, non desperãdo aut dubitando; Zacharias autem quando ait. Vnde hoc sciã vel per quid hoc cognoscam, qui sum adeo cũ uxore senex. desperando dixit non inquirendo; propterea huic dicitur; tacebis quia nõ credis, illi vero causa exponitur: quia dũ interrogaret de promissione non dubitauit. Sileat & petulans vox Lutheri qui postquã Maria gestabat in vtero & peperit, vel nullam, vel raro tantam fidem Marię tribuit. immo etiam eius fidem identidem Deus (ait iste) passus est nutare. Maledica est ista vox. Maria non potuit Diuini-

Luc. 2.

Caluini & Lutheri blasphemia de fide Maria.

a in Euã. annũc. in conc. 2.

b in post. circa Euan. annunc. Mariæ.

Luc. 1.

in postil. circa Euã. 3. Dominic. post Epipha.

Ser. 1. de assumpt. Diuinitatis Christi postquam natus est, non esse credula: quæ vt Augustinus ait, fide & opere semper fuit Christi ministratrix. Beata quæ credidisti: Et in plenitudine Sanctorum detentio mea: non defuit ei fides Patriarcharum.

Non defuit ei spes Prophetarum. Prophetæ. n. Sancti spe repleti dicebant, salutare tuum expectabo Domine. solabantur inuicem afflictionem suam propter tardatem Dominum. nunquid in perpetuum irascetur, aut obliuiscetur misereri Deus? sperabo ad Deum Altissimum; Deum qui benefaciet mihi. Beata vero virgo, ego inquit, sum mater sanctæ spei. Spes B.V.

Eccl. 24. *Non defuit ei zelus Apostolorum.* Apostoli nihil præcæteris zelabant, nisi agnitionem veritatis: vt s. multi ad agnitionem eius venirent, vt Ioannes exemplis cõfirmauit. Maria vero post Ascensionem filij sui, quid operata est, nisi quod cũ humilibus & ignaris conuersata, eos instruebat? quid nisi de secretis, quæ a filio soli didicerat Apostolos edocebat? Virgo virginum, ita eam alloquitur Rupertus, tãquam malum punicum in medio tintinabulorum tu fuisti, in adiutorio vel etiam in regimine prędicantium Apostolorum; cuius etsi verba non loquuntur vel audiuntur vbi prædicauerunt, opera tamen non ignorantur. non minora imo maiora tinnitu prædicantium. Zelus Marię. Ioan. 1. Ignatius Damasc. Bernard. August. lib. 3. in Cantica.

lib. de excell. B.V. c. 7. Hoc idem Anselmus in hæc verba docuit. Licet inquit; ipsi Apostoli per reuelationem Spiritus Sancti, edocti in omnem fuerint veritatem: incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius ipsa, per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat; ac per hoc eis multa per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat. Constantia B.V.

Bernard. in Euan. stabat iuxta crucem. *Non defuit ei constantia Martyrum.* Licet. n. defuit illi gladius extra feriens, non defuit tamen gladius ille doloris compatientis filio, animam ipsius penetrans: & quod in carne Christi agebant claui & lancea, hoc in virginis mente passio naturalis affectionis, & materna angustia. Claui vtique & lancea passionem, affectio materna compassionem. Dolores partus quos effugit pariens, illos tunc tempore passionum sustinuit ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiẽs; & quem Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectũ videns, tanquam gladio cogitationibus discerpebatur. Con-

E 2 ferre

ferre poterat secum in animo. Hic dilectus meus filius est filius Dei; est filius Dauidis & Abrææ; Rex est Israel qui venit saluare populum suum. Deus est qui venit in mundum, sanare, illuminare, docere & benefacere. Deus est innocés impollutus, segregatus a peccatoribus. Deus est Creator Conseruator, Gubernator, Beatitudo cunctorum; quomodo ergo nudus pendes in Cruce, fili mi, qui Cœlum nubibus contegis? quomodo sitim fers, qui es opifex, quique mare & omnes creasti? quomodo moreris fili mi, qui es vita viuificans omnia? O scelus, o ingratitudinem. Tunc ille qui sedere in domo Iacob, & in sede Dauid Patris tui in æternum debuisti: modo a discipulis desertus, a militibus vinctus, à Pontificibus accusatus, ab Herode derisus, a Pilato cæsus, a tortoribus divexatus. ab omni populo spretus, è Ciuitate Sancta exterminatus, sceleratis latronibus annumeratus, omni hominum fauore, ope, tutella, destitutus, toto corpore fractus, nullo solatio subleuatus, pro flagitiosissimo habitus, ad horrendam hanc latronum sedem vsque, in tali vrbe, raptaris? Tune ille Deus amictus lumine vt vestimento, qui ponis nubem ascensum tuum, qui sedes super Cherubin, modo vestibus exutus, tortorum libidini expositus, ab illis non in cathedram Cherubicam, & solium illud excelsum, sed in Crucem actus; non in medium Seraphinorum sex alis te velantium, sed in medium latronum te blasphemantium suspensus? Tune ille Deus, quem laudant astra matutina, cui iubilant omnes filij Dei, cui incessabili voce Seraphini proclamant Sanctus: linguas maledicas, conuitia, probra quibus te, & summi & infimi proscindunt, & insaturabili rabie insectantur, sustines? Quid putatis? an illa viscera virginea dolore grauissimo non concutebantur. An velut acutissimo gladio non transfigebantur? Quid uero, nisi anceps gladius, maternum illud pectus penetrauit? dum ex alto clamantem & miserabili uoce testantem filium, se a Deo ipso desertum, tremebunda percepit? Quæ tunc mens? quis angor Beatam animam illius inuasit? Quasnam lachrymas fudit? Non fuit certe Stoicæ professionis, stupida, & ab omni humanitate aliena, fuit mollis, clemens, & facilis; poterat deplorando calamitatem filij sui inuocare. Quis dabit

Gladius pertransiens animam uirginis q.d.

dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarũ, & plorabo die ac nocte interfectum filium meum.

Hoc tamen gladio licet transuerberata fuit; hęc acuta cuspis licet pertransierit per animam eius; non tamen eam euertit non subruit; immota .n. fortis & constans, in fide & charitate filij permansit. Nutantibus martyrum primoribus, vacillantibus fidei columnis, fugientib. Apostolis, a Christi latere imo Cruce non potuit dimoueri. Cecidit Iudas nefarius proditor, qui extremam desperationem cum summo scelere coniunxit. Cecidit Petrus, ille qui volebat & in carcerem, & in mortem cum Christo ire, a mentis statu & firmitate deiectus; adeoque mortis metu debilitatus, vt Christum Dominum semel & iterum ac tertio abnegaret. Passi sunt scandalum in Domino amicissimi quique. Hæc sola non corruit, non cecidit; quæ stare in fide prope crucem potuit, quãtũuis præacutus ille gladius a Simeone prædictus cor eius tenerrimum atque mæstissimum penetraret. Maria ergo quia mente passa est, plusquam martyr fuit, inimirum & eius dilectio fortis amplius quã mors quia morte Christi suã fecit. Non defuit ei constantia Martyrum. Et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Maria nõ corruit cadẽtib. cœli columnis.

Non defuit ei Sobrietas confessorum. Chrysostomus de illa sic reliquit. Comessatrix ac vinolenta nunquam Maria fuit, quia omnis mulier quæ vinolenta est & comessatrix, meretrix est. Introduxerat licet eã spõsus in Cellã vinariã; meliora licet habuerat vbera sua vino; Botrus Cypri in vineis Engaddi licet illi dilectus fuerit; commessatrix tamen ac vinolenta non fuit, non crapulæ dedita vt Noe; sed inebriata charitate, ebria amore sponsi. Qui amor sic eam aduebat vt lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem nec flumina obruent illam. Nunciate, (sic amore succensa vociferatur) dilecto quia amore langueo. stipate me malis. fulcite me floribus quia amore langueo. Postquam .n. bibi vinum meum cum lacte meo; postq̃ introduxit me Rex in cellam vinariam; ordinauit in me charitatem, inebriata sum charitate, inebriauit me ab vbertate domus suæ, & torrente voluptatis suæ potauit me, amore langueo. amore langueo. Sanctã illam Catharinam Senensem, legimus dum admissa ad hanc cellam, sed per speculum in ænigmate, accepta s. Sancta Eucha

Sup mat. Sobrietas Mariæ. Ebrietas Marię.

Cant.

Hierõ. in ser. de assump.

ristia, Christum Dominũ sub specie panis tectum, fidei oculis aspiceret: quod tanta Diuinæ suauitatis dulcedine inebriabatur. ut multarum horarum spatio, sic in Spiritu absorberetur, ut omnem prorsus sentiendi uim amitteret: adeo ut expuncta & grauiter sauciata nihil omnino sentiret; quid credendum est de uirgine Dei matre, quæ eundem Christum non aliena specie uelatum, ut Catherina: non ut hortulanum quemadmodum Magdalena; non stantem post parietem; non respicientem per fenestras; non prospicientem per cancellos: sed in ipso suo decore: nec fidei solum sed corporis etiam oculis cernebat: in lectulo suo uoluebat, mirabatur, suspiciebat, per dies & noctes contemplabatur, in sinu suo lactabat, & uirginei lactis guttas ori eius instilabat, illũ dulciter alloquebatur, ei confabulabatur, Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: osculetur me osculo oris sui. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me; Dilectus meus mihi & ego illi, & ad me conuersio eius. Reuertere dilecte mi, similis esto capreæ hinnulloq. ceruorũ: Quonam amore vulnerata, succensa, & inebriata fuit? Cognitio est causa amoris. Quis vero melius cognouit filium, quam Mater? Nulla etiam creatura plus dilexit eum quam Mater. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Non defuit ei sobrietas confessorum.

Allusio pulcherrima ad ænigmaticã Dei cognitionem.

Cant. 2.

Cant. 1.
Cant. 2.

Castitas Mariæ.

Non defuit castitas Virginum. Virgo.n. erat dum concepit, Virgo dum peperit, Virgo post partum perseuerauit. Et vt de cæteris virtutibus eius cum Ambrosio taceam. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior; non in cumulo diuitiarum sed in prece pauperum spem reponens, intenta operi; verecunda sermone; arbitrum mentis non hominem sed Deum quærere, nullum lędere, omnibus bene velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi & amare: Quando ista fastidiuit humilem? quando risit debilem? quando vitauit inopem? Nihil in oculis toruũ, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Nõ gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species, simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Non defuit castitas Virginum.

Lib. de virg. 2.

Non

Non defuit ei demum & ipsa puritas Angelorum. Hæc enim est Virgo, secundum Damianum, cui non tantum excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium patrum, sed nec etiam Angelorum hierarchia poterat coæquari. Est.n. tota pulchra & immaculata; Stellæ aũt nõ sunt mundæ in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauitatem. Hæc autem est tota formosa & sine macula; Luna defectus sub pedibus eius: caput habet ornatum duodecim stellis virtutum vniuersitate: amicta lumine sicut vestimento, tota deaurata charitate, tota desiderabilis, tota suauis. Hæc est secũdum Gregorium, mõs domini præparatus in vertice montium eleuatus super omnes colles. mons quippe ait Greg. fuit Maria quæ omnẽ electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. Mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni verbi pertingeret: meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit. Hæc est, secundum Chrysostomum, magnum mundi miraculum; quæ sola cœlum & terram amplitudine superauit. Nõ illa Sanctior es Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, nõ Patriarchæ, nõ Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes non Cherubin non Seraphin, non aliud deniq. quippiam inter creatas res visibiles atque inuisibiles, vna hac maius aut excellentius inueniri potest. A quo non dissentit Gregorius Nazianzenus, qui dicit Virginem æquandam nullis, eo quod sit Mater & Virgo supra omnes decora Virgines, Quæ vincit omnes cælitum ordines; Regina, Domina, generis humani bonum. Hæc est secundum Idiotam, inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, qua naturæ nostræ vnitus est filius Dei, speciale & primum opus. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Quocirca non est mirum si illam *Reginam Sanctorum omnium* appellemus. Eminet.n. super omnes Sanctos; excelsior est cunctis, in tota rerum vniuersitate nihil maius & præstantius extat illa; inter visibilia & inuisibilia Dei opera nihil præclarius & excellentius inuenitur Maria: Quod si Regum nomine dignamur, eos qui præsunt alijs & non æquantur illis: Maria præcellit Patriarchas fide, est igitur *Regina Pa-*

Marginalia: Maria puritate Angelos excessit. — Iob. 25. — super 1. Regum. — Maria mons. — homil. in hipop. Domini. — Maria magnum mundi miraculum & primum Dei opus. — Lib. de Christo patiente. — Lib. contempl. de B. Virg. ca. 1. & 4. — Maria Regina Sanctorum quare dicitur.

triarcharum: præcellit Prophetas ſpe, eſt *Regina Prophetarum.* Præcellit Apoſtolos zelo, eſt *Regina Apoſtolorum*. Præcellit Martyres conſtantia, eſt *Regina Martyrum.* Præcellit Confeſſores ſobrietate, eſt *Regina Confeſſorum.* Præcellit Virgines caſtitate, eſt *Regina Virginum* Præcellit ſanctos omnes meritis & gratia, eſt *Regina Sanctorum omnium.* Hæc vt Andreas Cretentis dixit, poſtquam ex hac vita migrauit, *velut Tribunum ac humani generis Regina facta*, & in Cæli Reginam a Deo Rege regaliter aſſumpta eſt. Tu ergo Regina Sanctorum omnium quæ Patriarchas fide, Prophetas ſpe, Apoſtolos zelo Martyres conſtantia, ſobrietate Confeſſores, Virgines caſtitate, puritate Angelos excedis; implora nobis à filio tuo vt earum virtutum laudatores & imitatores eſſe mereamur, nunc & in ſæcula ſempiterna Amen.

In oratione de dormi. Deip.

REGI-

REGINA GRATIARVM.

Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circundata veritate. Pſalmo. 44.

CONCIO QVINTA.

In qua plenitudo gratiæ Beatæ virginis, cum Angelo prædicatur.

DIVINAE bonitatis & ſi ea natura ſit, vt virtute ſua diffuſa in omnibus, omnibus ſeipſam & dona ſua liberaliter communicet; illis tamen maiora & ampliora, qui ei ſimiliores, ad ipſum propius acceſſerint. Satis tritum eſt illud Philoſophorum placitū. Quanto aliquid magis appropinquat primo principio, in aliqua coordinatione: tanto magis communicat effectum primi principij. Ab igne qui eſt principium caloris, plus ille calefit, qui prope ignem eſt, quam ille qui ignem a longinquo contuetur: A ſole qui eſt principium luminis plus illuminatur qui feneſtras domus apertas habet, quam ille, qui in obſcuro & tenebroſo carcere ſedet. Deus vero eſt ignis conſumens ille: Deus eſt ſol ille luminoſus, illuminans omnem hominem venientem in mundum, diffundens vitalem calorem Spiritus ſancti Chariſmatum; diſtribuens dona gratiarum vnicuiq; ſecundū menſuram ſuam. Oē enim datum optimum & omne donum perfectum, deſurſum eſt a Patre luminum: qui dat omnibus affluenter & non improperat. Ille dat fidem, quæ eſt fundamentum totius ædificij Chriſtiani, quod ab eo poſtulant Apoſtoli dicentes. Domine adauge no-

Propinquiora Deo Diuiniora.

Ioan. 1.

Iacob 1.

De causa totius boni gratuiti.

ge nobis fidem. Credo quidem Domine, sed tu adiuua incredu litatem meam. Ille dat spem, quæ animam in æternitatem erigit, & quæ est anchora omnium tentationum: vt Ecclesia precat. Da nobis fidei, spei, & charitatis augmētū. Ille dat charitatem, quæ est radix omnium bonorum, & quæ virtutes cæteras perfectionis suæ munimine solidat: Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ille dat castitatem, quæ est per edomitas viciorū furias, mūda & honesta totius corporis habitudo. Non.n. possum esse cōtinens, dicebat quidam, nisi Deus dederit mihi. Ille dat sapientiam, in qua tenetur & cernitur summum bonum. Si quis (testatur Iacobus) vestrum indiget sapientia, postulet a Deo & dabitur ei. Non est in potestate hominis via eius, nec in potestate viri vt dirigat gressus suos: ab ipso aūt promanat velle nostrū & pficere. Ille est thesaurus inexhaustus, Sol indeficiēs a quo ros ille refrigerās, lux illa collustrās, flos adornās, fons irrigans, fluuius abluens sordes, semen fœcunditatis spiritualis, medicamētum sanans morbos animæ, vinum lætitiæ Diuinæ, oleum consecrationis, spiritus adiuuās infirmitatem nostram, ignis accendens corda frigida, ventus vrens leuans locustas cogitationū inspiratarum a Dæmone; gratia, inquam, cuius hæc sunt propria nomina, ab hoc sole indeficiēte Deo; ex hoc thesauro inexausto posluit & prouenit. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Is igitur qui per maiorem puritatem, & innocentiam, & sublimitatem virtutum Deo propior fuerit; maiori gratiæ splēdore perfundetur. Elucet hoc clarissime in adstantibus Deo Angelis: qui, vt aiebat Dionysius, ex eo quod sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatib. Diuinis quā homines. Data est nobis gratia gratum faciens, vt nos tantū illa perfecti simus; illis vero non tantum vt ipsi perfecti sint, sed vt alios perficiant illuminando, purgando: Vnaquæq;.n. substantia, vt idē Dionys. dixit, intellectualis. datā sibi a Diuiniore vniformē intelligētiā, prouida virtute diuidit, & multiplicat; vnaquęq. Cęlestis essētia intelligentiā sibi a superiori datam inferiori cōmunicat. In illa cęlesti patria dicebat Greg. licet quædā data sint excellēter; nihil tamē possidetur singulariter. Angeli postquā gratiam receperunt, & primum opus bonum perfecerunt, confirmatū habuerūt liberū vsū in gratia: nobis etsi qńq. donetur

gratia,

Rom. 5.

Iacob. 1.

Philip. 2.

Gratiæ nomina & effect⁹.

Antithesis Angelorum & nostræ gratiæ.

4. c. Cœl. hierarch.

15. c. Cęl. Hierarc.

Angelorum perfectio in gratia.

Hom. de 160. ouibus.

gratia, licet quandoque non vnum sed multa opera meritoria exerceamus; cum timore tamen & tremore salutem nos operari iubet Apostolus; pauendum est semper, ne ille qui stat, tandem turpiter corruat. Angeli postquam gratia repleti sunt; voluntatis illorum motus ita subacti sunt imperio rationis, ut in nullo resistere queant: nobis uero licet quandoque gratia communicetur, rebelles tamen & sensuum, & voluntatis insultus, euitare non possumus. Videmus cum Paulo aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, captiuantem nos in lege peccati, quæ est in membris nostris. Angelorum gratia post primum instans, & motum, est consummata & terminata beato illo aspectu Diuino. Nos autem primitias Spiritus habentes intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes.

Rom. 7.

Rom. 8.

Cœterum & inter illos, qui magis natura subtiles, & sapientia amplius perspicaces, atque coniunctiores Deo creati sunt, hi etiam maioribus gratiæ muneribus præditi sunt. Archangeli. n. qui sunt altiores, propter eminentiorem gratiã quam assecuti sunt, non solum nunciare vt Angeli, sed & magna & excelsa Euangelizare possunt. His autem quia altiores sunt Principatus, Principatur quoque omnibus cælestibus virtutibus, Diuinas iussiones explentibus. His celsiores virtutes, potestatem habent super corporalem naturam, in operationem miraculorum. His altiores Potestates, arcere possunt malos spiritus, vt per potestates terrenas arcentur malefactores. His celsiores Dominationes, præscribunt & præcipiunt alijs, ea quæ ad Diuina pertinent mysteria. His altiores Throni, Deum familiariter in seipsis recipiunt, & Diuina exercent iudicia. His celsiores Cherubini, supereminenter Diuina cognoscentes secreta. His superiores seraphini ardentes, Deo perfectissime vniti, recipientes in se, si fas est dicere, totam Diuinæ bonitatis pulchritudinẽ. Ita pulcherrimo ordine est pfecta illa Cęlestis cohors; vt sit velut Castrorũ acies ordinata, in qua alij principãtur alij famulantur, alij Dominãtur, alij obsequũtur, vt de supmo illius Duce seu Principe, dictũ sit ab Ezechiele. In delitijs Paradisi Dei fuisti, oĩs lapis prætiosus operimentum tuum, Tu Cherub extentus & protegens in medio lapidum ignitorum ambulasti. Quanto enim aliquid magis appropinquat primo

Angelorũ diuersi gradus & officia

Gregorius & Dionisius.

Ezec. 28.

primo principio in aliquo ordine: tanto magis participat effectum illius primi principij.

Verum ne per (non dico incerta sed per) minus nota nobis vagemur. huius rei exempla non desunt in hominibus. Thomas Apostolus quondam incredulus, eo quod Deum exquisierat manibus suis: eo quod & in latus Diuinum intrauit; fidei & gratiarum maximas opes accepit. Paulus Doctor Gentium, eo quod ad Deum & in tertium Cœlum accessit, audiuit archana quę non licet homini loqui. vidit illa quæ oculus non vidit, nec in cor humanum ascendere possunt. Ioannes dilectus Christi, eo quod in Diuino pectore recubuit; plus alijs Coapostolis de illo fonte & abysso cordis Iesu; plus de illo thesauro sapientię & scientiarum exhausit. Turba illa quę Christum, credula die noctuque insequebatur, quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Moysi facies ex colloquio Diuino facta est lucida; ita ut filij Israel non possent intendere in eam, propter gloriam, sed ponebat velamen super illam, dum alloquebatur ipsos.

Luc. 6.

1. Cor. 3.

Maria super omnes creaturas cõiunctior Christo.

Quanto magis enim coniunctum est aliquid primo principio. &c. Maria autem virgo super omnes Sanctos, & super omnes Spiritus Beatos, magis coniuncta fuit, illi; quem vidimus plenum gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine omnes accipiunt. Cui enim Sanctorum, vel Angelorum dictum est; Ecce concipies in vtero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum? nulli pręter Mariã. Ad quem Beatorum spirituum, Diuinum illud delatũ est nunciũ, ex te nascetur magnus ille qui filius Dei vocabitur? Ad nullum præter Mariam. Quod ex te nascetur sanctũ, uocabitur filius Dei? Maria est vnica illa persona, quæ habet cum ęterno Patre filium communem. *Maria virgo super omnia creata, magis coniuncta fuit filio Dei authori gratiarum.* Nondum enim Angelos Opifex mundi per uerbum suum produxerat, aít Maria, nondum erant abyssi, necdũ mõtes graui mole cõstiterant, adhuc terrã, nõ fecerat & flumina, & cardines orbis terrę, ab æterno ordinata sũ: Dominus possedit me in initio uiarum suarum antequam quicquam faceret a principio. Sed quo nam modo? Ab ęterno & ante omnia creata prędestinatur Christus filius Dei in uirtute, secundum spiritum Sãctificationis; uerum ut sit filius etiam Mariæ.

Prou. 8.

Rom. 1.

riæ. Maria ante omnia creata ordinata simul cum filio fuit. Maria super omnia creata magis coniuncta fuit in tempore, Filio Dei; uix enim quid operatum est, uel circa Christum, uel a Christo, ubi non fuerit Maria adiuncta Christo. Incarnatur Christus; non in Angelis, non in aliquo Sanctorum, sed in utero Marię. nascitur paruulus in mundum: sed de utero Mariæ. Fascijs inuoluitur infantulus; sed a Maria. Ponitur in cunas asperi pręsepij puerulus uagiens: sed per Mariam. Lactis guttæ instillantur esurienti: sed ab uberibus Mariæ. A Magis inuenitur & a stellis demonstratur: sed cum Maria. uisitatur a pastoribus; non sine Maria. Adoratur ab Angelis; sed primo a Maria. Fugit a sęuiente Herode in Aegyptum; fugit secum Maria. A Simeone Pontifice benedicitur; sed in manibus Mariæ, Docet & interrogat in medio Doctorum: sed quęritur & inuenitur a Maria. Prædicat multitudini turbarum: audit ipsum Maria. Signa Diuinitatis suæ, stupenda illa miracula operari incipit; sed ad supplicationem Mariæ. Pendet moribundus in Cruce: omnes fugiunt ab eo, stabat ibi mater Iesu Maria. Resurgit a mortuis; primo apparet Mariæ. Scandit ad sydera; lachrymis & gaudio prosequitur eum Maria. Regnat a dextris Dei in Cęlestibus; nunquam recedebat a corde Mariæ. Trahe me post te, aiebat Maria ad filium, trahe me post te, post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Surgam, & circuibo Ciuitatem, per uicos, & plateas quæram quem diligit anima mea. Quis mihi det te fratrem meũ, sugentem ubera matris meæ Hierusalem Cœlestis, ut inueniã te solum foris, & deosculer te & iam nemo me despiciat. Reliquisti me in terris, ut turturem desolatum sponse mi; ut ouem inter rapaces lupos rabie furentes, o pastor meus; ut famelicam o panis uitæ, reliquisti ut ceruam sitibundam desiderantem ad fontem aquarum. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem uiuum, quis mihi det te fratrem meum? quando ueniam & apparebo ante faciem tuam, o Deus meus? Veniet tandem tempus illud fælix, quando iam a me non declinabis, nec pertransies; dum surgo & aperio tibi pessulum ostij mei, dum anima mea liquefit ad uocem tuam. Appræhendam te tandem, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex uino condito, & mu-

Maria indiuidua a Christo.

mustum malorum granatorum meorum. Ibi, ibi, lęua tua erit sub capite meo, & dextera tua tandem amplexabitur me. Maria super omnia creata, magis coniuncta fuit filio Dei.

Maria astitit a dextris Dei. quomodo.

Astitit Regina a dextris Dei. Astitit. non consedit vt filius sedet a dextris virtutis Dei: maior.n.est coniunctio filij cum Patre æterno, quam filij cum matre temporali. Inter omnes vnitates, dixit Bernardus, arcem tenet vnitas Trinitatis, & post ipsam est vnitas dignatiua quæ est in Christo, *Astitit non* consedit, vt illi viginti quatuor seniores sedentes, circumacti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Illi. n. licet consederint, ministros se esse agnoscunt: procidebāt viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum. Hæc uero astitit, eleuata est & exaltata super sedentes; sedentes. n. nō ita apparēt vt astantes, Hæc deinde non semper ancillam se confitebatur, sed semper matrem. Fili quid fecisti nobis sic? *Astitit a dextris Dei,* non ad pedes corruit vt Magdalena; non.n.erat peccatrix: non a tergo stetit vt Hemoroissa; non enim fluxum sanguinis patiebatur: non cucurrit post illum, ut turba quærens eum tangere: quia nullum habuit infirmum. Astitit a dextris Dei, non vt Thomas incredulus: non enim mittit digitos in locum clauorum, neque manum suam in latus eius. *Astitit a dextris Dei.* non in tertio Cœlo vt Paulus, quia ipsa fuit Cœlum animatum, Cœlis amplior, eleuata super omnes Cœlos. Astitit a dextris Dei, non vt Moyses cornutus: Moysi enim dictum erat, non poteris uidere faciem meam, sed cum transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam: tollamque manum meam & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris: hæc autem virgo faciem illam in quam desiderant Angeli prospicere, non semel osculo oris sui osculata est. *Astitit a dextris Dei* non ut Ioannes recubuit in pectore dilectus: hic enim semper mansit discipulus, illa Mater. In illius sinum nunquam reclinauit Christus, qui autem creauit Mariam, requieuit in tabernaculo Mariæ. Ioannes etsi uidisset stantem & pulsantem illum ad ostium: Si quis, inquit, audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum;

in lib. de cōsiderat
Apoc. 4.
Exo. 33.
Antithesis Ioannis & Mariæ.
Eccl. 24.
Apoc. 3.

nun-

nunquam tamen vidit pulsantem illum ad ostium cuiusque, nisi Mariæ. nunquam obsecrãtem audiuit ab alio nisi a Maria; si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & prandebo cum illo, & ipse mecum. Maria sola prandium illud ineffabile, omnibus deliciis refertum, in quo occisa fuerant volatilia & animalia multa, sola cum Christo filio Regis magni comedit. Inuitati quidem fuerant ad illud multi, sed omnes hi cæci, claudi, debiles infirmi digni non erant ferculo illo, quod sibi præparauerat Rex Salomon; digni non erant mensa illa in qua Regina assistebat ad latus Regis: spiritualiter, non corporaliter vt Maria, vsi sunt cibarijs exquisitis, huius a
Cant. 5. sæculo inauditi prandij. Ioannes Euangelista nunquam uidit stantem ad alterius fores nisi Mariç, nunquam audiuit uociferantem sponsum nisi ad Mariam. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, Sed cur ita obnixè oras o sponse? Quia inquit, caput meum plenum est rorę, cincinni mei guttis noctium. Caput meum plenum est rore gratię de Cœlis descendentis, rore gratiæ refrigerantis, plenus sum gratiæ & ueritatis. Cincinni mei pleni sunt guttis noctiũ. Apostrophe Christi ad Mariam.
Luc. 4. spiritus enim Domini super me, propter quod unxit me. unxit
Psal. 44. me Deum, Deus meus oleo lætitiæ præ consortibus meis: myrrha & gutta, & cassia a uestimentis meis defluunt. aperi ergo
Ps. 132. mihi sine mora, soror mea, tu es amica mea, immaculata mea, Quid tum erit? Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit postea in oram uestimenti eius, sicut ros Hermon qui descendit in montem hunc præaltum, & de hoc monte altissimo descendit postea in montem Syõ. sic in te filia Syõ filia Dauid, de me qui sum mõs Hermonis. de capite meo defluet ros gratiarum: sic in te filia Aaron descendet balsamum illud purissimum de cincinnis meis; descendet non tantum in caput, non tantum in barbam, non tantum in intellectum, non tantum in affectum, non tantum in sensus, sed usque ad oram uestimenti tui. Iste ros gratiarũ tuarũ intantũ excrescet, quod eris quasi trabes aquæ immensę de fluuio, ego autẽ quasi fluuius Dorix & sicut aquę ductus exiens de paradiso: Intãtũ flumina gratiarum perfluent animum tuũ. quod eris quasi trabes abũdãs, ego aũt ut fluuius appropinquãs
Eccl. 24. ad mare, habebis gratiarũ plenitudinẽ mihi, ego aũt Deo, simil

limam

Maria gratia plena quomodo. limam. Illæ guttæ balsami sic defluent, quod erunt vt riui. ego qui sum Petra fundam tibi riuos olei. Inuenisti gratiam apud Deum. Gratia Diuina (quod tibi significauit Angelus) eris plena non vt Stephanus qui erat plenus gratia & fortitudine. Stephanus.n.erat seruus, Virgo autem fuit Mater. Spiritu Sancto plena non vt Ioannes Baptista; non vt Elizabeth; non vt Apostoli; plenitudo .n. horum non erat plenitudo nisi sufficientiæ; plenitudo Mariæ fuit plenitudo abundantis. *Plena fuit gratia* non vt Christus; quia non accessit ad dexteram Dei vt Christus filius Dei. Plenitudo gratiæ, ait Hieron. in Christo tanquam in homine personaliter diffinito, in Maria vero vt in templo singulariter consecrato. Difformis n. est plenitudo, vt Scholasticorum verbis loquar. Est plenitudo sufficientiæ, per quam Apostoli & Stephanus, eximię, vocationi suæ satisfecerunt. Est plenitudo singularis præeminentiæ; quæ Matri Domini præ Sanctis reliquis competit. Est demum omnimoda, & omni ex parte perfecta gratiæ plenitudo, soli Christo tanquã fonti tribuenda; vtpote de cuius plenitudine omnes acceperint Est igitur plenitudo gratiæ Christi quasi fontis, Mariæ autem quasi fluminis, & Sanctorum quasi riui a flumine descendentis. *Maria plena est gratia* sed nõ cum Christo capite, quod suam gloriam semper sibi vnicè vendicat; sed cum membris huius capitis, quantalibet gratia præditis facta collatione. Tanto autem magis super alios sanctos plena fuit, quanto magis illam ornari decuit, quæ pura purum omnis gratiæ autorem Sacro vtero complecti, & digna Dei genitrix esse debebat. Talibus, inquit Hieronymus, & tãtis decebat Virginem oppignorare muneribus, vt esset gratia plena, quæ reddidit Cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit; fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Astitit Regina a dextris tuis, gratia sup oẽs creaturas plena. ¶ Ast video quosdam ringere nasum, attollere supercilia. Maria, inquis, est gratia plena, hoc (aiunt isti,) non vsquequaque veritati consonare videtur. Latinus.n. vester interpres (dicebat Marbachius a) quẽ adeo constanter sequitur Latina Ecclesia, Lucæ mentẽ & sermonem Græcũ non assecutus, perperam vertit κεχαριτωμένη, gratia plena. Debet.n. legi Aue gratiosa, vt docet Buccerus; vel gratiam consecuta, vt Caluinus; vel gratis dilecta, vt Beza; vel grati-

Margin notes: In ser. de assump. — S. Thom. 3.q.7.a.10. & q.27. — Hier. vbi supra. — Hæreticorum extortæ expositiones vocis κεχαριτωμένης. — a In apologia cõt. Eisengreniũ de miraculis.

gratificata & dilecta vt Bullingerus; vel grata Deo passiuè, quod .s. ipsa sit in gratia, sicut Sarcerius & Aemilius; vel cui Deus faueat, vt Lossius; vel accepta, vt Castalion; vel quæ in gratiam recepta sit, vt Hemingius; vel summè grata, suauissima, dilectissima ipsi Deo & Angelis, & Sanctis eius, vt Lambertus: vel cuius consuetudinem omnes ambiunt, vt Culmannus. Ista autem non gratiæ plenitudinem, sed fauorem quendam, vt & ipsum nomen gratiæ designat, vt in conciliabulis nostris docetur. Hæc nomina, ait Lutherus, non gratiæ plenitudinem, sed amatorium quid proci amantis, & puellæ adblandientis, significant. Maria inquis, est super omnes gratia plenam: Fatemur, inquiunt, isti, quod Virgo Maria benedicta sit inter omnes mulieres, & quod nulli vnquam mulieri talis honos a Deo cōtigit: tamē scias quod Angelus ipsam in ordinem redegit, & omnibus alijs Sanctis equauit dicens. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum. Maria, inquis, est super omnes gratia plena. est igitur fons inundās & de seipsa fundēs aquas, qui nec possit exhauriri nec minui. O rigidos o iniquos & inuidos censores, lacerantes honorē & priuilegia Virginis, mordicus iudicātes hominem Doctissimum & Sanctissimum, imo vsum totius Ecclesiæ mutantes, transformantes; in verbo Dei nihil non accipientes sibiq. sumentes, matrem vt Diuinam à qua semel perfidi defecerunt, suis latratibus ac morsibus appetant. De Latini interpretis peritia linguarum, Græcæ, Chaldaicæ, Syriacæ, & Hebraicæ, nihil nunc attinet dicere; cuius translatione, Ecclesia quæ est columna & firmamentum veritatis, plus mille annis nemine refragante Sanctorum, vsa est. Porro quod ad præsentem attinet locum, ex Græco transferendum omnes fere Patres S. August. Greg. Ambro. Emissenus, Bernar. Cyprian. Damian. Thomas Aquinates, Rupertus. Venerabilis Beda. Gaudentius, vt infinitos omittam. Aue gratia plena, semper legerunt. *Gratiæ, aiunt, isti nomen non decorē atq. in herentem quandam animæ qualitatem, sed fauorem Diuinum significat*, vnde inquit Brētius, gratia plena potest dici Maria; quasi a Deo recepta in gratiam, & quod Deus faueat ei.

In postil. circa Euāge. anunciat.

Quid vero Paulus in suis scriptis, de gratia nobis reliquit? (vos ad Pauli iudicium cōpello, quia & vos ad Paulū conclamatis), Dixit ne gratiā esse fauorē solū, & donū Dei externū

vt vos dicitis? An vero donum Dei internum, & qualitatem in hærentem, & ab externo illo fauore dimanantem? Non primũ certe. Illud .n. quod inscribitur in cordibus; illud q̃d portatur in vasis fictilib. corporis nostri: non est quid externũ sed internũ donum. Gratia vero Diuina secundũ Paulum *a* est lex illa scripta non attramento sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus, *b* Gratia Dei est lux illucescẽs in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi: Gratia Dei, est thesaurus, quem habemus in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei. *c* Gratia Dei, est Spiritus Dei habitans in nobis, secundum quem si facta carnis mortificauerimus, viuemus: quo spiritu qui aguntur ij sunt filij Dei: *d* gratia Dei est iustitia nostra, non quod nobis innata sit, sed quia a Deo ceu fonte qui nos vere iustos facit, propter Christum nobis infunditur atque donatur. Hæc *e* gratia fuit data Paulo & in eo vacua non fuit. Datur & alijs; *f* vnicuique nostrum data est gratia, secũdum mensuram donationis Christi. *g* Gratiam, hanc Dionisius magnus, vocat Deificationem; quæ quum accesserit similitudo, creaturam Creatori amabilẽ & dilectam reddit. *h* Nyssenus puritatẽ, a Christo fonte in nos deriuatam. *i* Basilius, Spiritus sancti participationem. *k* Chrysostomus, bonitatem infusam *l* Eusebius, puritatem occultã. *m* Cyrillus, sanctitatem, quæ nobis insit, a Christo communicatam. *n* Prosper virtutem, & Deum ipsum in nobis in habitantem, *o* Macarius, archana quædam cœlestis pulchritudinis vestimenta. *p* Ambrosius, Diuinam medelam a fidei gratia deuotis infusam. *q* Augustinus, occultam quandam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, & dilectionis quam Deus infundit & paruulis. Deinde *r* vocat gratiam, interioris hominis pulchritudinem, *s* pignus donumque spiritus, per quod operamur iustitiam, & a damnatione præuaricationis liberamur. Eidem gratiæ *t* tribuit nouitatem, & virtutem tantam Spiritus viuificantis; quæ iustificatos, non solum ac lege peccati & mortis liberet, sed etiam hominem intus iustificet, ac legem vniuersam donet impleri, Conuersos, inquit, a Deo gratia eius adiuuari, vt carnis vincant concupiscentias, & in accepta iustitia, tum perficiantur. per legem enim inquit, cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum

Gratiç diuersa nomina.

a 2. Cor. 3. b 2. Cor. 4. c Rom. 8 d Rom. 3 e 1. Cor. 15. f Rom. 12. 2. Cor. 9. Eph. 4. g lib. Eccles. Hierarch. c. 1 h libr. de perfecta hominis forma. i libr. de Spiritu sancto. k Ps. 118. l in Corpore & sang. Domini. m lib. 11. thesau. c. 3. & 5. n de libero arb. o in 2. c. 1. ad Timot. p lib. de peccator mer. & remis. ca. 9. & 10. q epis. 85. ad Consentium. r libr. de spiritu & littera. c. 15. s ibidem c. 30.

catum: per gratiam sanatio animæ abolitione peccati: per aīę sanitatē libertas arbitrij: per liberū arbitriū iustitię dilectio: per iustitiæ dilectionē legis operatio. a Diodochus autor vetus de gratia sic loquebatur. Ex quo tpe inquit, baptizamur, gratiā in ima sede mentis abditam, & in profundo aīæ residentem habemus; quæ suam præsentiam & vim, sensu quodam inexplicabili declarat; maxime quum baptizatus ad Dominum sese converterit; cumque toto animo amare incipit. Hæc autem omnia externum an internum donum sint? ipsi vos iudices estote.

a lib. de perfectione spirituali

Nunc ad virginē accedo, quā isti in numerū aliorū redigere volunt. nihil illi plus quam Magdalenæ quam Samaritanæ, Cananeæ vel alteri; quin, nihil illi plus quam latroni ad dexteram Christi pendenti, largientes. Imploro primum a vobis qui sine iustitia inhærentē iusti, sine interiore sanctimonia sancti, sine Diuina gratia grati estis. Fuit ne Deus in propria persona cum Maria, & in Maria nec ne? Negare idipsum non potestis, cum idipsum Angeli loquantur. Dominus tecum. Quod enim in ea natum est, de spiritu, sancto est. Idipsum Sancti testantur. *Dominus tecum* in mente, (amplificat Iustinianus,) tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præsidio. Habitat in Angelis Deus sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Bernardus vero & cum Maria, & in Maria fuisse asserit, & patrem cuius filium concepit, & filium quem sua carne induit, & Spiritum sanctum de quo concepit in vtero sanctificata. Omnes Ecclesiæ cum Petro Martyre Alexandrino dicunt, *Dominus tecum*. Dominus verbum tecum, Dominus verbum in vtero tuo caro fiet. Quam Martyris sancti interpretationem, vtpote communem fidei confessionem, tanti fecit Cyrillus Alexandrinus, vt eam repetere non dubitarit. Dominus ergo fuit cum Maria & peculiariori modo, quā cum aliquo sanctorum. neque enim alteri præter Mariam potest attribui, quod Angelus velut de tota Trinitate differens, Mariæ nunciat. virtus altissimi obumbrabit tibi. Spiritus Sanctus superueniet in te. quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei. Quod si Deus cum Maria & in Maria, magis quam cum alio, & in alio Sanctorum fuit; multo amplioribus eam, non fauoribus exter-

in Ser. de Annunc. Virgin.

ho. 3. de B. Virg.

in act. 1. Synodi Chalced.

in definitione. 1. Anathematismi.

Domin' cum Maria peculiari modo.

nis,sed donis internis coornauit. Si enim Moysen eo quod secum quadraginta diebus in monte versatus esset,tanta claritate illuminauit; ut filij Israel, nisi velamine super faciem posito,in eum intendere non valerent: si turba propter contactum solum,sanitatum beneficia diuersa recipiebat: si Thomas ex contatu cicatricum, donum fidei recipit: si Paulus ex ascensu ad tertium Cœlum,tot & tanta secreta vidit & audiuit. Si Ioannes ex eo quod recubuit vna vice super pectus Domini,plus cæteris discipulis archanorum intellexit: quæ nouem mensibus clarissimum iustitiæ solem intra purissima & immaculata viscera sua continuit; quæ infantem illum in sinu gestabat,virgineis vberibus lactabat,brachijs amplexabatur,omne illi obsequium deuotissime exhibebat;quæ fuit thronus pudoris dignissimus, Aula regia, Cella Cœlestis,totius Trinitatis triclinium:quæ coniunctissima Deo fuit,quę maiore post Deũ puritate nituit;quæ astris & Angelicis mentibus candidior extitit:nonne maiores gratiarum opes, maiores diuitias ab illo hauriebat? Factum est, ait Athanasius Magnus, vt *gratia plena* appellata sis, o Maria;vtpote quæ omni gratia abundares, idque per superuentum Spiritus sancti: ideoque vultum tuum depræcabuntur omnes diuites plebis, ditari scilicet illiusmodi di bonis & spiritualibus contemplationibus. Spiritus sanctus in virginem descendit, cum omnibus virtutibus essentialibus, induens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset,atque idcirco gratia plena cognominata est; eo quod ab impletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret. In ser. de Sanctiss. Deip.

Quod si etiam adeo liberalis est Deus, tantæque magnificẽtiæ & charitatis erga fideles seruos suos,ut impios quoq. homines atque idolorũ cultores beneficijs prosequitur,quod intra domos,suas iustos & innocentes viros habent; vt legimus de Iosepho,propter quem benedixit Dominus domui Aegyptij, & multiplicauit tam in agris, quam in ædibus cunctam eius substantiam:Quibus illam donis & beneficijs cumulasse iudicandus est,quæ non Ioseph castum sed sponsum virginũ, non Saluatorem Aegypti sed Saluatorem totius mundi;non Patriarchæ sed Dei filiũ;nõ seruũ sed Dñum;nõ sanctũ virum sed sanctorum omniũ sanctificatorẽ,intra domesticos parietes retinuit? aluit? & omnia ei humanitatis obsequia flagrantissima Gen.39.

tissimæ charitate exhibuit. Astitit a dextris Dei Regina plena gratia. Hæc virgo fuit thronus ille Salomonis. quo non est factũ opus maius in diuersis regnis, sicut.n. Salomon in omnibus thesauris suis, (ita argumentatur Guetricus Bernardi discipulus,) & opibus tantis, nihil habuit tam prætiosum quod in opus illud magnificum, thronum scilicet gloriæ suæ, iudicaret ebori præferendum: sic Maria præ omnibus electis Angelorum & hominum, inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet & pareret filium, atque ex ebore corporis eius, thronum sibi virtus altissimi sine manibus excinderet gloriosum. Hæc est solium illud excelsum & eleuatum, templumque magnificum in quo sedentem Deum, Cherubini contueri non valent; cuius super liminaria commouentur a voce Angeli loquentis & Annunciantis illud a sæculo inauditum negotium; tamen, non concutiuntur sed confirmantur, ne timeas Maria, ita animum ipsius confirmat Archangelus; ea quæ sub Deo sunt, replebunt tuum templum. *Inuenisti gratiam apud Deum*, non creasti vt Deus, non semper habuisti vt filius, nõ rapuisti vt Angelus, nõ perdidisti vt Adã, nõ emisti vt Simõ Magus, non abscondisti vt infidelis doctor. Inuenisti gratiã apud Deum; gratiam quam non accepit Sara, quam non sensit Rebecca, quam nec Rachel cognouit. Inuenisti gratiam, qua digna habita non est nobilis illa Anna, nec Phenenna hinc è regione positæ: quoniam hæ quidem matres ex sterilibus factæ sunt, amittentes vna cũ virginitate orbitatem: tu autem vt etiã mater sis, virginitate tñ fuisti illæsa. Inuenisti gratiam, qualem nullus ab eterno inuenit sicut tu: gratiam .s. increatam & cum illa omnem creatam spiritualem, & corporalem. Hæc est virgo, illa sponsa cuius venter est sicut aceruus tritici; quia in illa, vt Gregorius Neocæsariensis Episcopus testatur, totus gratiæ thesaurus reconditur; quæ sola est ferens eum qui verbo suo portat omnia; quæ sola ex omnibus generationibus, sancto fuit corpore & spiritu; quæ sola ventre suo omnem lætitiam complexa est, & stolam omnino refertam Diuinorum donorum splendore: quæ sola in se non cadens mortuum, sed descendens viuum granum frumenti recepit. Hæc est virgo *cuius vbera plena sunt vino*, fragrantia vngentis optimis: hæc enim sola præclara charismata, ipsorum donorum authorem

In ser. de annunc Dom.

Maria thronus & soliũ.

Virginis uterus aceru' tritici.

in ho. de Annunc. Mariæ.

And. Hierosol. in salut. Angel. Damasc. de annunc. Virginis.

Virginis uberaqualia.

F 3 Spiri-

Spiritum sanctum, in tanta plenitudine, quanta nullus sancto rum, Ambrosio teste, accepit. Bene, inquit Ambrosius, *plena gratia* dicitur; quę sola gratiam quam nulla alia meruerat con secuta est, vt gratiæ repleatur authore. Hęc Virgo gestabat vbe ra *Fragrantia vnguētis optimis*. Hac .n. charismatum copia, ita perfusa fuit Virgo, vt eius odore tota domus Ecclesiæ visque modo mirificè fragret. Nardus mea, ait Maria, dedit odorem suum: Postquam commota sunt liminaria à loquentis voce, domus impleta est fumo. Non possum hic prætermittere, illud quod dictum est a Bernardo. Gratia Dei balsamum purissimum est, & ideo purum solidum, & profundum, per humilita tem. s. vas requirit. Maria fuit vas purissimum, Vas illud electio nis, dixit Cyprianus, a cæteris plurimum differebat, quibus natura communicabat non culpa; neq. lex carnis in ea quemadmodum in alijs legem menti infestabat, sicut & rebellio nulla quietem Mariæ spiritum affligebat. Sanctificatus quidem erat Hieremias Propheta in vtero Matris suæ; Adhuc ab vtero materno repletus erat Spiritu Sācto Baptista: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto Apostoli: Plenus gratia & fortitudine erat Stephanus; omnes tamen isti si non mortalem, saltem venialem motū, sensus sui sensere. Hac Virgine excepta ait Augustinus, si omnes Sanctos & Sanctas dum hic viuerent congregare pos sem, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid responsum fuisse putamus, nisi quod ait Ioannes, si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Hac Virgine excepta, ait idem, de omnibus propter peccatum volo habere quæstionem, Inde.n. scimus quod ei plus collatum fuit gratiæ, ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc Virgo est, cui secundum Bernardum, vel Angelica puritas nō potest cōparari, quæ digna fuit Spiritus S. Sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei. Hæc Virgo nunquam lamentatorium illud Hieremiæ sanctificati cecinit. Castigasti me Domine, & factus sum quasi iuuenculus indomitus; confusus sum, & erubui. quoniā sustinui opprobriū adolescentiæ meæ. Hæc virgo est quæ nunquā carnis aculeos & incentiua vitiorū persensit; nunquam aliam legem in membris suis vidit, repugnantem le gi mentis suę, & captiuam se in legē duci peccati; vt hinc post nudi-

[Margin notes: Ser. de Nat. Do. — Maria sine peccato & quā obrem. — Lib. de natura & gratia. c. 36. — Causę ob quas, Maria nullū comisit peccatū. — Ser. 4. de assump. — Hier. 31.]

nuditaté & ieiunia, flagella in semetipsam reuersa, vt illud vas electionis Paulus exclamare deberet; Infælix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hæc est Virgo quā concupiscētiæ vigor & ardor nūquā pupugit, neq. infæstauit. Hęc est cui neque carnis, neque sexus, neque naturæ obstitit imbecillitas, quominus animum ab omni fomitis perturbatione, liberum purumque seruaret. Nulli dubium est, inquit Anselmus, castissimū corpus & Sanctiss. Virginis aīam, funditus ab oī fuisse macula peccati; iugi Angelorū custodia ꝓtectā, vtpote aulā q̄ suus & oīum Creator Deus inhabitaturus, & ex qua hoīem in suæ personæ vnitate ineffabili fuerit operatione suscepturus.

Li. de excell. B. Virg. c. 3.

Quod si Christianorum testimonium suspectum est, vt nō debet esse, Hæreticis: audiamus Mahometanorum. Nullus, inquit Mahomet, nascitur de filiis Adā, quē non tangat Sathan, præter Mariā & eius filium. Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta vnquā ex mulierib. nisi Mater Ysæ. Idē Mahometus Angelos postea inducit alloquentes Mariā, hunc in modū, O Maria omnibus viris & mulieribus mundior atque doctior quæ Soli Deo studes perseueranter. Pudeant hic, si non Sanctimam Virginem; si non Angelum nunciantem; si non Ecclesiam confitentem; si non Patres testificātes; improbi, plusquā blasphemi hæretici; pudeant saltē Paganos a veritate vt plurimū alienos; agnoscentes puritatē Virginis. Cesset iā conuiciandi effrenatus ardor ęstuans Sarcerij, qui multiplicem culpam, nimirum ignorantiam cęcitatem, infirmitatem, subdubitationem, tarditatem, imò incredulitatem Sanctissimæ Virgini imponere non veretur. Quomodo enim incredula, si fide vincit Patriarchas? quomodo infirma si languet amore? quomodo ignorans & cæca, quæ Spiritus Sancti vmbra obumbrata est? Qúo alicuius culpę suspecta, quę puritate Angelos vincit? Memini, quondā Deū locutū fuisse Iobo illi viro iusto & simplici; Poterisne tu extrahere Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Dicere voluit. nullum esse quantumuis Sanctū, qui colligare possit & conculcare Sathanā nullus certe ponet circulum in naribus eius, aut armilla perforabit maxillam eius. Ad nullum multiplicabit præces, nulli loquetur mollia; cum nullo sanctorum feriet pactum, nullus accipiet eum seruum sempiternum. Sola virgo conteret caput eius. sola mater Dei & filius eius, aiebat Mahomet, quos non tetigit Sathan.

In Althoranoc. 75 Aroara.

Aroara 5.

Mahometi de Maria iudicium.

Maria vas solidum non confractum; solidum per virginitatem, non confractum per corruptionem. Maria vas profundum per humilitatem, imo profundissimum cæteris: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ Humilitatem* non Virginitatem Virgines .n. illæ fatuæ, superbæ; propter superbiam ab ipsis Cœli foribus repulsæ sunt; quia magnū consilium virginitatis seruantes, paruum humilitatis mandatum seruare neglexerunt. *Respexit Humilitatem* non Sapientiam. Sapientiam.n. huius mundi, stultam fecit Deus. Humilitatem non Regiam sanguinis nobilitatē. Reges.n. in bestias & iumenta cōmutare solet. Humilitatē nō sacerdotalē stirpē. sacerdotes .n. è solio suo præcipites cadere finit. Humilitatem nō paupertatem, pauperie enim fuit constricta Sareptana vidua, ad illam tamen nō respexit, respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Virginitate ego concepi ait Maria sed humilitate placuit. Deo. Humilitas Mariæ, ait Augustinus, Deū hoīnib. peperit, vitā mortalib. edidit, Cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit; & hominum animas ab inferis liberauit. Mariç humilitas porta paradisi efficitur; scala cœli constituitur; per quam Deus descendit ad terras. Quæ humilitas ideo maxima est & fuit in virgine; quia de maximis gratijs non superbiuit; quia ex tam sublimi virtutum fastigio seipsam quasi deiecit, & in summū honorem euecta, se in suis oculis exiguam reputauit. Verum quorsum ista? Paucis audite; Gratia Dei balsamum purissimū est, purum, solidum, profundum vas requirens: vt scilicet secundum puritatem, soliditatem, & profunditatem vasis suscipientis, se communicet, iuxta illud. Aperi os tuum & implebo illud, quantum videlicet aperueris, tantum implebo. Maria aūt fuit vas super oēs Angelos purissimum, & super oēs hoīes & solidissimū & profundissimū; balsami huius odoriferi; totis huius Diuini plus alijs recepit. Nec inter Angelos, ait Rupertus, nec inter hoīes similē, vel primā hēt Maria, vel sequētē habitura est, vere columba quia gratia plena, verè electa q̄ non solum salua existeret, verum etiam salutem pararet, virtutum operatrix ac totius sanctitatis magistra, qualem nusquam oculus vidit, & qualis abinitio quando Eua facta est non fuit, nec est, nec erit; in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suauitatis, in omni flore & fructu honesta-

Margin notes: Luc. 1. — Respexit humilitatem Mariæ Deus — Ser. 2. de assumpt. — in 1. libr. Cant.

statis. Tanta abundantia perfudit illam Spiritus sancti gratia, vt sit velut illud Gedeonicum vellus, in qđ pluuia grā abū de descendit. Descēdet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Maria gratia plena, Astitit Regina grā tiarum, a dextris tuis in vestitu deaurato. *Astitit Regina a dextris Dei in vestitu deaurato*. quare non dicis irrigato? asperso? madido? cum gratiam Diuinam, dixeris rorem, oleum, balsamum fuisse? Cur dicis in vestitu deaurato, quum aqua non sit aurum? oleum autem nō deauret? Verum, scimus ex Iobo cui promiserat Deus, dare pro terra silicem; quod silex ille fundere debebat torrentes aureos. Licet igitur Christus petra, incarnatus in vtero virgineo, vomebat illi aquas; licet stillabat illi rorem; licet fundebat ei riuos olei: tamen ista aqua, iste ros, hoc balsamum, hæc flumina sunt torrentes aurei, quibus B. Virgo lauit vestimenta sua & deaurauit vestitum suum: Deaurata est hæc archa auro mundissimo, intus & foris; hic thronus Salomonis vestitus est auro fuluo nimis. Astitit regina a dextris Dei in vestitu deaurato, auro illo ignito, quod consulebat emere cuidam Ioannes. In vestito, deaurato, quia fuit Deificata, splendida, corruscans, illuminans, licet non alia illuminantia faciens. Et vt hic in limine calumniam opprimamus. *Igitur, inquiunt Hæretici, erit fons inundans, & de seipsa fundens aquas, qui nec possit exhauriri, nec minui*. Fatemur quod nō erit fons indeficiens, Christus enim est fons, qui nec exhauriri potest nec minui. Fatemur quod est fluuius; imo fatemur quod est fons non indeficiens quidem, sed inundans, sicut autem fluuius, licet inundet, non suam tamen sed a fonte acceptam aquam diffundit; sicut Luna inter alios Planetas quantumuis fulgeat & illuminet, non suo tamen sed alieno, & a sole accepto lumine in obscura nocte splendet, ita Dei Mater licet gratia & pulchritudine reliquos sanctos excellat, multoque illustrior habeatur; tamen quicquid hoc splendoris & fulgoris est, ab ipso authore Cœlique Principe, qui sol iustitiæ dicitur, mutuatur. Luna præterea inæqualem splendorem præbere solet, quę non semper æque rotunda, plena & fulgens operatur; Ad hunc modum nos gratiæ progressus Mariæ, cum Ruperto largimur. Quando spiritus sanctus in te superuenit & virgo concepisti & virgo peperisti, tunc tu, & ex tunc pulchitudine Diuina

Gratia est aqua aurea.

Iob. 22.

Maria in vestitu deaurato

Lib. 6. in Cant.

REGINA ANGELORVM.

Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon. de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. Cant. 4.

CONCIO SEXTA.

In qua Beatam Virginem prælatam esse in gloria Angelicis Choris, contra Ioannem Riuium, suadetur.

PLASTES & Artifex Creatorum cunctorum Deus, cum in seipso vndequaq. perfectissimus sit, imperfectionem atque defectum, in rebus a se conditis nullam habere cupit, sed illa quæ ad decorem vniuersi Orbis pertinent, quę permanent perpetuo conseruat, & adornat; q̃ sunt collapsa reficit & reparat; quę autem ad nihilum pene deducta sunt & confracta, ita vt primo decori restitui nequeant, alia in locum illorum producit & sufficit; ne.s. pulcherrima mundi totius machina, vt ædificium quoddam inconcinnum & imperfectum remaneat. Dei .n. perfecta sunt opera, ita cecinit Moyses, primus factorum Diuinorum hystoriographus. Solicitudinem hanc suam, voluit quondam ipse Deus parabolice declarare Hieremię Prophetæ. Surge inquit Deus, Hieremia & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas ꝙ faciebat ipse è luto manib. suis; conuersusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret.

[Margin: Deus collapsa restaurat, quomodo. — Deut. 32 — Hier. 18. — Deus figuli instar.]

fulgor Chrisolitinus Dominationum. Non defuit illi oculos clarificans viriditas Iaspidis, Thronorum, neque vero ethereus color Topasionis Cherubinorum; sed neque rubedo & ardor sardius Seraphinorum. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Vas illud pretiosum, signaculum similitudinis Dei, perfectissimum decore fuit, factum in honorem non in contumeliam. Asto infælicem casum; superbiæ ventus inflauerat, in domo illa magna Cœlesti, & illud vas, quia erat subtile, hæc aura venenata perflauit. In Cœlum, dicebat intra se, conscendam; super astra Dei exaltabo solium, & sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium & similis ero Altissimo. Quid tum actum est? Vas illud perfectum, subtile decorum, cecidit, corruit, confractum est. Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer qui mane oriebaris? (ita dicunt qui videntes admirantur ipsum) quomodo corruisti in terram? Vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es; detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Primo omnis lapis erat operimentum tuum; nunc autem subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Nec ille solum vnus cecidit, sed & Angeli eius cum ipso eiecti sunt. Draco iste magnus, habens capita septé, & cornua decem, & in capitibus suis diademata septem, cauda sua trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram. Pugnabat draco & Angeli eius, & non ualuerunt, neque locus est inuentus eorum amplius in Cęlo, Ruina magna facta est in Cœlis; Tabernaculum illud Cœleste imperfectum propter vacuos Thronos Apostatarum remansit. Quid ergo Opifex mundi Deus faceret? Vt eius perfecta sint opera, figulum agere capit, iam quidem non de illa cęlesti, sed de terrea materia formauit aliud vas; Formauit dominus Deus hominé de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitę, & factus est homo in animam uiuentem; vt ad quod pertingere non posset, propter disparitaté naturæ, & propter crassam corporis molem, vt scilicet impleat ruinas cœlorum, vt possideat terram illam gygantum superborũ; inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, spiritum gratię & virtutis. Per donum enim gratię, aiebat Sanctus Doctor Aquinas, homines mereri possunt tantam gloriam, vt Angelis æquentur secundum singulos Angelorum gradus,

[Margin notes: Luciferi casus. — Isai. 14. — Apoc. 12. — Gen. 2. — Homines assumi possunt ad gradus Angelorum. — 1 Par. Q. 108. ar. 8.]

dus, quod est homines ad ordines Angelorum assumi. Hinc factum est ut quantus numerus cum illo cecidit, tantus numerus ad Beatitudinē preordinetur. Et ex quo gradu aliquis corruit, illa gratia hominibus detur, vt quas sedes per naturam replere non poterant homines, easdem per gratiæ perfusionem possidere possint. Ceciderant de ordine Angelorum isti; sunt igitur plerique hominum qui parua capiunt, ait Gregorius Magnus, sed tamen hæc annunciare fratribus non desistunt, & isti in Angelorum numerum currunt. Corruerant alij de ordine Archangelorum; sunt ergo nonnulli homines qui summa capere & nunciare præualent, & isti in Archangelorum numero deputantur. Deiecti sunt nonnulli ex ordine Principatuum; sunt igitur alij homines qui etiam electorum hominum merita transcendunt, cumque bonis meliores sint, sortem suam inter Principatuum numerum acceperunt. Ceciderant ex ordine potestatum plerique; sunt ergo nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus effugant & expellunt, & isti meritum suum intra potestatum numerum sortiuntur. Corruerant alij ex ordine virtutum: sunt qui mira signa efficaciter operantur, & isti ad supernarum uirtutum sortem recipiuntur. Deiecti sunt nonnulli ex sede dominationum; sunt ergo homines, qui in seipsis cūctis vitijs dominantur, & isti intra numerum Dominationum currunt. Ceciderunt isti ex solijs Thronorum; sunt nonnulli qui sibimet vigilanti cura dominantur, & hoc in munere uirtutis accipiunt; ut iudicare se & alios recte possint, quorum mentibus velut in throno dominus pręsidens; aliorum facta examinat, & hi sui conditoris throni sunt. Corruerunt alij ex sublimitate Cherubin; sunt quidam qui tanta sapientia & scientia pleni sunt, vt iure Cherubin nominentur. Deiecti sunt illi ex celsitudine Seraphin; sunt nonnulli qui contemplationis & amoris facibus accensi, in solo conditoris desiderio anhelant, & quos verbo tangunt, ardentes protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum in ignem cor cōuersum lucet & vrit? Iudicabit dominus in nationibus, implebit ruinas. Sicut lutum in manu figuli sic domus Israel in manib. meis dicit dominus. Sed quonam ista? Ceciderat de cęlo vas illud prætiosissimum, ornatum omni lapide pretioso, perfecta, si fas est dicere, similitudo Dei. Cecidisti de cęlo Lucifer qui ma-

ne oriebaris, nunc detracta est propter superbiam maximam; vsque ad immum abyssi, pulchritudo sua, nunc operimentum eius uermes, sedes eius vacua per quinque millia annorum stetit in cœlestibus. Opus diuinum erat imperfectum, nullus dignus inuentus est, & in cœlo, & in terra, qui obtineret illum locum. Christo non conueniebat, quia sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, tanto melior Angelis effectus, quanto prę illis differentius nomen hæreditauit. Angelus qui remansit superior nõ potuit, in beata enim gloria sicut neq; deficere ita neq; proficere potest, super staturam suam neque vnum palmum adijcere valet. De hominibus simplicibus non est dubium. Rara enim auis est cui nihil desit, & quæ abundet omnibus, vt in suo genere fęlicissima esse videatur. Omnia uasa declinauerũt humana, corrupta & abominabilia facta sunt, pręter illud vnũ quod non de terra, vt Augustinus & Ambrosius ante eum ait, sed de cœlo Christus per quod descenderet elegit, & sacrauit tẽplum pudoris sanctissimam virginem loquor, uas admirabile; uas ornatum, solidum, perfectum, super ipsos Cherubin & Seraphin & splendidum olim Luciferum magis simile Deo. huic uni & soli, solium hoc, thronus iste sublimis, per Apostatã Angelum relictus, debebatur & seruabatur. Quia tota pulchra es. Sic ei loquitur Deus amica mea, in Angelis meis autem reperi prauitatem, in hominibus uero nullus est qui dicat, ego mundus & purus sum a peccato, tu sola es nullis maculis respersa. Tu pulchra es ut Luna, electa ut sol, ueni ergo de Libano sponsa mea, ueni de Libano, ueni coronaberis de capite Amana. de uertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum.

Hebr. 1.

lib. de inst. virg. c. 5.

Maria in locum & sedẽ relictã Luciferi successit.

Quis mihi dabit pennas vt columbæ, o Opifex optime, & uolabo & requiescam, & contemplabor, a ubinam ad pręceptum tuum eleuatur aquila ista, in quibusnam arduis ponit nidum suum? uolabo, & contemplabor, quonam trãsfertur de deserto, hæc uirgula fumi, ex aromatibus myrrhę & turris? & ui debo, quonam progreditur hæc Regina unica matri suę, electa genitrici suæ? quonam, inquam progreditur ut aurora consurgens, delitijs affluens, innixa super dilectum suum? Volabo & cõtemplabor quonam transferatur hoc uas gloriosum quonam uocetur Regina cęlorum, Regina sanctorum omnium.

Iob. 39.

Apostrophe Christi ad Mariam.

Qiud

quænam terra te accipiet, quæ Cæli & Cœlorum naturam superas, sanctitate? Quænam erunt vestes quænã fasciæ? qui amictus quibus vestieris. Quibus vnguentis vngent corpus tuum odoriferum impollutum & plenum sanctificatione ex quo scatet remissio, ex quo manat Immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio? Tu es noua theca vnguenti quod minimè exinanitur; tu es olei vnctionis exultatio; tu es aromatum quæ intelligentia appræhenduntur suffitus, Tu es flos incorruptionis; terra quæ fers aromata, lucerna luminosa, Thronus excelsus, Porta sublata supra Cęlos Cęlorum, Regina omnis creaturæ. Vis ergo vt cum seruo illo nequam, thesaurum hunc pretiosum inuoluam in sindonem, proijciam in sepulchrũ & vis vt cum Hieremia Lumbare hoc in fossa Euphratis putrescere per mittam? Florem hunc pedibus hominum conteram? lucernam hanc ponam sub modium? thronum hunc excelsum, vermium sedile constituam? Portam hanc Cęlorum, portam inferorum faciã? non. Non dabo, nõ dabo sanctũ hoc videre corruptionẽ.

And. Cretẽsim in orat. de dormit. Deip.

Luc. 19.

Frustra certe hic arrigis Supercilium Riui Nihil inquit, de Marię in Cęlum cum corpore & anima Assumptione Scriptura sacra meminit. igitur non debet dici assumpta esse in Cœlum cum corpore. Verum, concedimus & gratis, quod scriptura sacra nihil de hoc meminit. Ast Patres antiqui, coetanei Apostolorum, huius meminerunt, & hanc sanctam Dormitionem Virginis vt vocarunt illi, siue Assumptionem, laudatorijs sermonibus celebrarunt. Omitto posteriores sanctos. Dionisium Richelium. Antoninũ Florentinũ. S. Thomam Aquinatem. B. Albertum Magnum. S. Bonauenturam. Bernardum mellifluum. Richardum & Hugonem Victores; Taceo Doctorum Scholasticorum turbam; silentio obuoluo hystoricos Nycephorum, Socratem, Simeonem Methaphrasten, Sozomenũ, Michaelem Glycam. Nihil dicere volo de Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, Dionysio magno, Fulberto Carnothensi, Fulgentio, Chrysostomo; producam tantum Iuuenalem Archiepiscopum Hierosolimitanum, virum in Synodo Chacedonensi maxime probatum; quem etiam in præsenti causa, velut testem omni exceptione maiorem, Euthymius, Damascenus, Methaphrastes, Nicephorus & Glycas producunt. Is vero a summis Principibus, Marciano atque Pulcheria mo-

Patrum sententia de assũptione Mariæ.

nitus, coram multis in magno Patrum consessu, id respondit. Quod ipse rerum ad Ecclesiam suam Hierosolimitanam spectantium peritissimus, longa veracique maiorum traditione confirmatum acceperat. Nimirum, Apostolos totum triduum ad Mariæ Deiparæ monumentum perseuerasse, atq. cum clausum illud aperuissent, sepulchralia tantum lintea inuenisse; intemeratū vero corpus eius iam trāslatum nunquā apparuisse, sed simile quiddam cum Christi corpore, quod è clauso sepulchro linteis tantummodo relictis, ad vitam redijt, expertum fuisse. Leonem quoq. Imperatorem, cui Sapientis cognomen tributum fuit; huic libet adijcere, in hæc verba perorantem. Nos, inquit, diem festum Matri Dei sacrum, qui nunc denuo recurrit, solēni ritu ac cerimonia celebremus. Sed quæ linguæ facultas? quod orationis flumen, ad hoc argumentum aliqua saltem ex parte digne tractandum? quod laudatissima illa & bonis omnibus cumulatissima, hominum Angelorumque Domina exhibet, sufficere posse videatur? O super omnes benedicta, qui solus magnalia & potest, & facit præpotens Filius tuus; quid hodie tibi largitur & præstat? quid agitur? quod spectaculum exhibetur? An non obsecro te sanctificationis arcam, te ornatissimum thalamum, & Diuinissimum thronum ad suum Diuinum, & Augustale templum transponit? An nō illam ex qua carnis indumentum, quo inter homines versari posset susceperat, carne vestiuit & ad summa fastigia Cœlorum euexit? Contra igitur tot Sanctorum testimonia, contra perpetuam confessionem Ecclesiarum, quod non est in scripturis expressum, id non est asserendum? Quasi vero Mariam assumi cum corpore, repugnet vel scripturę, vel Diuinæ potestati, aut voluntati, aut honori? Non repugnat scripturæ: cum scriptura nihil de hoc autumet. Repugnat forte Diuinæ potentiæ? minime vero. Legimus. n. Deum, Henoch cum corpore ad paradisum transtulisse. Heliam in igneo curru ad Cœlos cum corpore rapuisse; Abachuc prophetam de Iudæa Babilonem deportasse. Cur ergo idem matri Domini denegandum est, ꝙ alijs longe inferiorib. Dei amicis & seruis tribuimus? Aut qua æquitate Dei potentiam in alijs agnitam, hic Mariæ deesse putemus? Repugnat hoc forte Diuinę voluntati? At neq. id asserēdum est. Si elegit Diuina volūtas, ita raciocinatur Augustinus,

Mariam assūptā esse cum anima & corpore, non repugnat Diuinę potentiæ & voluntati et iustitię.

ex tribus pueris in fornacē Babylonicā cōiectis, sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas, non solum puerorum seruare corpora illæsa; verum etiam vestimenta seruarē inusta; cur abnuit in matre propria, quod elegit in veste aliena? præsertim cum illa sit a Deo contexta purpura, vt Andreas Cretens. ait, indumētum regale; amictus a Deo variatus; aurea specie diplois; verbi purpura q̃ intelligentia percipitur. Tanto magis hoc nō repugnat Diuinæ voluntati, quanto Mariā nouimus a communi maledicto mulierum ex voluntate Dei liberā esse. Aerumnas quidem Maria sustinuit, addit August. cuius animam gladius passionis Christi pertransiuit: Sed conceptus non multiplicauit, Nec sub viri; id est mariti potestate deguit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit, & Virginitatis integritate manente Virgo permansit. Quē quia sine peccati colluuione, & sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit, & sine integritatis violatione, cum pudore virginitatis integra permansit: hoc. n. potuit efficere de matre, qui sic elegit nasci Deus de homine. Maria ergo etsi communicet ærumnis Euæ, non communicat parturiēdo cum dolore. Si ergo voluit integram Matrem cum virginitatis seruare pudore, cur non velit incorruptam a putredinis seruare fœtore? Repugnat forte honori? sed neq. id dicendum est. Ille.n. qui in vita sua præ cæteris Mariam gratia sui honorauit conceptus, pium credere est, singulari saluatione, eam in morte & speciali gratia honorasse. Potuit.n. eam tam a putredine quam a puluere alienam facere, qui ex ea nascens, Virginem eam potuit relinquere. Putredo namq. & vermis opprobrium est humanę cōditionis, a quo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de ea assumpsisse probatur. Caro.n. Iesu, caro Mariæ est. Repugnat forte Diuinæ iustitię? Imo conuenit cum iustitia. Iustitia dictabat, vt homo primus propter summam superbiam, auaritiam, inobedientiā, gulā: & cū corpore, & cū anima a Paradisi sedibus eijceretur: Iustitia dictat vt Maria propter profundissimam humilitatem, extremā pauperiē spiritus, maximā obedientiam, cæterarumque virtutum cumulum, & cum corpore & cum anima suscipiatur in Paradisum. Verum eamus paululū ad sepulchrū Virginis Mariæ, & interrogemus cum Damasceno, Tu vere o sacro- Allocutio sepulchri B. Mariæ.

rum sepulchrorum Sacratissimum, post Domini quidem sepulchrum, quod vitæ dedit principium. quod fuit fons resurrectionis. vbi est aurum purum, quod manus Apostolorum in te recondiderunt? vbi sunt diuitiæ quæ consumi nequeunt? vbi est qui Deũ suscepit thesaurus? vbi est mẽsa animata? vbi est nouus liber in quo ineffabiliter, Deus verbum inscriptus fuit sine manibus? vbi est abyssus gratiæ? vbi est pelagus curationum? vbi est ualde desiderabile & amabile corpus Deiparę? Ego (Sic respondet sepulchrum) quidem receperam corpus virginis immaculatum & intemeratum; tamen ad præceptum Dei vt quondam cete Ionam, eieci, euomui, continere nouam illam thecam vnguentorum Cęlestium non potui. Pręmiseram olim cũ ascendẽte Domino, multa corpora Sanctorũ ad Cęlũ; ad iussum illius. Qui .n. resurgente Domino resurrexerunt cum illo ascẽdẽte simul ascẽdisse credẽdi sunt: & nũc cõditor omniũ venit & vocauit. Surge q̃ dormis & illuminabit te Christus. Veni foras, *veni de hoc Libano*. Super Enoch magnificare; supra Heliam in altum extollere; & in gaudio in lętitia ineffabili, in æterna luce fruere pulchritudine mea; excutere de puluere soluta filia Syon, indue te decore & honore, quę a Deo tibi est sempiterna gloria; circundato te diploide iustitiæ, & impone mitram capiti tuo honoris æterni. Deus ostendet splendorem suum in te, qui sub cælo est. Exurge & sta in excelso, Veni, exple te delitijs, quæ non possunt exinaniri, & beatitudine in quam non cadit senectus: illic vbi est torrẽs æternarũ delitiarũ, vbi sunt prata incorruptionis fontes vitæ ęternæ fluẽta lucis quæ ex Deo scaturit. Processit de deserto sepulchro, ut virgula fumi. Processit innixa super dilectum suum. Processit vt aurora consurgens, sacra virgo, templum illud pudoris, aula regia, animata archa; deducta est a Rege gloriæ cum ingenti iubilo, ad dilecta tabernacula Domini virtutum. Illa archa quæ suum in vtero gestauit artificem, processit in templum Domini, quod nullis est excisum manibus. Dauid eius Parens ante ipsam exultauit & cum eo choros ducebant Angeli Eam virtutes glorificauerunt, principatus simul exultarunt, Potestates collætabantur, gaudebant Dominationes, Throni fæstũ celebrarũt, laudauerũt Cherubini, gloriã ei⁹ pręedicarũt Seraphin. Quis mihi det iterum illas pennas columbæ, & volabo & con-

Anselmus & Beda in 27. cap. Math.

Parurh.

tem-

templabor, quam gloriosa tunc mundi Regina processit? quāto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionū egressa fuerit multitudo? quib. ad thronū gloriæ canticis sit deducta? quam placido vultu, quam serena facie, quam Diuinis amplexibus suscepta a filio? quo honore qui tantum decuit filium, quo tanta Mater digna fuit præmiata? quo diademate coronata? in quo excelso throno collocata? Omnes Cœlitū Ordines processerunt in occursū B. Mariæ.

Quam gloriosa tunc mundi Regina processit? existimo cum Damasceno, quod tunc elementorum factus est motus & alteratio; tunc Sol radios suos in nouum solem clariùs exerere cœpit: tunc luna pulchriorem virginem quā lunam admirata, insolito fulgore clarere cœpit: tunc voces & strepitus laudesque dignas canebant Apostoli, miraculosè ad exequias prætiosas congregati. Hæc est finis (sic primus concinit Petrus) testamentorum B. virgo, quæ nobis fecit Deus; hæc est declaratio occultorum & profundorum Diuinæ incomprehensibilitatis. Alternis vocibus postea alij iubilabant. Hic est scopus qui excogitatus fuit ante sæcula: hæc est summa Diuinorum oraculorum: hoc est ineffabile & quod plane cognosci non pōt, eius quæ est ante principium curationis humanæ, consiliū; hæ sunt primitiæ cōmunionis & coniunctionis oīum genitoris Dei cū suo figmento. hęc est Diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit fideiussio; eximia pulchritudo; à Deo sculpta statua, rectè descripta Diuini Archetypi imago; totius contemplationis & ascensus sustentaculum; Sanctissimū verbi omnium Creatoris tabernaculum. Qui Deum suscipit, sapientiæ quæ non potest exterminari crater; vitæ cui nihil potest auferri penarium. Tu es res illa magna veneranda; Oeconomię, quam cupiunt inspicere Angeli. O columna mortua, & columna viuifica, (sic concludebant) non carnalem per lucem deducens Israelem qui fugatur; sed spiritualem qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, Diuinis illumina facibus. O nubes tota lucida & mons vmbrosus, non adumbrans ingratum populum Iudæorum, sed electam Dei consilio gentem sanctam, maternis tuis tædis illustra. Andreas Creten.

Aderant quoque & illic Angeli præcurrentes, deducentes, consequentes. non in curru igneo vt Eliam; non in nube vt

Enochũm, sed in manibus proprijs: partim quidam sanctissimam & nulli culpæ affinem animam comitantes, & simul ascendentes donec Regali throno stitissent Reginam; partim autem Diuinum & sacrum corpus circundantes, & canticis quæ Angelis digna erant, Dei matrem celebrantes; Nisi forte Paulo non credimus, qui Angelos omnes administratorios spiritus, missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis appellat. Hebr. 1. Quod si alijs sanctis tantum fælicitatis obtigit, vt etiam Lazaro mendico; Luc. 16. quod animæ illorum, statim custodes deportatores, ac ministros cum hymnis & laudibus deducentes obtinerent: quid minus obsecro, imo quid non longe amplius Matri Dei concessum dicemus? An non laudantes & concinnentes & exultantes cum frequenti & celebri pompa, Domini matrem, in nouum illud hospitium induxerunt, & illam non in sinum Abrahæ, sed ad locum tabernaculi admirabilis, ad thronum excelsi Dei, ad sinum Patris in quo ipse filius vnigenitus manet, honorificè, cum suaui melodia deduxerunt? Aderant etiam cum Regina Diuina, eorum qui vixerunt Patriarcharũ & Prophetarum animæ, præcedentes & eam deducentes, & cantica sua resonantes. Primus Adã & Eua, existimo accesserunt & hymnum hunc cecinerunt. Damascenus. Tu Beata filia, deleuisti pœnas nostræ transgressionis. Tu cum quod corrumpi poterat, tanquam hęreditarium corpus a nobis accepisses, in vtero, nobis gestatis indumentum incorruptionis. Tu cum a nobis originem duxisses, dolores partus soluisti, mortis fascias perfregisti, nobis antiquum restituisti habitaculum; Nos clausimus paradisum, tu ligni vitæ viam aperuisti. Per nos ex ijs quę bona erant, venire quæ erant molesta; per te ex ijs quæ erant molesta, redierunt meliora. Alij vero sanctorum subiungebãt. Tu nobis adimplesti prædictiones. Tu nobis eam quæ expectabatur adimplesti lętitiam. per te enim soluti sumus a vinculis mortis. Cur vero ista non facerent? An vero non aderat tempus illud fęlix, quo suam gratitudinem explicarent, & vna cum Angelis concepti gaudij specimen exhiberent; atque in Maria Deum maxime prędicarent? Sed & ordine suo cum Angelicis hierarchijs solenniter accinerent? Aue gratia plena. Benedicta vbera tua, Benedicta viscera tua. Quod si tam alacri animo exultauerat olim vnus Prophetarum in vte-

to ma-

to materno, dum Virgo matrem eius salutabat; quale tripudium in illis Beatis extitisse credemus, ad aspectum virginis in tanto decore & lumine mirabiliter apparentis, sibique mox animos spectantium conciliantis? Cur obsecro ad imitationē Dauidis non facerent, & sacram archam Domini quæ iam ob oculos erat non lęti deducerent? non suspicerent? nō maximis honoribus dignarentur? qua vna post Deum nihil pręstantius, nihil augustius, & formosius, vel inuenirent, vel desiderarent? Aderat & ibi Christus Dei filius, qui in amplexus & oscula eius ruens. dixisse ista visus est. *veni de Libano*, veni immaculata mea, ego sum qui Patrem & matrem filijs honorandos commendaui. ego vt facerem quod docui, & exemplo essem alijs vt Patrem honorarē in terram descendi; nihilominus vt matrem honorarem in Cœlum reascendi. Ascendi & pręparaui tibi locum glorię, vt a dextris Regis, Regina coronata cōsideas. Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea, nulli abundātius administrare volo in glōa mea. *Veni ergo coronaberis de capite Amana de vertice Sanir, & Hermō, de cubilib. leonū et de montib. Pardorū.* verū quid sibi volunt ista? Coronaberis primo de capite Amana. secundo de vertice Sanir & Hermō. tertio de montibus pardorum. quarto de cubilibus leonum? An vero Beata virgo, coronanda est corona illa quam sibi pollicebatur superbus Aman? An vero cespites montium Sanir & Hermon imponendi sunt capiti illius glorioso? An vero pellibus mortuis, leonum & pardorum circumamicienda est. Ridicula sunt ista certe. A cortice ad medullam veniamus. Coronata est Beatissima Dei genitrix, *de capite Amana illius* superbi, qui est rex super filios superbię. Coronata est de capite Amana, illius conturbantis & tumultuantis Luciferi; (ille enim fecerat pręlium magnum in Cœlo,) quia illi lapides qui erant operimentum suum, quibus spoliatus & priuatus erat, facta sunt in ornamētum capitis virginis humilis & virginis amore flagrantis. Ille thronus ex quo cecidit vas illud pretiosum, sed inflatum, illud glorię solium de quo deiectus est calumniator, accusator fratrum, illa sedes de qua pulsus est conturbans & tumultuans, Beatissimę virgini pacificę assignata & data est. Beata virgo vas solidum ornatum omni lapide pretioso, ruinam illam magnam quam fecerat Lucifer, scissuram quam

Guerric. ser. 4. de assumpr. Mariæ.

Coronaberis de capire Amana qd sibi vult.

draco reliquerat, solâ impleuit. Scitum est apud omnes Theologos illud commune axioma, desumptum ex Sacris literis, quod, Secundum mensuram charitatis & humilitatis in via, datur etiam gradus beatitudinis in Cœlesti Patria. Hoc enim sonant verba illa Diuina apud Zachariam Prophetam. Exæquabit gratiam, gratiæ eius: & illa Domini, humilitatem docentis. Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Addunt nonnulli explicando, igitur qui se maxime humiliat, maxime exaltabitur. Nec infirma est consecutio, Habemus enim eius exemplum, in ipso Saluatore nostro. Hic.n. quia humiliauit semetipsum super alios, factus obediens vsq; ad mortem & mortem crucis, exaltatus est super alios: Donauit.n. illi Deus nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Maria autem virgo sanctissima super omnes creaturas, imo infra omnes creaturas melius dixissé, se humiliauit, Quia respexit humilitatẽ ancillę suæ. nõ virginitaté, non generis claritatem, nõ virtutũ aliarũ ornatũ, humilitatẽ respexit. Eua.n. per superbiã fuit abiecta, ego propter humilitatem electa. Superbã Deus despexit, & me humilẽ respexit, id q; Eua superba perdidit, ego humilis ancilla recepi. Clara est eius humilitas, in congressu illo primo cũ Gabriele. Venit cœlestis nũtius ad virginẽ, eáq; vt futuram Domini sui Matrẽ honorificentissimis verbis salutat; gratia plenã & super mulieres omnes benedictam appellat. Quid autem Maria? Forte his nouis laudib. & titulis delectata superbiuit? inflata est? nõ vtiq, sed turbat, trepidat, & intra se tacita cogitat. Vnde hoc mihi vt mittat ad me sũma, & æterna maiestas? vnde hoc mihi quod vnum de primis Ciuibus cæli lectissimis, ad me vilem ancillam descendere iubeat? Vnde hoc mihi quod spiritus sanctus obumbrare vult mihi? quod verbum ineffabile de ventre meo vult exire? Ecce ego ancilla Domini. Vide humilitatem, monet Ambrosius, vide deuotionem. Ancillam se dicit Domini quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est, simul ancillam dicendo nullam sibi prærogatiuam tantę gratiæ uendicauit; quæ faceret quod iuberetur. Quis vnquam mortalium & immortalium creaturarum se intantum humiliauit? Quis unquam de tam sublimi fastigio virtutum, se deiecit? atque in tantum honorem euectus ut Maria, se in suis oculis adeo exiguum reputauit? Nullus certe. Magna fuit humilitas

[Margin notes: Zacha 4. — Phil. 2. — Humilitas Mariæ. — in 1. cap. Lucæ.]

ſtas Abigail illius, ad quam miſerat Dauid Rex, ut matrimo-
1. Reg. 25. nio ſecum iungeretur, reputabat enim ſe ancillam. Ecce famu-
la tua ait, ſit in ancillam, ut lauet pedes ſeruorum Domini mei.
Pſ. 130. Magna fuit humilitas Dauid Regis, qui gloriabatur. Domine
non eſt exaltatum cor meũ, non ſunt elati oculi mei. Maxima
eſt demiſſio Angelorum omnium, qui aſſidue pauentes & con
tremiſcentes poplite flexo adſtant uiuenti Deo. Maior tamẽ eſt
humilitas & demiſſio Mariæ, quo in ampliorem ſtatum eleua-
ta, eo deiectiorem & humiliorem ſe eſſe iudicabat. Cui enim
ex iſtis ſiue Dauidi, ſiue Abigail, ſiue Angelis tanta fælicitas ob
tigit, vt Angelica legatione honoraretur? totius adorãdę Trini-
tatis nomine, plenus gratia & inter omnes creaturas benedi-
ctus nuncuparetur? Cui nam hoc cõtingit, ut illi dicatur. Quod
ex te naſcetur uocabitur filius Dei? tu eris ſponſa Dei? mater
Dei? Abigail erat uxor mortalis Dauidis; Dauid erat ſicut unus
ex nobis: angeli ſunt miniſtri; Dei Maria autem eſt Genitrix
Dei; attamen non extollitur, non inflatur ſed ſe ancillam humi
lem profitetur dicens. Ecce ancilla Domini; Quia ergo de tor
rente in uia bibit, ideo exaltabit caput. quia infra omnes Crea
turas ſe deiecit ſupra omnes eleuabitur, & exuuijs ſuperbi A-
mana, iſta humilis Heſter coronabitur. Omnis lapis ornamen
tum tuum o uirgo, poſtquam Amana ſuperbi operimentum
facti ſunt uermes. *Coronaberis de capite Amana*; ſardius, Topa-
ſius, uniuerſique lapides erunt opus decoris tui: ſedes illius, ſe-
des eſt tua. De torrente in uia bibiſti, exaltabis igitur ſuper om-
nem Creaturã uerticem tuum. Coronaberis de capite Amana.

Ser. 29. in Cant. *Coronaberis de uertice Sanir & Her non.* Certum eſt & indubi Charitas Mariæ.
tatum Beatam Virginem plus cæteris Creaturis amore in
Deum exarſiſſe. Eſt ſagitta, inquit Bernard. electa amor Chriſti
quæ Mariæ animam, non ſolum confixit, ſed etiam pertranſi-
uit; ut nullam in pectore uirginali particulam uacuã relinque
ret, ſed tota uirtute, toto corde tota anima diligeret, & eſſet gra
tia plena. Nec mirum; cæteræ enim creaturæ Deum, ut Deum,
ut cõditorem & ut Parentẽ ſuum dilexerunt; nulla autem ut fi-
lium dilexit: At hæc uirgo, Deum & ut Deum; & ut filium Spi
ritus ſancti uirtute conceptum, & in lucem editum, incompa-
rabili amore amplexa eſt. Ardent quidem Seraphini plus alijs
Angelis amore Diuino; uerum in nullius pectore ſic ſuccenſa
eſt

est flamma dilectionis, ut uirginis. Nullus ex istis amore uulneratus ex amore elanguit & præ amore clamauit. lampades eius lampades ignis at que flammarum. Aquæ multę non potuerunt Mariæ extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, Ardebat olim amoris flamma Paulus Quis nos separabit, aiebat, à charitate Dei quæ est in Christo Iesu? Certus sum inquit, quia neq; mors, neq; vita neq; Angeli, neq; principatus neq; uirtutes, neq; in stantia, neque futura neque creatura alia poterit nos separare a Charitare Dei. Cęterum & Paulus contraxerat quosdam næuos, ex pugna; quæ separabant illum ab amore Diuino. Ego inquit, mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Maria autem bonum certamen certauit, nunquam decidit, nunquam commaculata fuit: cursum consummauit, fidem seruauit. de reliquo data est ei corona iustitiæ. *Coronaberis de vertice Hermon destruentis & de vertice Sanir lucernæ ardentis*, Gloriam quam habent Cherubini scientes, destruentes omnem scientiam extollentem se aduersus altitudinem Dei; Honorem quem habent Seraphini lucernæ ardentes, tu habes o B. Virgo, q̃ & Cherubinos sapientia & Seraphinos ardore p̃celluisti. Nec solũ de Sanir vertice & Hermon Cherubinorum & Seraphinorum; sed & coronaberis de capite Amana. Exaltata es super choros Angelorum ad Cælestia Regna. *Coronaberis & de cubilibus Leonum.* illorum. scilicet de quibus Petrus aiebat. Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quem deuoret. Gloriam enim quam perdiderunt Angeli satanæ, tu obtinebis. *Coronaberis & de montibus pardorum*, hominum scilicet diuersitate uirtutum fulgentium. Ex hoc enim quod virgines castitate, Confessores sobrietate, Martyres constantia. Apostolos zelo, Prophetas spe. Patriarchas fide, Omnes sanctos & sanctas virtutum multitudine præcessisti: ex hoc q̃ filias Syon quæ congregauerant diuicias multas, supergressa es vniuersas; ex hoc quod Angeli mirantur in te tantam de singulis personis custodiam: talem Archãgeli de omnib. locis diligẽtiã: Principatus, de omnib. regnis prouidẽtiã; Potestates tãtã sup dęmones potẽtiã; Virtutes, tãtã miraculorum efficaciam: Dominationes, tam magnam super Angelos præeminentiam; Throni pacem & quietem in Deo tranquillam; Cherubini sapientiam profundam: Seraphini charita-

Rom. 8.

Rom. 7.

Coronari de cubilibus Leonum & de montibus Pardorũquid

charitatem adeo in tuo corde succensam; Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Exaltaberis super choros Angelorum ad Cælestia regna. Ex hoc quod non defuit tibi visum delectans smaragdina honestas Angelorum, & Carbunculina claritas, noctem illuminans Archangelorum; ex hoc quod non deerat tibi sereno similis cœlo Saphirinus candor Principatuũ, & vrens tenentium manus Beryllina flamma Potestatum: ex hoc quod habuisti, nigredinem Onychinam virtutum: Aureum fulgorem Chrysoliti Dominationum: Oculos clarificantem Iaspidem Thronorum; ex hoc quod non defuit tibi æthereus color Topasionis Cherubinorũ, & ardor Sardius Seraphinorum: omnis lapis erit operimentũ tuũ, eris vas omni lapide pretioso ornatum. Coronaberis de capite Amana: sedem & locum illius obtinebis, Coronaberis de vertice Sanir & Hermon: exaltata es super Choros Angelorum ad Cœlestia regna: Coronaberis de cubilibus Leonum, quorum contriuisti tuo calcaneo capita. Coronaberis de mõtibus Pardorum: quia tantum in Cælis gloria Maria obtinet singularis, quantum in terris gratiæ adepta est præ cæteris. Quia ego ad tam sublimem statum euecta es, o virgo Sanctissima, nos quoque lętamur & tibi congratulamur, Caro enim & sanguis noster es. Reliquisti nos orphanos in hoc exilio; Aduersarius noster & tuus abiit facere prelium cum semine tuo, qui custodiunt mandata Dei & habent testimonium Iesu Christi; tu aquila præpotens defende nos ex alto, virtutum cumulum nobis impetra. Regina es super Angelorum choros eleuata; custodi nos vt Angeli, excelsa nobis annuncia vt Archangeli: de omnibus nobis habeto prouidentiam vt Principatus; Dęmonum vim reprime vt Potestates, mirãda nobis operare vt virtutes; nobis præesse velis vt Dominationes: sedes Dei nos efficias vt Throni; sapientia intellectum illumina vt Cherubini: Amore affectum inflamma vt Seraphini; vt post huius vitæ cursum, ad illorum sedes venire mereamur, te interueniente dulcis amica Dei. te trahente
Apo. 12. quæ Regina Angelorum es in sæcula seculorum Amen.

MATER

MATER CHRISTI

Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare, &c. Isaia. 8. c.

CONCIO SEPTIMA

In qua carnis Christi assumptę de virgine veritas, probatur contra nefandos errores Gentilis. Serueti. Simonis. Petri Germani. Marcionis manichæi. Valentini Pythagorici, & aliorum.

OPIFEX ille cui nomẽ est Omnipotẽs Deus, etsi ex incompræhensa virtute sua, omnia quæcunque voluntati, & sapientiæ ipsius consona sunt, facere possit; duo tamen sunt reperta, à communi ęstimatione, quæ omni potentiam eius effugiunt. Mentiri scilicet & peccare. Mentiri quidem non potest. Deus siquidem qui est fidelis & verax, & ipsa summa & prima increata veritas, in naturam Dæmonis, qui semper ab initio est mẽdax, & in naturam non Dei, transire atque commutari nequit: Mentiri igitur non potest. Non enim cogitationes Dei ut cogitationẽs humanæ, neque locutiones Diuinæ vt locutiones hominum, a quibus diminutæ sunt veritates; qui vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. qui extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij & non veritatis. Non est necesse, vt homo se a Deo custodiat, ad quẽ accedere est omne bonum adinuenire, a quo auerti cadere, in quem conuerti resurgere, in quo manere consistere est: a quo exire mori & in quem redire reuiuiscere, & in quo habitare viuere est. Non est necesse ut homo se a Deo custodiat; sicut enim supplantari & falli,

Deus nõ põt mentiri.

falli, cũ oĩa nuda & aperta sunt oculis cuius; ita & supplãtare
Deut. 32 & fallere non põt. Omnes.n. viæ eius iudicia, Deus fidelis, vt
canebat Moyses, & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.
Ps. 144. fidelis Deus, alter Propheta testabatur, in omnibus verbis suis
& sanctus in omnibus operibus suis. Solus Deus verax, quod
Hier. 33. Christus veritas dicit, omnis autem homo mendax. Promiserat quondam per Hieremiam vatem, verbum quoddam domui Israel suscitare. In diebus, inquit, illis & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, In eius diebus saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter; & nomen eius vocabunt Dominus Iustus noster. Quod promissum sic voluit ratum haberi, neque eo decipere; vt potius irritum faceret pactum cum natura a se creata, quam cum domo Iuda. Si, inquit Deus, irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius. Quasi diceret. Prius, sole oriente lumen ab eo auferetur; vt non sit dies, ne illuminet horizonta nostrum. Prius auferetur fulgor lunæ ascendentis, ne pallorem inducat, vmbrasque diuersas effingat in mundo nostro, ne sit nox in tempore suo: quã irritum erit verbum quod iuraui Da-
Psal. 88. uid seruo meo. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semẽ eius in ęternũ manebit, & thronus eius sicut sol in cõspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in Cęlo fidelis. Cœlum & terra prius transibunt, verba autem mea non præteribunt. Fallere igitur vt non debuit, sic etiam non voluit, sed post longas suplicationes Sanctorum Patrum, post diuturnam expectationem afflictorum populorum: post tot repetitas pollicitationes: vbi venit plenitudo temporis, dixit ad scriptorem illum, cuius lingua sicut calamus scribæ velociter scribentis. Linguam & scriptorem, hic accipio Spiritum sanctum. Sicut enim lingua carnis administrat verba hominis, ita Spiritus sanctus animæ credenti suggerit verba Dei. Quare & dum super Apostolos Christi descendit, quos nimirum homines sine literis, & idiotas, deinceps peritos & eloquentes facere veniebat, in linguis igneis apparuit. Dixit inquã ad Scriptorem illum, qui digito suo scripserat legem igneam in ta-

bulis

bulis petreis; cuius digito, siue quo digito filius Dei eijcie-
bat Dæmones: quo digito Deus legem illam nouam datam in corda,& in viscera humana superscripsit: charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis: cuius digiti Balthasar Rex, abutens vasis templi Domini, articulos aspexit. In eadem hora, ait scriptura, apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: Spiritu enim sancto cum sint sacrata templa & vasa templorum, conuenit vindicare iniuriam illorum. Quid igitur dixit Deus, ad hunc scriptorem velociter scribentem? Quod illi verbum scribendum mandauit? *Sume tibi*, inquit, *librum grandem*. Quis iste liber grandis? *Librum illum magnum*, in quo ego expressi imaginem meam. Librum illum in quo sunt descripti omnes thesauri sapientię & scientiæ absconditi; in quo ego legi quomodo mundum Crearem; quomodo creatum conseruarem, conseruatum prouidentia suaui gubernarem, gubernatum beneficijs diuersis augerem, adauctum ad suum scopum deducerem. Sapientia enim Diuina liber iste magnus aderat, cum Deo quando cœlos pręparabat, quando certa lege & gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ; cum eo eram, inquit sapientia, cuncta componens. Sume tibi librum grandem, illum scilicet qui est positus ad dexteram meam super thronum excelsum; cui ego dedi, substantiam meam, potestatem, & honorem & virtutem & regnum; cuius potestas, potestas æterna quę nõ auferetur; cuius regnum, regnum æternum quod non corrumpetur; cui omnia quæ habuit donaui. *Sume tibi Librum scriptum intus & foris*; illum scilicet qui est totus verbum, quod ego ante sæcula ex corde & in corde meo eructaui: quod erat in principio apud me: per quod omnia feci: sine quo productum est nihil; in quo omne factum vita erat. *Librum clausum sigillis septem* in corde Paterno. 1. Essentia scilicet Diuina 2. voluntate Paterna. 3. Seraphinorum alis. 4. Angelorum astantia. 5. lumine sicut vestimento 6. Nebula protegente 7. vmbra seu caligine quæ est in circuitu eius. *Sume librum*

Clau-

Margin notes: Daniel 5 (beside "est nobis: cuius digiti Balthasar"); Liber grãdis uerbũ Dei. (beside "mandauit"); Prouer. 8. (beside "uersis augerem"); Apoc. 5. (beside "nens. Sume tibi librum grandem")

Clausum sigilis septem. 1. virtute scilicet. 2. Diuinitate, 3. Sapientia, 4. Fortitudine. 5. Immensitate. 6. Infinita perfectione, 7. Perfecta bonitate. Librum quem *nemo dignus inuentus est aperire neque in Cælo, neque in terra, neque subtus terram*, sed neque respicere illum. Quis enim mentis acie, sit etiam Seraphin vel Lucifer ipse, comprehendere valet verbi illius generationé, & essentiam? Generationem eius quis enarrabit? Quomodo sine successione, sine variatione, sine imperfectione a Patre producatur, quis demonstrabit? Sine successione progenitus est liber iste immensus; non enim erat aliqđ tempus, quo nō fuit verbum Patris, hoc erat in principio apud Deū; neq; erat aliquis motus per quem generaretur. Simplici enim emanatione intellectus genitum est. Eructauit cor meū verbum bonum. Sine variatione. apud Deum enim non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Deus autem erat verbū. Sine imperfectione. Verbū enim istud, est splendor gloriæ & figura substantia Patris; est vapor virtutis Dei & emanatio quędā claritatis oīpotētis Dei syncera; est candor lucis ęternę, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius? Propter quod nullus & in cœlo, & in terra, & subtus terram potest respicere illum, Deum. n. generantem nemo vidit vnquam, pręter Agnum illum, qui occisus est; qui venit & accepit de dextera Dei, in throno librum. qui dignus inuentus est aperire illum, & soluere signacula eius. Huic. n. soli data est virtus, & Diuinitas & sapientia, & fortitudo, & honor, & gloria & benedictio. *Sume tibi librum grandem*. Quid ergo cum isto libro faciam? *Et scribe in eo*. Si autem iste liber scriptus est intus & foris: si est ipsum verbū, si est exaratus omni Sapiētia, intelligentia, scientia: Si omnia quęcunque nouit Pater, nouit & Filius; si est plenus characteribus; est enim ipse character substantiæ tuæ omnia continentis. quid ergo scribam? quomodo, cum plenus sit, scribam. *Scribe ait, in eo Stylo hominis* nouo quodam stylo, stylo hominis: hoc enim Stylo nihil cousque delineatum est in eo. O fęlix mandatum, o desideratam magis scripturam. Venūdati fuimus in captiuitatem inimicorū crudeliū; chyrographo obsignata erat nostra captiuitas; Peccatū Iuda, testatus est Deus, scriptū est Stylo ferreo in vngue adamātino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus

Verbi Dei perfectio.

Iob. 1.

Sap. 7.

Stylo hominis scribere qd.

Hier. 7.

ararum eatum,scriptorem expectabamus, qui acciperet cautionem nostram, qui acciperet de solio Diuino librum hunc, & scriberet in eo nouum Chyrographum, velociter Spolia inimici detrahe,cito prędare: qui exararet Chyrographum nouæ redemptionis,vetus autem iuberet delere, perpetuæ obliuioni tradere,affigere illud cruci. *Scribe ait in eo Stylo hominis*,eas ad Virginem, & intinge digitum virtutis tuæ in illa subobscura, non quidem per peccatum sed per carnis naturam, materia, & scribe in hoc libro,in hoc verbo quōdam abscondito signato, Stylohominis. Verbum caro factum est. Verbum caro factum est. Superuenias in Mariam,virtute tua illi obumbres, Exara in verbo meo nouam similitudinem humanitatis, subatrum hominis naturæ charactere eius insculpe menti,ne moreris,cito accede;scribe in eo Stylo hominis Ne pręcor miremini insolitum explicandi modū,dū hic nec atramentū neque calamum conspiciatis. Natura .n. humana, aiebat Rupertus,de Virgineæ carnis substantia, sic est assumpta velut membranula munda,& bene accurata. Scriptorioq. operi accomoda; & ipsa lingua Patris spiritus Sanctus,velociter percurrit, velociterque vt calamus scribę totam præscripsit,totam verbi substantia repleuit, nihilque residui fuit, sed totum quod erat in corde Patris illi animę inscripsit. Inscripta est, (idem alibi,) vera & integra hominis natura,veræ & perfectæ verbi,huius naturę;s.coniuncta in vnitate personæ absque confusione vtriusque substantiæ.sic effectum est præclarum illud electrum, humani generis prætium atque ornamentum, in quo & Diuinitatis aurum nihil de suo fulgore perdidit, & humanitatis argētum,augmētum sui decoris obtinuit. Virtute tua obumbres illi, Virgo sine virginitatis detrimento concipiat ex te,& pariat filium. Prophetissa illa in cuius vtero omnium Sanctorū Prophetarum completa est Prophetia, quæ mēte nouit illud quod carne concepit;ex te concipiat & pariat filium. *Scribe in hoc libro* in hoc verbo. *Stylo hominis* verbum caro factum. Fęlices nos,quia non Angelos sed semen Abrahæ appræhēdit,nō Angelorū natura,sed semine nostro superscripsit librū hūc.Pręuaricatus est Angelus mandatū Diuinū,abusus est gratia Dei; crystas erexit cōtra Altissimum. Cecidit in illam abyssum profundam inferni,de altissimo Cęli throno. Peccauit & Adam,

De victoria verbi lib. 11.c. 23.

Lib. 1. Cōment. sup Ioā.

Hebr. 2.

cibum

Genes. 3. cibum vitæ in mortem & perniciem suam comedit, medelam in toxicum conuertit; visa nuditate sua, considerata maiestate, potentia, & iustitia Creantis, quia est vindex malorum: cum tota posteritate sua fugiebat a facie Domini. Cum.n. audisset vocem Domini Dei, deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, fugit & abscondit se Adam, & vxor eius a facie Domini Dei, in medio ligni Paradisi. Elongaui, dixit quidam, fugiens, & mansi in solitudine. Clamauerat post ipsum Deus, Reuertimini filij reuertentes, Conuertimini ad me & salui eritis, Recordatus sum miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur, Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras; saltem amodo vocate me. Pater meus, dux Virginitatis meæ. Homo autem terga vertebat; elongaui fugiens, ait, & mansi in solitudine. Clamauit Deus, nunquid solitudo factus sum tibi, aut terra serotina? cur ergo recessisti a me? Obstupescite cęli super hoc & portæ eius desolamini vehementer: duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non valent continere aquas, Nunquid seruus est Israel. aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? Homo autem fugiebat; elongaui, dicebat, fugiens & mansi in solitudine. Deus laborauit clamans, raucæ factæ sunt fauces eius, Adam vbi es? Adam vbi es? Quid factum est? In paradiso te reliqui, in solitudine te inuenio. Alia gloria te vestitum reliqui, nunc in nuditate te inuenio. Vnde tibi hoc accidit? Quis te in tantam induxit vicissitudinem? Quis latro vel fur sic semel omnes diuitiarum substantias auferens, in tantam te inopiam deduxit? vnde nuditatis tibi sensus contigit? Quis tibi autor fuit, quod ablatum a te vestimentum illud admirabile quo amictus eras? Quæ repentina hæc mutatio? Quæ tempestas ita subito omnes tuas merces demersit? Quid accidit quod ab eo qui tibi tanta beneficia præstitit, & in tantum te honorem euexit, occultari & fugere attentas? Adam vbi es? seruum ne ego te aut vernaculum feci? Nunquid non Dominum & Regem vniuersorum ego te constitui? Quare ergo factus es in prædam? Quare

Margin notes: Adam fugit a Deo. — Hierem. 2. — Allusio ad Paradisum. — Genes 3.

Satanas accepit in te potestatem? Cur infernus contra te, aperuit sine termino os suum; Adam vbi es?

Vociferatusne est quando post Satanam cadentem sicut post nos? Satan vbi es? Reuertere. supposuit ne quando illi manus, ne cadens de Cœlis confringatur? Nunquam. Nunquam Angelos cadentes, sed semen Abrahæ, sed fugientem hominem appræhendit. Verbum caro factum est. Non dixit in carnem filium Dei venisse, Cyrillus Alexandrinus interpretatur, sed carné factum fuisse, nequis habitudine sicut in Prophetas, & in cæteros sanctos venisse ipsum, sed vere carnem, idest, hominem factum esse arbitretur. Non dixit per carnem venisse, seu cum carne venisse, ut pestiferi serpentis aflatu seducti Valétinus Gétilis, Michael seruetus, Menno Simon, Petrus Germanus, Dauid Georgius Holládus, Appelles, Marcion & Valentinus, & alij Manicheorú fermento aspersi, effutire ausi sunt; sed verè carné id est hominéin vtero Virgineo, de sanguine virgineo factum esse. Virgo igitur Maria quia cótulit Christo corpoream substantiam, appellari debet Mater Christi.

In 1. cap. Ioan.

Sufficiebant quidem pauca ista verba, ad suadendam vobis Maternitaté Virginis, tanto magis quanto vniuersus mundus credit & confitetur. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est; tanto magis quanto execranda dogmata Nouorum Dæmoniorum, effracta & profligata a Patribus antiquis Augustino Cyrillo, Ambrosio, Irenęo martyre, Tertulliano, Origene, Iustino, Hyppolito Martyre, Athanasio, Fulgentio, Euthimio, Eusebio Emisseno, iam in Appelitis, Marcionistis, Valentinianis, quorum alij, Christi carnem non de Matre, neq. de Cœlo, sed ex mundi elementis deducebant & in eadem eleméta post resurrectionem dissolui oportere cótendebant, Alij Christo corpus fantasticum affingebant, Alij corpus de Cęlo attulisse, ac per Mariam, solum tanquam per rimam, siue canalem, aut fistulam quandam transijsse, nihil autem de Virgine assumpsisse asserebant. Ast quia nostris infælicissimis temporibus, Anabaptistę nefandarum fabularum inuentores, pestilentissimorum Magistrorum execrandi discipuli; gygátib. imániores; Dæmonib. peiores; sepultos cineres Antiquorú hæreticorú fœdissime suscitarunt; insano furore illorum

Appelitę. Marcionitæ. Valentiniani. Anabaptistarú de corpore Christi sententia.

non

non conquieſcente, latè, prohdolor, per Angliam, Belgas, Trãſiluanos reſperſerunt. Non ſicco pede recedendum nobis hinc eſt; voluendus ac reuoluendus nobis eſt liber iſte magnus, quali attramento conſcriptus eſt, verone an fictitio? cœleſtine an humano? Valentinus Gentilis paucis ab hinc annis in Trãſiluania, teterrimum dogma defendit. Chriſti Domini corpus humanum non ex Maria Virgine natum, ſed ex Patris ſubſtantia Cœlitus allatum eſſe. Menno Simonis Dux Anabaptiſtarum, ſic Viſmariæ de Chriſti humana natura diſputauit; vt eius originem ex Cęleſti Dei Patris ſemine, non autem ex Mariæ Virginis ſubſtantia eſſe peruicaciter affirmaret. Secutus eſt Suenchfeldius, Maternam originem Chriſto detrahens, eiusque carnem & ſanguinem non creaturalem, ſed vt ipſe nominat ſupercreaturalem, merè ſpiritualem ac Diuinum ſomnians. Michael ſeruetus horrendæ inpietatis architectus, corpus Chriſti, corpus Deitatis, & carnem eius, carnem cœleſtem de ſubſtantia Dei genitam confingit.

Ioannes Vtenho=us de diſſipata Belgarum Eccleſia in Anglia lib. de perſona & humanitate Chriſti Caluinus in ſcripto de rebus ad Seruetum pertinentib. li. de martyribus noſtri ſęculi.

Hoc idem docuit Petrus quidam Germanus, quem Foxus inter Martyres, cum alijs huius ætatis Pſeudomartyribus numerauit. Hoc idem aſſeuerauit, Dauid Georgius Hollandus, eò ſceleris & ſuperbię progreſſus; quod de ſeipſo prędicaret, ſe non ex carne ſed Spiritu ſancto natum, atque Ieſu Chriſti ſpiritu ac multo pleniore cumulatum. Dixeram nunc nunc, iſtos eſſe nefandarum fabularũ inuentores. Gigantibus immaniores, Dæmonibus peiores. An vero ita ſit? modo modo videte..

Fabularum inuentores. A Poetis confictum erat, Mineruam Deam ex cerebro Iouis, ſubſtantiam ſuam protuliſſe corpoream, ſic & iſti Sapientiam increatam ſed genitam, quæ ex ore altiſſimi prodijt, primogenita ante omnem creaturam, putant corpoream ſubſtantiam, quam in tempore aſſumpſit ex Virgine: ex cerebro Paterno, ex vtero Diuino, ex ſubſtanſtantia Dei deportaſſe. Gygantibus, immaniores. Gygantes illi bellum commouerant, ſed tantum contra Deum, vt illum Cœlo exturbarent, deijcerent, iſti & contra Deum; Deum enim eſſe nolunt Deum, mendacem, eum facientes: iſti & cõtra Matrem Dei, atq; Matrem Chriſti; illi quod ſuum eſt

Hæretici Deũ mēdacem faciunt.

eripientes. Mendacē Deum faciunt. Vt iam dicere cæpi. Promiserat Deus, humanum genus a captiuitate Diaboli redimere & saluare, atque ad homines humana carne indutus venire. a Ego sum ipse, ante me non est formatus Deus, sic ait De⁹ & post me non erit, ego sum, ego sum Dominus & absque me non est Saluator. b Ego ante te ibo & gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram & vectes ferreos confringam: & dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum. c Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor d ego sum Dominus faciens omnia, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens. e ego Dominus docens te vtilia, gubernās te in via qua ambules. f Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare & intumescunt fluctus eius. g Ego primus & ego nouissimus, Hic est Deus, ait Baruch. h noster & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est. Quomodo autem visus est? In qua specie conuersatus est? Quis ei ministrauit carnem, in qua visus est? Quis ei dedit corpus in quo conuersatus est? Certe non alius præter virginem. i Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel. k Prophetissa concepit & peperit Filium. Concipere autem est materiam subministrare conceptui; Quem conceptum filium, vocare iussit Deus, accelera spolia detrahere, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum. l Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, cōsiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super soliū Dauid & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternū. Porro ortum & obitum eius alibi describens ait; Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti; Non est ei species neque decor, & vidimus eum & non erat aspectus

Dei Aduentus in mundum.

a Isai. 43. b Isai. 45 c Isai. 43. d Isai. 44. e Isai. 48. f Isai. 51. g Isai. 48. h Baruc. 3 i Isai. 7. k Isai. 8 l Isai. 9. Isai. 53.

ctus

ctus & desiderauimus eum, despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem. & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondéte se obmutescet & nō aperiet os suum. Sic de Christi persona, cōceptione, vita, morte, & cōuersatione, Prophetæ prędixerunt. Nunc in istis aliquantulum exspatiemur. Emanuel, nobiscum, Deus Saluator, venturus in mundum, de Virginis vtero conceptus, prodire voluit. Humanam igitur naturam ex eius sanguinibus assumere debuit. Si.n. de nostra cōsanguinitate, de virgineis visceribus nihil traxit, sed per uirginis vterum, quasi per corpus alienum transijt: quomodo virgo concipiet; quomodo virgo pariet; quomodo ascendet sicut virgultum coram eo? Concipere.n. secundum sentētiam Physicorū, est aliquid conceptui ministrare; ascendere sicut virgultum, est in idētitate substantiæ prodire. Si per virginis vterum quasi per canalem transijt, & nihil de ea accepit: quid Christus, in quem hæc omnia retulit Angelus Iosepho, egit illis nouem mensibus intra illud materni corporis genitale secretum? Illic vtique, vt Emissenus disseruit, de eius ossibus & medullis ratione operante collectus, illic natura stupente compositus, illic per legitima nascendi spatia de carne, carnis incrementa mutuatus ēst. Quod si nihil attracturus erat de propriæ parentis materia; quid opus erat longa hospitij mortalis iniuria? Si inquam nihil de suo erat corporeus Matris sinus Cœlesti puero, quotidianis horarum ac dierum profectibus collaturus; vbi primum legitur conceptus, statim consummatus, statim fuit & genitus; Sed non ita est. cum enim animam aliūde susceperit, si corpus de matre non habuit, ergo sermo Diuinus caret veritate, quum veritas sit, quæ eum filium hominis protestatur; Legimus apud Lucā de Maria ꝙ peperit filiū suū

Christi carnē nō erat ex Maria. quāta absurda sequuntur.

hom. 1. de Nat. Dom.

primogenitũ. Si nihil in eũ de suo transtulit Mater, non peperit proprium sed profudit alienum. Sed ita est. nam sicut totũ Deus ex Deo est, ita totum corpus hominis ex homine de carne Marię coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consumatus, & sanguinem quem pro matre obtulit, de sanguine matris accepit. Si nihil de suo, erat corporeus Matris sinus Cęlesti puero collaturus; nihil opus fuit ei nasci de Virgine, non sunt vera quæ cum Patriarchis a Deo vniuersorum facta sunt pacta; falsa quæ Israeli facta est promissio; superuacanea est & virgo quæ Deo incarnato nihil naturæ contulit; quæ autem prophetæ prædixerunt nondum finem cæperunt; inanis ergo est prædicatio nostra, inanis fides nostra, vana est spes resurretionis; mentitur Apostolus quum dicit. Suscitauit & consedere nos fecit in Cœlestibus in Christo Iesu. Mentiri autem Deum est impossibile. Ephes. 1.

Christi operationes. Omnia alia in Christo impleta sunt, quæ de ipso fuerant a prophetis vaticinata. Ipse enim fuit Saluator, a qui saluum fecit populum a peccatis eorum. Ipse gloriosos terræ, Dæmones humiliauit. b Nunc iudicium est mundi huius nunc princeps mundi eijcietur foras. Ipse vectes ferreos confregit; c Penetrabo inquit omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Ipse dedit thesauros absconditos & arcana secretorum. d simile est regnum cęlorum thesauro abscondito in agro & margaritę prætiosę. quã qui inuenit homo abscõdit &c. Ipse deleuit peccata. e Dimittuntur tibi peccata tua. Ipse cõuertit sapientes retrorsũ & scientiam eorum stultã fecit. f Qui ex vobis est sine peccato, iaciat primus in eã lapidẽ. Ipse fuit docens vtilia, g videns turbas ascendit in montem, & docebat eos dicens Beati &c. Ipse conturbauit mare. h Quis est hic quia mare & venti obediunt ei. Ipse fuit primus & nouissimus, i Ego sũ α & ω, fui mortuus & sum viuus. Ipse sedit super solium Dauid. k Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius. Ipse fuit Deus absconditus. l In propria venit & sui eum non receperunt. Medius vestrum stetit quem vos nescitis. Quidam m ex discipulis æstimauerunt eum esse peregrinum. n Magdalena hortulanum. o Apostoli super mare ambulantem, phantasma. p Illi qui erant clausi propter metũ Iudæorũ; Spiritum

a Mat. 1. b Ioã. 12 c Eccl. 24 d Matth. 13. e Luc. f Ioan. g Mat. 5. h Mat. 8. i Apoc. 1 k Luc. 1. l Ioan. 1. m Luc. 24. n Ioã. 20. o Mar. 6. p Ioã. 20

tum illum esse iudicabant. Alij prophetam vel vnum ex Prophetis. Ipse fuit cui nō erat decor nec aspectus, ipse despectus & nouissimus, qui languores nostros tulit, qui vulneratus & mortuus est propter iniquitates nostras, uti clarins res ipsa quam

de incar. sacramento c. 6. scriptū loquitur. Quod si in his non mentitus est Deus, neq. & in illo fefellit dū ait. Quod nascet' ex te, nō per te (aduertit Ambrosius) vocabit' filius Dei. neq; & in illo decepit, dū promisit egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & ascendet sicut virgultum coram eo: sed sicut germen, de natura eiusdem virgulti prorumpens, suæ naturæ formam accipit; & sicut lignum ex eo quod sui generis est proprium, non aliud ex alio quotidie producit; ita Christi mater, velut virga florem germinans suæ carnis substantia, hominem sibi simi-

in epist. ad Tralianos. lem procreauit. Vere ergo genuit Maria corpus, (vt cum Ignatio qui Apostolorum tempora aspexit, dicamus,) habens in se Deum habitantem, & reuera natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio (non Diuino neque ex substantia Dei genito) ijdem passionibus nobiscum; vere natus ex vtero qui omnes homines in vtero fingit, & corpus sibi fabricauit ex sanguinibus virginis; hoc solum excepto quod nulla viri consuetudo intercesserit. Hæc verba didicerat iste homo sanctus ex Apostolo Paulo; qui de filij Dei humana natura do- Maria vere genuit corpus Christi.

a Rom. 1. cuerat; quod *a* sit factus Deo filius secundum carnem, ex semine Dauid; prædestinatus in virtute secundum spiritum sancti-

b Rom. 8. ficationis: quod. *b* quia impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem; *Deus filium mittens, in similitudinem carnis peccati* (hoc autem adiecit, ut peccati, non naturæ communionem nobiscum excluderet) *de peccato damnauit peccatum in car*

c Gal. 4. *ne*; quod *c* vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere; non per mulierem sed ex muliere, vt ad-

d Dialogó 3. de Christo homine. notauit Origenes. *d* quod *e* dum in forma Dei esset, exinaniuit semeptisum, formam serui, non Dei, accipiens, in similitu-

e Phili. 2. dinem hominum peccatorum: non autem peccator factus, & habitu inuentus vt homo. Quod si Christus est ex semine Dauid, & ex muliere natus, certe ex virgine corpus assumpsit: si in forma serui accepta apparuit, si legem seruauit, humanam certe naturam ex Maria desumpsit. Soluunt ergo Iesum, vereque sunt Antichristi gygantibus immaniores, quicunque hu

manam Christi substantiam, aliunde quam ex Maria Virgine deducunt, vt negēt Dominicam carnem ex virginalis vteri substantia prouenire. Omnis, a inquit Ioannes, spiritus, qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Antichristus, soluit autem Iesum, Bedæ iudicio b quisquis eius Diuinitatem, vel animam, uel carnem negat, vt in his fidei Catholicæ aliquomodo aduersetur. Maria ergo est Mater Christi, quia Christo carnē contulit, isti autem quia negant, sunt Antichristi, gygantibus immaniores, *Peiores demonibus dixi istos*. Dæmones enim fatentur Christum esse filium Dauid. Et exclamauit spiritus immundus, ait Marcus; Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos, scio quod sis sanctus Dei: isti autem peruersæ mentis homines, Iesum esse negant Nazarenum. Si enim nihil accepit ab indigena Nazarethi Maria, Nazarenus esse nequit. Verum ne conuitijs potius agere videar: antequam ad portum soluam. Quæro ego a vobis, qui tantopere honorem Christi, sed cum blasphemia in Deum, promouetis. Caro Christi hominis, genita ex substantia Diuina, ut uos errore seducti dicitis, fuit ne consubstantialis essentiæ Diuinæ, an non? Certe non. Deus. enim cum sit spiritus, Creator, Dominus, æternus, immensus, incircumscriptus, increatus, ut omnes scripturæ illum his nominibus appellant: carni corporeæ. (quod verum est dicere de humanitate Christi,) creatæ, formæ serui, in tempore genitæ, habenti illam, vt vocant Philosophi, trinam dimensionem, circumscriptæ omni ex parte, consubstantialis esse non potest: Nisi forte velimus contra Sacrarum scripturarum, Conciliorū & Philosophorum autoritatem; contra rationem esse irrationales, atque delirantes, cum Manichæis dicere, Deum esse corpus vel ex materia corporea concretum. Hoc autem quam consonum sit, illi testimonio Saluatoris. Deus Spiritus est. videte. Caro igitur Christi hominis genita ex substantia Diuina secundum vestram sententiam, non fuit genita ex substantia Diuina: cum omne generans, simile sibi in essentia, (vt natura vniuersa clamat) generet: sed fuit caro simulata, caro conficta, caro ex Manicheorum improbo intellectu producta, caro ex Cerdonis commento, dicam melius, ex impia mente profecta. Hoccine est honorem Christi promouere? hoccine est salutem propriam

Margin notes: a 1. Io. 4. — b in 1. Io. c. 4. — Anabaptistę peiores Dæmonib. — Marc. 1. — Maria si nihil concepit, salus nostra in ancipiti est.

priam & totius naturæ nostræ, imo & honorem curare? Nonne est hoc cum impijs Phariseis, seductorem Christum facere? Nonne hoc est in desperationem, in peccatorum fæces, in inferni barathrum, in Dæmonis fauces totum Orbem præcipitare? Ergo uirgo nihil concepit? simulati fuerunt dies expectationis donec pareret filium; Angelus nihil nunciauit; Spiritus sanctus non superuenit; Virtus Diuina non adumbrauit, nihil natum est sanctum de virgine: nihil viderunt Angeli canentes Gloria inexcelsis Deo; Frustra cantarunt & in terra pax hominibus, cum adhuc paries inter Deum & nos, per hunc lapidem non sit coniunctus. Falsum nunciarunt Pastoribus. Euangelizo vobis gaudium magnum quia natus est vobis hodie saluator, Vnde, ait Tertullianus, aufer molestos semper Cæsaris census, & diuersoria angusta, & sordidos pannos & dura præsepia, seruent potius pecora pastores, Angeli ministrent Deo inexcelsis, Magi ne fatigentur de longinquo, dono illis aurum suum, melior sit & Herodes, ne Hieremias glorietur, sed nec circumcidatur infans, ne doleat; nec ad templum deferatur, ne parentes suos oneret sumptu obligationis; nec in manus tradatur Simeoni ne senem moriturum exinde contristet. Taceat & anus illa ne fascinnet puerum. Ergo si vmbra & apparentia fuit & non vera incarnatio, non fuit Christus ex semine Dauid, non fuit natus ex muliere, nō formam serui accepit, nō seipsum exinaniuit, nō apprehendit semen Abrahę, nō est assimilatus fratrib. Igitur si uerbum non est factum caro, neque tentatus est a Dæmone, neque terrenas, ut terrenum corpus aleret appetit escas, nec quadraginta diebus quemadmodum Moyses & Helias ieiunans esurijt corpus eius: neque fatigatus ex itinere super fontem Samariæ sedit, non enim pateretur umbra. Quale ergo tergum dedit pro nobis, uel quam maxillam cedentibus atellitibus Iudæorum plagas fortiter sustinuit? vel quale latus perfoderunt Pilati milites? & quod cum aqua pratiosum sanguinem scaturiens spectantibus ostenderunt? Si oportet aliquid maius dicere, neque mortuus est pro nobis, neque etiam resurrexit Christus. Igitur inanis est fides nostra, transijt lux mundi salus & vita, falsum reliquit Ioannes Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. Falso dixit Christus. Pal

li. de carne Christi.

Christis si non ex Maria habuit carnem, non fuit mortuus.

1. Ioan. 1.

ate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet vt ego. Phantasma,& vmbra est Christus, Veritas seduxit nos, Nõ est mortuus Christus: Etenim vmbra, dic quomodo moreretur? Non surrexit Christus: quomodo enim suscitasset Christum Pater, quum esset vmbra apparentiæ, mortisque nexibus non teneretur? Nos adhuc in delictis nostris hæremus. Totus enim Adam, ait Ambrosius, peccauerat, totus Adam de paradiso expulsus fuerat, si totum expulsum non suscepit, quomodo totum saluare venit? non autem videbatur totum expulsum in se suscepisse, nisi illum suscepisset per substantiam carnis, & aïæ; hinc.n. totus homo est. Si ergo nõ totũ suscepit nos adhuc in vinculis & faucib. sathanæ captiui manemus. Nomen.n. incarnati ex virgine vocatũ fuerat, Accelera, spolia detrahe, festina prædari, antequam sciat vocare Patrem & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, Quod si non fuit conceptus ex virgine, falso dæmones vociferabantur quasi vim patientes. Iesu fili Dauid ante tempus venisti torquere nos. Si non accepit carnem ex virgine: desideria nostra manent frustranea quibus cum Adamo optabamus Diuinitatis consortium. Falsum est, quod Ioannes nunciauit; Dedit eis verbum incarnatum, potestatem filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius, qui non ex sanguinibus sed ex Deo nati sunt, Seductor est Christus, Doctores orbis qui attrectarunt verbum hoc, sunt mendaces. Maria Virgo nihil fuit in mundo, salus & vita nostra adhuc in discrimine manet, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Ast certo scimus, Deum mentiri nullatenus posse; Christum veritatem esse; Apostolos Spiritu sancto inflatos & edoctos in omnem veritatem esse; scimus fidei nostræ nullum sub esse falsum; Certi sumus, quod sicut nos pueri Dei communicauimus carni & sanguini, & similiter ipse participauit eisdẽ. Certi sumus, quod maluit nasci, vt Tertulianus ait, quam ex aliqua parte mentiri, & quidem in semetipsum; vt carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem. Certi sumus, quod ante quam sciret vocaret Patrem & Matrem, iam diripere festinabat spolia Damasci. Ipse.n. erat, vt Ireneus super verba Isaiæ dixit, quem portans Simeon benedixit Altissimum; quem pastores

[Margin: li.2.de fi. de Ortho dox ad Imper.]

[Margin: Heb.2.]

[Margin: Certitudo fidei nostræ de carne Christi.]

[Margin: li. de Carne Christi.]

[Margin: li.3.cont. ualẽtinianos c.18.]

res cum vidiſſent, Deum glorificabant; quem Ioannes cum ad huc in vtero matris ſuæ eſſet, & ille in vtero Mariæ, Dominum cognoſcens exultans ſalutabat. Quem Magi videntes & adorā tes, & afferentes munera, & ſubſternentes ſemetipſos ęterno Regi, per alteram abierunt viam. Antequam ſciret vocare patrem & Matrem diripiebat prædam, occulte quidem ſed potenter omnia manifeſtās, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech; propter hoc & pueros eripiebat qui erant in domo Dauid, bene ſortiti illo tempore naſci, vt eos pręmitteret in ſuum Regnum, ipſe infans cum eſſet, infantes hominum Martyres parans propter Chriſtum. Certi ſumus quod ex hoc quia communicauit carni & ſanguini puerorum ſuorum, dedit etiā omnib. filios Dei fieri poteſtatē. Siue ſerui ſint, ſiue liberi, ſiue Græci ſiue barbari, ſiue Sapientes, ſiue inſipientes, ſiue viri, ſiue mulieres, ſiue pueri, ſiue ſenes, ſiue nobiles, ſiue ignobiles ſiue diuites ſiue pauperes, ſiue principes ſiue priuati, dedit eis poteſtatē filios Dei fieri. Iā non irridebit nos Deus inſultās. Ecce Adā quaſi vnus ex nobis; cū Deus factus ſit quaſi vnus ex nobis, vt & nos ſimus quaſi vnus ex Diuinis. Certi ſumus qđ ex hoc quia communicauit carni & ſanguini puerorum ſuorum, per mortem deſtruxit eum qui mortis habebat imperium. ſ. Diabolum, & liberauit nos, qui timore mortis per totam vitā obnoxi eramus ſeruituti. Nunquam .n. ſemen Angelorum, ſed ſemen Abrahæ appræhendit. Certi ſumus quod ex hoc quando natum eſt ex vtero Virgineo ſanctum filius Dei, Deus conuerſatur in terris, homo vero aſcendit in Cœlum, facta eſt vna omnium permixti, Angeli cum hominibus iungunt choros; homines choris adduntur Angelicis, atq. cœleſtibus alij virtutibus. Cernimus Antiquum repente prælium diſſolutum, Deū hominibus reconciliatum, Diabolum vero confuſum, Dęmones cum tremore fugientes, mortem peremptam, paradiſum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio ſublatum, exagitatum errorem, veritatem reuerſam, pietatis ſermonem vbique diſſeminatum, vbique creſcentem, Cœleſtem conuerſationem in terræ regione plantatam, virtutes ſupernas familiariter nobiſcum loquentes, & ad terras ſæpe Angelos ventitantes, & ex his omnibus ſpem firmam certiſſimam futurorum. Chriſti igitur caro eſt ex carne noſtra. Maria Virgo eſt

Hebr. 2.

Chryſ. hom. 1. in Math.

Mater

mater Christi. Obmutescat impietas Manichea Deo iniuriam inferens Christo autem honorem irrationabilem affingens. Non est obscurata Christi gloria (quæ vos ratio ad tantam blasphemiã induxit) si natus est in Virgine, sicut.n. sol iste visibilis per omnes foeces & sordes corporũ radios suos spargens, eos mundos vbique seruat, quanto magis inuisibilis & incommutabilis per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberauit? vt Sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur non cæcatur, & lumen illud quod totó orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum nubis obstaculo includitur, non aufertur; sic & homo ille quem Dominus Iesus Saluatorque noster Deus Deique filius induit, Deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit: vnde aliquando in monte se paululum extra ipsum hominem extulit, & fulgore luminis sui Apostolos pene occæcauit, vt Deus non fuit pollutus hominem condens de puluere, sic nec fuit sordidatus nascendo de Virgine. Quid vero magis indignum Deo? quid magis erubescendum Deo nasci, an mori? Carnem, gestare an crucem? circuncidi an crucifigi? educari an sepeliri? in præsepe deponi, an in monumentum recõdi? Nõne vere crucifixus est Deus? Nõne vere mortuus? & vere crucifixus? Nõne vere resuscitatus? sceleſtissimi hominũ qui interemptores excusaretis Dei. Vere igitur vt iterum dicamus cum Ignatio, genuit Maria corpus, habens in se Deum habitantem; & reuera natus est Deus verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio ijsdem passionibus nobiscum, vere natus ex vtero qui omnes homines in vtero fingit, & corpus fabricauit sibi ex sanguinibus Virginis. A vobis autem. N. qui agnoscitis Deum ex vobis assumpsisse carnem, nihil aliud expeto, nisi vt frequenti memoria reuoluatis illud: Tollens membrum Dei: faciam mẽbrum meretricis? linquã Deum, adherebo meretrici? Non, non, volo esse cum Deo non cũ meretrice, Deus me apprehendit, ego nihil volo nisi Deum, Caro mea Diuina hypostasi adiuncta, Diuina amplius nõ carnalia facta mihi meditãda sunt. Natura mea angelis preeminet spiritib. in angelorũ consortium a me quoq. asserenda est. Curabo ego vt a celestib. complexus Cælestia quoq. & ego complectar in sæcula sempiterna Amen.

Verbum assumẽs carnẽ de Virgine nõ obscurauit gloriam suã.

August. li. de ago Christia. no. c. 18.

Ambros. li. 4. de fi de S. Trinit. c. vlt.

Venãti in expõne Symbol. Apost.

2. Cor. 6.

MARIA

MARIA THEOTOKON.

Nouum creauit Dominus, super terram. Fęmina circundabit virum. Hier. 32. ca.

CONCIO OCTAVA.

In qua Mariam Virginem debere vocari Dei Param, nouis Nestorianis demonstratur.

MAGNVM illud pietatis Sacramentum, quò Deus misertus sortis humanæ, ad nos descendere, & carnem nostram assumere dignatus est, si quis superadmirabile, potius quam admirabile nuncupauerit, a vero procul dubio non aberrabit. Mirabile est illud, quod pręter modum & ordinem naturæ pręfixum, ab illo a quo est omnis modus, numerus, & ordo naturę fit quale est solis cursum retardare; mortuo, vitam restituere quinque panibus tot millia hominum saturare. Superadmirabile illud erit, quod præter maximam æstimationem, & maximum ordinem, modum, rebus inditum fieri potest. Quale est Deum carnem assumere. Deum de creatura nasci. Deum esse, filium suę filię. Deum habere Matrem in terris. Hoc.n. natura nũquã habuit, hoc vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens nõ capit humana, pauet Cęlum, stupet terra, creatura omnis, etiam Cœlestis miratur. Mirabile illud fuit, centenarium senem ex nonagenaria anu generare; rubum flammis ardere & non comburi; Virgã in serpentem cõmutari; aquas conuerti in sanguinem. Mirandum illud fuit, quando manus extra sinum prolata, lepra cãdescit; quando sol, vertitur in tenebras apud Aegyptios, & apud Iudęos splendet; quando mare Erithræum vidit Israelem

Mirabile & super ad mirabile quid.

Hieron.

lem & fugit ab eo; quando Cęlum pluit panes Angelorum; rupes in fontes aquarum mutantur: petræ sudant riuos olei; ligno, amaræ aquæ redduntur dulces; inculta & arida virga florescit & germinat. Mirabile illud fuit, dum Iordanis impetus in suum conuersus est fontem; dum currus solaris equi, cadentes in terram longiorem populo bellanti fecere diem; dum vmbra horologij, decem gradibus retrocedit; dum maxilla asini fundit aquas; ferrum supernatat vt palea; igneæ flammæ pueros refrigerant. Tamen ista in comparatione ad hoc nouum, quod creauit Dominus super terram, non erunt in memoria priora, neque ascendent super cor. Vt vmbra corpus sequitur, sic & illa mirabilia sequuntur hoc superadmirabile, non autem præcellunt. Quid enim magis stupendum, quam quod æternus nascatur? quod lux non lucet? Verbum obmutescit? fons aquæ sitim patitur? panis Angelorum famescit? quod calor mundi frigore præmitur? continens omnia, continetur? quod longitudo abbreuiatur? latitudo immẽsa restringitur? altitudo deijcitur? profunditas impletur? quod Potentia regitur? sapientia instruitur? virtus sustentatur? Abundans eget? Simul in vnũ diues & pauper? Paruus & magnus? Nouum miraculum creauit Deus super terram. *Nouum fecit* in Matre; ipsa enim eadem virgo, ipsa & mater Domini. Virgo peperit virum, Stella protulit Solem, filia concepit Patrem, creatura creatorem genuit. simul in vnum Mater & filia, genitrix & ancilla, plasmatio eius ipsa quæ genuit: cum integritate peperit, cum virginitate concepit. Quis vnquam ista audiuit? quis vidit talia? & quis cogitare potuit vt Mater virgo esset, & intacta generaret? Peperit enim vt Hesichius ait Hierosolymitanus, & vterum non aperuit; concepit & vuluam non corrupit; eduxit infantem, & vterum signatum reliquit; lac suppeditauit, vbera tamen intacta conseruauit; portabat puerum, pueri tamen Patrem non agnoscebat, Mater effecta est, quæ minime sponsa fuit; nutriebatur filius, & non inueniebatur Pater; ager fructum edebat, & fructus carebat cultore; messis reddebat quæ semen non acceperat; fluuius, & fons quacunque ex parte clausus erat. *Nouum fecit Dominus super terram* in prole. Quia Dominus factus est seruus, æternus factus est temporaneus, excelsus factus est paruulus, immẽsus

Incarnationis opus sup ad mirabile.

Isai.65.

Ser. 2. de S. Deipara.

factus

factus est localis, simplex factus est compositus, immortalis factus est mortalis, Matris suæ Pater & filiæ suæ filius descendit in matrem sed remansit cum Patre, suscepit humanitatem sed retinuit Diuinitatem. Qui tactui nō subiacet vtpote natura incorporeus, palpatur: qui sine principio, sub principio fit corporali; qui perfectus, crescit: qui inconuertibilis, proficit: qui dives, in diuersorio nascitur: qui circumdat cœlum nubibus, fascijs inuoluitur; qui Rex, in præsepio deponitur; qui factor vniuersorum, qui ante omnem creaturam visibilium & inuisibilium cum solo Patre & Spiritu sancto existens immortalis,
Zach.6. ex virgine sine homine, & absq. omni peccato nascitur. *Nouum*
Pron.30. *fecit Dominus super terram. fæmina circundabit virum.* Virum cuius nomen Oriens. Homo.n. natus est in ea. Virum illum de quo Salomon sapientissimus dicebat. Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilę in Cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentula. Stupendum & nouum illi visum est, quomodo Aquila illa cœlestis, quæ posuerat nidum suum in corde Diuino, quæ obtutus suos figebat in illam lucem inaccessibilem: aduolare & congregari debuit illic vbi est corpus? quomodo in abstruso vtero corporeo virginis, nidificare per carnis assumptionē potuit? quomodo intellectus aciē de Cęlis ad terras, de spiritualibus ad corpus diuertere voluit? Difficile illi visum est quomodo serpens ille exaltatus in cruce, in virgam Iesseam & Aaronicam quasi commutari per naturæ identitatem potuit? quomodo veritas ista de terra orta est? Mirandum illi erat, quomodo Nauis illa plena mercibus Diuinis, plena thesauro prætioso de supercœlestibus aquis, ad hoc mare gratiarum transuadare potuit. Sed super omnia magis ignotum, *Viā viri penitus ignoro in adolescētula.* Quomodo puerulus conceptus, & tamen homo perfectus, & tamen est vir. Quomodo venit in virginem, & tamen non discessit a Cœlis, Quomodo est Spiritus, & tamen habitu inuentus vt homo. Quartum penitus ignoro. Nouum creauit Dominus, super terram. *Fœmina* sed intacta, Mater sed virgo, in vtero sine semine, circundabit zona carnis virum scientia, ætate puerum, gratia plenum, natura Deum, persona verbum, nomine Iesum, cognomine Christum,

Tria difficilia Salomoni.

Deum de Deo, ante sæcula genitum & simul hominem de hô
mine in sæculo natum. O fœmina Sanctissima, ita exclamat
Epiphanius, quæ exercitus etiam Angelorum, in stuporem
deduxisti. Stupendum est miraculum in Cœlis, mulier amicta sole, stupendum miraculum in Cęlis, mulier gestans lucem in vlnis. Stupēdum miraculum in Cęlis, alter Thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in Cęlis mulieris filius, qui & ipsius & sæculorum est Pater. Stupendum miraculū in Cęlis, thalamus virginis, habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Mirandū, *& nouum fecit Dominus super terram.* Mirabaris olim, o Israel, quomodo Deus intantū dilexit hominē; intantum reputauit filium hominis, [a] quod minuit eum paulominus ab Angelis; mirare modo hominem esse prælatum Angelis. Vir enim ille quem fœmina intacta, carne cicumdedit, Deus est, [b] tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomē hæreditauit. Stupebas olim, quomodo loquente Deo ad populum, homo viuere posset; mirare modo, Deum in carne humana cum hominibus cōuersantem, vitam non mortem illis adferentē. Mirabaris olim, quomodo rubus arderet & non combureretur, dicebas visionem hanc esse magnam; mirabaris, olim, quomodo potest quis cum ardoribus sempiternis cohabitare & non aduri; quomodo puerorum vestimenta in flammis nullam læsionem sensere: ecce in virginis vtero Deus ignis consumens ardet. & non cōsumit virginem, & non adurit. Mirabaris quondam. Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? obstupesce modo, quomodo immensum illud pelagus, in paruum globum humanitatis conglomeratum est. Nouum creauit Deus, non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor. Non anus sed virgo generat. non virga in serpentem sed verbum Dei caro factum est. Non aqua in sanguinem sed mare inexaustum bonitatis, sanguine virgineo linitur. manus Dei excelsa, prolata extra sinum Paternum, fit leprosa. vidimus .n. eum leprosum. Sol in altissimis Dei lucens, in terris obscuratur, cœli pluunt non manna, sed panem verum. Petra virgineus vterus intactus, sudat illum cuius nomen oleum est effusum. Virga Iessea inculta, producit florem Diuinum. Sol iustitiæ stetit & redijt per misericordiam. Sol a sole

in serm. Encom. de B. Vir.

a Psal. 8.

b Hebr. 1

amicitur, mulier amicta sole &c. In sole posuit tabernaculum suũ. Fęmina circũdedit uirũ, & a uiro circũdatur. Quis uidit? quis æstimauit talia? Nouũ, inauditum, stupendũ fecit Deus super terrã. Fęmina circundabit uirum. Mulier est Mater Dei.

Nonnullos tamen ex uobis hęsitare conspicio. Fœmina inquis circumdabit uirũ, perfectum scientia, iudicio & sapientia, perfectum gratia, perfectum operationeṡ quomodo autẽ Isaias non uirum sed puerum? non perfectum sapientia, sed carentẽ scientia, Emanuelem nominauit? Paruulus, inquit, natus est nobis: & filius datus est nobis. Antequam sciet puer reprobare malum, derelinquetur terra. Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, Antequam sciat puer uocare Patrem, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci. Si ergo paruulus quomodo uir? Si antequam sciat uocare patrem & matrẽ; si antequam sciat reprobare malum; quomodo perfectus sapiẽtia, atq; plenus gratia? si uir quomodo infans? Video rursus uum Nestorianum Lutherum dicentem. Quomodo appellas uirum? qui nec omnia potest, nec omnia aduertit, nec omnia cogitat? Christus autem (blasphemauit) talis est. non igitur debes apellare uirum. Aduerto deinde nonnullos prostratum & iacentem humi Nestorium in pedes erigere. Nestorius enim ille Germaniciensis, Antiochenus Præsbiter & Ecclesiastes, homo imperitus, arrogans, & ueterum scriptorum, ut Socrates uocauit, negligens: a Theodosio Imperatore sub Cœlestino summo Pontifice, Constantinopolitanus Patriarcha factus: qui Anastasium suum familiarem & consiliarium pro Concione iactantem. Mariam, inquit, Dei Genitricem nemo uocato; Maria enim homo fuit, & ut Deus ab homine generetur neutiquã potest: primo authoritate fouit; deinde turgida sua loquacitate docuit. Deum, ait, ex Christipara uirgine prodijsse, ex Diuina scriptura sumus edocti; Deum uero ex ipsa genitum nunquam edocti sumus; Hunc deinde Dorotheus Episcopus secutus, effutire ausus est, si quis dicit Genitricem Dei Mariã anathema sit: Huius erroris Anastasius quoq; Imperator insimulatus fuit: Ad hanc infandã hæresim Cosdroas Persarũ Rex crudelis & impius, amplectendam multos adegit; Hæc doctrina Iacobitis quibusdã & Monachis nonnullis in Syria, non sine Christi Dei & Mariæ Deiparæ contemptu placuit, Huius blasphemiam

Christus vir & puer.

In Epist. ad Hebr.

Nestorij origo, hæresis & pęna.

li. 8. Eccl. hyst. ca. 32.

sphemiam amplexi seditiosi Præsules Theodorus Mopsuestiēsis, Anthemius Constantinopolitanus, Ibas Edissenus, contentiose uociferabantur. Mariam non Dei sed hominis Matrem appellari: Huius obstinatā peruicacia, non tantum a sancta Synodo Ephesina, uerum etiam a Deipara & Deiparæ filio acriter uindicata est. Etenim non satis fuit tale monstrum, a Beato Patrum cætu reijci, sacerdotali honore spoliari, a Christianis Principibus proscribi, duro & frequenti exilio circumagi; & ab omnibus bonis uelut exitialem pestem deuitari: nisi & maledictæ linguæ quam tot uicibus in Mariam flagitiose uibrarat pœnas in mortis limine meritas daret. Vt Diuina enim in ipsum ultio desæuiret, horrendi uermes in carnificum locum missi blasphemam Nestorij linguam certatim corrodebāt: neque illud suffecit, sed & terra ipsa hunc suum adeo teterum alūnum, ferre non potuit, corpus eius humo coopertum & absorptum fuisse scribunt, ut scilicet recta detrusus blaphemus ille ad inferos, insaniæ pœnas hueret sempiternas. Hic inquam Nestorius tam sæpe resuscitatus, adeo seuerè punitus, in quibusdam modernis reuiuiscit. Vitembergenses Theologi, Flaccianos pro Nestorianis condemnant: quia dicunt quod Filius Mariæ impletur a filio Deo, quod Filius Dei assumpsit Filium Mariæ; quod dona Diuina & eorum proprietates in humanam Christi naturam effunduntur. Lutherus non temere Zuingliū Nestorianū appellat. Sacramētarij. n. quorū caput est Zuinglius, à quo nō discrepat Caluinus, Christi corpus & sanguinē ab ipsis sacramēti speciebus distrahentes, filij Dei corpus existere in Eucharistia negantes, & uirginem Deiparā quæ idē corpus genuit, nolunt cognoscere. Prætermitto discipulos Lutheri, Cyriacum, Erasmum, Spangebergium, Sarcerium qui dicunt falsum esse. Mariam peperisse Christum qui simul Deus est.

Nestoriani noui. qui nam.

In Vnio de persona & humanitate Christi.

in confes. mansfel. dien. cap. cont. stantarum.

Si iudicio omnium hæreticorū stare uellemus, o Christe, & tu o uirgo Sanctissima, quidnā essetis in mundo? Manichæi carnē & humanitatem accipiunt tibi Christe saluator. Arriani animā, Nestoriani & Photiniani Diuinitatem, quid haberes? quid tibi remaneret? Tibi o Beata uirgo, Nestoriani denegāt ꝙ sis mater Dei, ꝙ si mater Christi detrahūt Manichæis, q̄d ergo in utero tuo cōcipies? q̄d demū ex vtero generabis? cuius mater eris? quomodo ex te nascet sanctū filius Dei, ut Angelus tibi nūciat?

Christus & Maria nō essent in mundo si hæreticis stare vellemus.

 quomo-

quomodo ꝙ in te natū est de spiritu sancto est, ut alter Angelus Iosepho reuelauit? quomodo eris Mater Domini, vt Elisabetha cognata tua tibi gratulata est dicés, vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? quomodo Beatus erit tuus venter qui portauit, si non portauit, Deum? & vbera quæ suxit, si non suxit, Deus? Quia igitur omnium Nestorianorum erroris in hoc cardine consistit summa; quod negant Christum esse Filium Dei: vel alium esse Filium Dei, alium esse filium hominis seu Mariæ; alium esse virum alium esse paruulum, & ideo Mariam non Dei sed hominis genitricem vocari: oportet nobis tale testimonium de Christi persona quærere; quod ipsum & virum & paruulum, & Deum & hominem euidenter demonstret. Hæc autem præposita verba ex Hieremia, an non id clare resonant? An vero illis fides deneganda est? An vero non illud clamant quod Archangelus Gabriel de Cœlo ad virginem missus, sub ipsum Christi conceptum, Mariæ nunciauit? Is de Christo cum multa referret, hoc etiam de illo ad Virginem Deiparam dixit. Spiritus Sanctus superueniet in te, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Quid vero illud est quod Hieremias vaticinabatur? *Fœmina circumdabit,* ecce. Quod nascetur ex te sanctum, *Circumdabit* non quemcunque sed *Virum;* ecce quia illum qui vocabitur filius Dei. *Nascetur ex te sanctum:* ecce humanitatem; *Vocabitur filius Dei;* ecce Diuinitatem. *Nascetur ex te Sanctum:* ecce paruulus, *vocabitur filius Dei:* ecce vir perfectus, Nasci enim ex tempore, est hominum paruulorum, nasci vero virum perfectum, est solius Dei. Nascetur ex te sanctum, & uocabitur filius Dei, & Fœmina circumdabit uirum; Ecce non alia est persona filij Dei, & alia est persona filij hominis, sed vnus Christus vna persona, subsistens, & in Diuina natura & in humana. Paruulus enim ille qui natus est nobis, idem fuit & non alius, filius datus nobis. Filius datus & natus, non temerè dixit Propheta. Natus ex humanitate Mariæ in tempore; datus ex Diuinitate, iam ab æterno genitus a Patre. In principio enim erat verbum & Deus erat uerbum, nouissimis autem temporibus verbum caro factum est. Nouissime diebus istis, ut testatur Paulus, loquutus

Angelus idem nūciat Mariæ quod Hieremias prędixit.

Christus filius Dei naturalis

fœmina circumdedit in vtero. Dicebat olim Dauid de Deo, vt Bernardus aduertit, Magnus Dominus, & laudabilis valde: nunc post natiuitatē dicimus Paruus Dominus & amabilis valde, & amabilitatis eius non est finis. Est igitur paruulus iste quē circumdedit Fœmina, per humanitatem paruulus, vir autem per Diuinitatem. Confundatur hoc loco Nestorius, ita colligit Beda & Theophilactus, dicens, quod non fuerit filius Dei in vtero virginis quiescens incarnatus, sed nudus homo ex virgine fuerit natus: posteaquam habuerit Deum factum sibi comitem. Audiat quod illud quod nascebatur in vtero, erat filius Dei, & non alius quidem fœtus est uteri, alius autem Filius Dei, sed idem & vnus, fuit filius virginis & filius Dei. Confirmauit hoc idem Angelus Iosepho Mariam dimittere cogitanti, dicens Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariā coniugem tuā. Quod n. in ea natum est, de spiritu Sancto est. In ea natum est dixit, ne suspicemur Christum paulatim modo fœtuum communium in vtero Mariæ productum, sed quantum ad ipsam formationem attinet, repente ac perfecte factum esse, ut a Basilius ac b Euthimius adnotarunt. Confirmauit rursum cœtus ille Angelicus, annuncians pastoribus gaudium magnum. c Natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid. Qualis autem saluator ille erat, expressit Paulus d Apparuit gratia Dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos. Quare merito Athanasius in illa sua fidei confessione, qua vtitur eousque Ecclesia, de Christo sic reliquit. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus; homo est ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen sed unus est Christus. & addit hoc quasi simile. Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. De quali vnitate intelligere debeamus, quomodo Deus, & homo unus est Christus, ut excludat falsum intellectum Eutichetis dicentis, humanitatem Christi permixtam esse Diuinitati subiungit. Vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantiæ sed unitate personæ. Anathematizetur ergo, (sic sententiam profert summus fidei defen-

Christus magnus & paruus

in 1. cap. Lucæ.

Math. 1.

a ser. de nat. D.

b in 1. c. Math.

c. Luc. 2.

d Tit. 2.

Anathematismi in Nestorianos.

epist. 83. & 97.

sor, Pontifex Leo in Nestorianos,) Nestorius, qui Beatam uirgi nem, non Dei sed hominis tantummodò credidit genitricem esse; ut aliam personam faceret carnis, aliam faceret Deitatis; nec unum Christum in uerbo Dei & carne sentiret, sed separatim & seiunctim alium filium Dei, & alium filium hominis prædicaret; quum tamen manente illa incommutabilis Verbi essentia, quæ ei cum Patre & Spiritu Sancto intemp oralis atq; coæterna est; ita intra virginea uiscera uerbum caro sit factum, uti per id quod ineffabile est sacramentum, vno conceptu unoque partu, eadem uirgo secundum ueritatem utriusque naturæ, & ancilla Domini esset, & mater. Desideratisne plura? Vultis ne ad huc proterui pernegare, uel Christum esse Paruulum & uirum; Deum & hominem? uel uirginem esse matrem Dei? Primum; sine horrenda blasphemia non potest dici. ut enim iam demonstratum est abunde; Christus & est magnus & est paruus: est paruulus & uir: est Deus & homo; est filius Dei & filius uirginis; non alius filius Dei & alius filius uirginis, sed idem & vnus filius Dei & filius uirginis; idem & unus paruus & magnus, uir & infans; idem & unus Deus atque homo; idem & unus natus ante æternum, & in tempore. Natus ante Luciferum ex utero Paterno secũdum Diuinitaté & natus sub Octauiano Augusto ex utero materno secũdũ humanitaté: Illic iméſę gigas substãtię, a nullo circũcludic termino, hic statura pusillus angusti p̃sepij cõtinet loco; illic Deus tácũ, lumine coruſco circũfusus, hic Deus & hõ fasciјs circũligatus; Deus illic beatorũ Spirituũ agmine stipatus, altissimo residés solio, oés amplisimis mũerib. exornat, hic animaliũ grege circundatus, in deiecto stabulo, a matre paupere tenues lactis guttas expectat. Et adhuc hæretis? adhuc tergiuersamini? Vt tñ iste scrupulus è uestris animis eijciatur, cõsiderémus diligétius q̃ſo, illa quę circa Christũ acta sunt; & videbimus nõ alietaté p̃sonatũ, sed diuersitaté naturarũ: nõ permixtã quidé sed ineffabili nexu in unitate personę cõiũctã; altera ut sit natura Diuinitatis, altera humanitatis: Diuinitatis tñ & humanitatis una sit atq; indiuidua hypostasis. Propter q̃ vnitaté p̃sonalé quæcũq; de filio Dei dicũtur, ét de filio hominis dicũtur. ut ipsemet Christus vsus est dicens, Nemo ascédit in cœlum nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis qui est in Cœlo. Filius uero hominis secũdum carné erat in terris, non in Cœlo. quomodo ergo erat

Christus ex duab. naturis una persona.

Ioan. 3.

in Cœlo? propter vnitatem personæ, quia Filius Dei qui descẽderat de cœlo, erat in cœlo, & Filius hominis erat eadem persona cum Filio Dei, filius Dei erat in cœlo, & Filius hominis erat necessario in Cœlo. Propter quam vnitatem personæ, idiomatum communio secuta est in Christo, vt Patres loquuntur; vt. s. quæ dicuntur de Christo Deo, dicantur de Christo homine; & quæ dicuntur de Christo homine, dicuntur de Christo Deo; secundum tamen aliam & aliam naturam. vt si dicimus cum Paulo; Iudæi Dominum gloriæ crucifixerunt; vel quod Deus Ecclesiam sanguine suo acquisiuit, addamus. Dominum gloriæ crucifixerunt secundum humanitatem. Deus sanguine suo quem habuit ex humanitate, acquisiuit Ecclesiã. Si dicimus cum Saluatore nostro. Pater maior me est. De die illo nescit filius. Non est meum dare vobis, addendũ est cum Athanasio. Aequalis Patri secundum Diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Si dicimus cum Ecclesia. Deus homo factus ẽ. Deus passus, crucifixus, Deus mortuus Deus resurrexit primitię dormiẽtium, Deus ascendit; omnia hæc cum addideris, secundum humanitatem; suum sensum habent. Si dicimus, Filius hominis dimittit peccata, resuscitat mortuos, dat Paradisum latroni, curat leprosos, miracula operatur. Omnia hæc propter communicationem idiomatum vt dicunt, prouenientem ex vnitate personæ; cum addideris secundum Diuinitatem, suum quoque sensum habent. Videamus ergo illa quæ circa Christum acta sunt, & manifestè depræhendemus illum esse, & Deum & hominem, & infantem & virum. Paruulũ & magnum Immensum & pusionem, ęternũ & tẽporalẽ, oĩa sciẽtẽ atq. potentẽ, & infirmũ aliqua ędiscentẽ. Et vt incipiamus a Natiuitate. Progenitus est Christus vt infans ex muliere cæterũ Virgine; idẽ aũt progenitus erat vt Deus. anteqnam Abraã fieret ego sum. Illud humanum, hoc Diuinum. Patris expers hic, Matris expers illic, vtrumque horum Diuinitatis est. Materno quidem vtero gestatus est vt paruulus; verum à Propheta vt Deus cognitus est; & quidem adhuc in vtero existente, atque ante verbum, cuius causa procreatus fuerat, saltante. Fascijs inuolutus est vt homo; verum sepulturæ facias rediuiuus excusit vt Deus. In præsepio quidem reclinatus est vt paruulus: cæ-

Communio idiomatũ in Christo est ppter vnitatem hypostaticam.

Ex Greg. Nazian. ora. 3. de Theologia in applicatum in unitate personæ.

terum ab Angelis celebratus est ; & a stella proditus, & a Magis adoratus vt vir. In Aegyptum quidem pulsus est vt infans; verũ impura Aegyptiorũ sacra depulit ac profligauit vt vir. Non erat ei species neque decor vt homini apud Iudæos; sed apud Dauidẽ speciosus erat forma præ filijs hominũ; atq; etiam in monte, discipulorum oculos splendore perstringit, ac sole clarior efficitur; futurum videlicet splẽdorem adumbrans, vt Deus. Baptizatus quidem est vt homo: sed peccata sustulit vt Deus; atque ideo baptizatus est, vt aquis ipsis sanctitatem afferrat, Tentatus est vt homo; Victoriam reportauit vt Deus; atque adeo nos magno & intrepido animo esse iubet, vt qui virtute sua mundũ superauit. Fame affectus est vt homo; sed multa millia hominũ aluit, ipseq; panis est viuificus ac Cœlestis. Siti laborauit vt homo; sed clamauit, si quis sitit, veniat ad me, & bibat, atque etiam facturum se pollicitus est, vt qui fide præditi sunt, fontis instar scaturiant. Fatigatus est vt homo; sed eorum, qui fatigantur atque onusti sunt, est requies vt Deus. Somno depressus est vt puer; sed in mari leuis incedit, ac vẽtos increpat, Petrumque pessum euntem subleuat ac erigit, vt vir. Vectigal pendit; sed ex pisce, atque ẽt exigentiũ Rex est. Samaritanus vocatur & Dæmoniacus; cæterum ei qui a Hierosolymitana vrbe descendens in latrones inciderat salutem adfert, atque a Dæmonibus agnoscitur, & Dæmones fugat, & spirituum legiones in profundum præcipites agit; Ducemque Dæmonum quasi fulgur cadentem videt. Lapidibus petitur vt homo; sed non arripitur vt Deus. Orat; sed alios orantes exaudit. Collachrymat; sed lachrymas sedat. Quærit vbi positus sit Lazarus, homo enim erat; sed Lazarum a morte ad vitam excitat, Deus enim erat. Venditur & quidem vili prætio nempe triginta argenteis: sed interim mundum prætio magno, hoc est cruore suo redimit. Vt ouis ad occisionem ducitur; verum Israelem pascit, nunc autem vniuersum terrarum orbem. Vt agnus mutus est; sed verbum est illius in deserto clamantis voce annunciatum. Languore affectus est & vulneratus; verum depellit omnem morbum & omnem languorem. In crucis lignum affigitur atque eleuatur, sed nos vitæ ligno restituit, latronemque simul pendentem seruat atque obscurat quicquid oculis cernitur. Acetum illi propina-

tur

tur, ac fel in cibum porrigitur; sed quis est qui, aquam in vinum commutauit, atque amarulentum illum gustum sustulit? ille inquam totus dulcis atque expetibilis. Animam tradit; sed eius rursus accipiendæ potestatem habet, velumque rumpitur, supera enim patefiunt, ac petræ scinduntur, hominesque vita functi prius, ad vitam reuocantur. Moritur; sed vitam impertit, ac morte sua mortem extinguit. In humatur; sed resurgit, In infernum descendit; sed animas reuehit, atque in Cœlos ascendit, venturusque est ad iudicandum viuos & mortuos.

Talis est Christus, talem genuit Maria. Deum & hominem genuit Maria, Maria igitur debet dici Deipara. Iure, inquit Damascenus, optimo & pro veritate, Deiparam incontaminatam nominamus Mariam, hoc enim nomen esse dispensationis mysterium commendat. Nam si Deipara quæ genuit, reuera Deus est qui ex ipsa genitus est, reuera etiam & homo. Quomodo enim ex muliere genitus natusque Deus est, ante sæcula hypostasin habens, nisi homo factus est? Si autem ipse qui ex muliere natus est, Deus est, vnus est profecto qui ex Deo Patre natus est secundum Diuinam, & sine initio substãtiam; & qui nouissimis temporibus, ex Virgine natus est, secundum initium habentem & temporalem substantiã humanam. Hoc autẽ vnam hypostasim, & duas naturas, & duas Natiuitates Domini nostri Iesu Chri significat. *Egredimini igitur & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua, in die desponsationis eius. Egredimini* de hoc obscuro carcere ignorantiæ, & errorum vestrorum; vocat vos sponsus; *egredimini* de hoc obstinato animi vestri proposito, quo disposuistis desciscere a veritate; regredimini ad lucem ueram Christum: regredimini ad luminaria illa mundi, Apostolos & Apostolicos viros; regredimini ad lucernam Ecclesiæ, & illuminabuntur tenebræ intellectuum vestrorum; *egredimini & videte* non corporis sed fidei oculis, Regem illum, de quod Dauid canebat, Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se: contemplamini Regem Christum qui vt Epiphanius reliquit, in hunc mundum veniens nouo modo regnare cœpit, speciosio carnis indumento

Lib. 3. Orthodox fidei c. 12.

Maria Deipara.

Cant. 3.

Christus Rex, coronatus carnis nostræ trabea.

mento ex Maria sibi sumpto; in quo post mortis supplicium rediuiuus suam potentiam, aduersus atrocissimos hostes, peccatum, mortem, & Diabolum declarauit. videte Regem a Iudæis quidem derisum, a Pilato crucifixũ, ab Herode delusum, a sui temporis gentibus vilem & despectum reputatum; tamen coram Virgine Sanctissima, coram Angelorum exercitu, & coram Trinitate decorem inductum.

Videte regem plusquam Salomonem, in diademate; elegantissima ac munda carne, quam carnem de carne virginis matris assumpsit. Diadema namque vocat carnem, ait Cassiodorus, quã Christus assumpsit pro nobis, in qua mortis destruxit imperiũ; in qua etiã resurgens resurgendi nobis spem contulit. in 2. cap. Cantic.

Videte Regem in diademate quo coronauit eum Mater virgo. Beatus enim Mariæ vterus, dixit Ambrosius, Dominum coronauit quando formauit. Coronauit eum quando generauit, quia hoc ipso quod ad omnium salutem eum concepit & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit; vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus. *Videte Regem in diademate quo coronauit eum Mater sua, in die desponsationis.* Illo scilicet die fælicissimo, quando sponsam sibi Aethiopissam naturam nostram in vnitatem personæ, in vtero Virginis adiunxit. Illo die quo spectaculum præbuit Angelis: istorum enim multitudo de Cœlis descendens, admirata est Regem hunc, non in alto solio, sed in vili præsepio a matre proiectum; & ex contemplatione resoluti in gaudium modulabantur. Gloria inexcelsis Deo: Illo die qui spectaculum præbuit Pastoribus. Eamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod Caro factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Illo die qui spectaculum præbuit vniueso mundo, A finibus enim extremis terræ, veniebant curui filij hominum, adorantes vestigia pedum Saluatoris, Ecce tres Magi veniunt ab oriente, & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Adorantes procidendo, offerẽtes ei thus, fatentur hunc puerũ Deũ esse: offerentes aurũ, Regẽ; offerẽtes myrrhã, hominem cõfitentur. Venite & vos si non cum Angelis suaue canentibus, & laudantibus Deum, Gloria inexcelsis, si scilicet displicet vobis

lib. de instit. Virg. ca. 16.

Christus videndus & adorãdus cum Maria matre.

Matth. 2

bis consilium Diuinum super reparatione generis humani; si respuitis scilicet salutem animarum vestrarum quam attulit Saluator mundi, Deus. Venite saltem vel cum Pastoribus simplicibus, non curiosis; humilibus non arrogantibus; *videte* per fidem, Verbum hoc quod caro factum est, cum Maria; sed Matre eius. Venite vel saltem etiã cum sapientibus, sed captiuantibus intellectum in obsequium Christi. Intrantes domum Ecclesiæ, procidite per confessionem errorum vestrorum, procidentes adorate Deum, adorantes offerte Deo, si nõ habetis aurum obrizum, offerte odoramentum incensi. Dicas tu Nestori, nõ ficte vt olim, sed vere. *Dicatur etiam Dei Genitrix Maria, & contentiones tristes facessant.* Dicas tu Luthere, qui tantam turbam discipulorum suo fune trahis, non ficte vt olim. *Sicut mulier vere dicitur & est filij mater quæ concepit & peperit, licet illi non animã quæ a solo Deo infunditur, sed corpus duntaxat e natura sua subministret, sic & Mariam matrem Dei nominare & agnoscere par est, etiam si Christo non tribuat Diuinitatem, sed solum illum secundum humanitatem generet.* Vos reliqui accedite, & osculamini vestigia pedum suorum; sed cum Maria Matre eius. non sine Matre laudauerunt Angeli infantem; non sine Matre Pastores considerauerunt verbum; non sine Matre Reges Orientales inuenerunt puerum; in sinu Materno adorauerunt eum & in sinum Maternum obtulerunt ei munera. *Matrẽ illã ac Deip. agnoscunt Euangelia.* Cum, inquit Matth. esset desponsata mater Iesu Maria, Mater immaculata addit Origenes. Mater incorrupta, Mater intacta. Mater ei⁹. Cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini & Regis omnium, Plasmatoris & creatoris cunctorum, Illius qui in excelsis est sine matre, & in terris est sine Patre. Illius qui in Cęlis secundum Deitatem in sinu est Patris, & in terris secundum corporis susceptionẽ in sinu est Matris. *Matrem Dei, seipsa agnoscit*; audacter filio suo inuento in tẽplo dicens. Fili quid fecisti nobis sic. Quod non Angeli, neque Archangeli, non Cherubin aut Seraphin sibi sumere possunt, personã vt Diuinam filij loco habeant, suumque filium vere dicant, id Maria facere potuit. An non Deum, quęrit Bernard. & hominum & Angelorum Maria suum audacter Filium appellat dicens. Fili quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis & pro magno

lib. de Cõcilijs & Eccles.

Lutheri & Nestorij inconstantia.

Matth. 1

Luc. 2.

Hom. 1. de B. Virgine.

gno

gno habent, quod cum spiritu ex cōditione & gratia facti sint, & vocati Angeli testante Dauid. Qui facit Angelos suos Spiritus. Maria vero Matrem se esse agnoscens, Maiestatem illam cui illi cum reuerentia seruiunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Matrem Dei Mariam esse agnoscit, Spiritu sancto afflata Elizabeth. Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me? Mater Domini, dixisset Dei Dominus enim vt Damascenus aduertit, nomen est sublimitatis Diuinæ. Matrem illam agnoscunt Mahometani in suo Alchorano. O Maria, inquit, cunctis viris fœminisque præclarior, soli Deo perseuranter studens. O Maria Deus vtique elegit te claram, & purificauit te super mulieres sęculorum. O Maria Deus annnciat tibi Verbum ex ipso, nomen eius Iesus filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc sæculo & in futuro. Matrem illam cognoscunt Sybillæ.

Mahometi de Maria elogiū

ins. & 74 c. Alcorani.

Sybillarū de Maria oracula.

Persica. - - *ille Deus.*
Casta nascetur virgine Magnus.
Lybica. *Aequus erit cunctis, gremio Rex membra reclinat.*
Reginæ mundi Sanctus per sæcula viuus.
Delphica. - - *qui Virgineo conceptus ab aluo*
Prodibit sine contactu maris, omnia vincit.
Hoc naturæ opera. - -
Cumana. *In cunctis humilis, castam pro Matre puellam.*
Deliget, hęc alias forma præcesserit omnes.
Hellespontica. *Dum meditor quondam, vidi decorare Puellā.*
Eximio castam (quod se seruaret) honore.
Munere digna suo, & Diuino numine visa.
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem.
Tiburtina. *O nimium fœlix, Cœlo dignissima Mater.*
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.
Cimeria. *Militiæ æternæ Regem, Sacra virgo cibabit*
Lacte suo per quem gaudebunt pectore summo.
Omnia. & ex eo lucebit Sydus ab orbe.
Mirificum.

Encomia Deiparā confitentia Mariā

s. Thomæ concil. Ephes.

Deiparam Mariam esse confitetur vniuersus Orbis cum Concilio Ephesino & Chalcedonensi, & Lateranensi. Maria enim vt clare in Ephesina Synodo denunciauit Proclus Episcopus Cizicenus, & postea Patriar. Constantinop. est spiritua

li

lis Adami Paradisus, Maria vnitarum inter se naturarum officina. Maria salutaris reconciliationis Panegyris, Maria thalamus in quo verbum humanam carnem sibi desponsauit, Maria animatus naturæ Rubus, quem Diuini partus ignis non combussit. Maria verè leuis illa nubes, quæ super Cherubin sedentem in corpore suo gestauit. Maria vellus mundissimum Cęlesti pluia madens, ex quâ Pastor ouem induit. Maria Ancilla & Mater, virgo & Cœlum. Hæc sola pons est per quem Deus ad hominem descendit. hæc admiranda illius Oeconomia tela, ex qua & in qua ineffabili quodāmodo, admirabilis illius vnionis tunica confecta, cuius quidem textor extitit Spiritus Sanctus; netrix virtus ex alto obūbrans; lana vetusta pilosaq; Adami pellis; trama impolluta virginis caro; radius textorius immensa gestantis gratia; artifex verbū per auditum illapsum. *Maria Deipara*, addidit Andreas Hierosolymitanus, est Sancta tellus ex qua Adam nouus, ineffabili fictione formatus nascitur. Maria est Sacrum Dei fermentum, quo tota humani generis massa cōnspersa, & ex qua Christi corpus tanquam panis conficitur; Dei genitrix est noua gloriæ arca, & vrna aurea, quæ dulce manna continet atque præstat; est mirificum aruum ex quo Cœlestis agricola suam fine semine spicam producit: est eximium templum ex quo Deus Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech egreditur. Et subinde facit hāc exclamationē, simul doctam & eloquentem. Benedicta tu inter mulieres. Benedicta tu quæ Cœlestem thesaurum in quo alij omnes sapientiæ & cognitionis thesauri sunt recorditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrime complexa es. Verè tu benedicta, cuius venter aceruus quidam areæ, quoniam fructus benedictionis, spicam immortalitatis; Christum inquam, fine seminatis ac coloni opera perfectissimè produxisti; messem copiosam infinita millia congratulantiū sibi de salutis nostræ operario adduxisti. Tu verè benedicta quæ sola præ matrib. omnibus dignas es habita Mater conditoris tui; ac ita quidem vt quæ matribus contingunt ignorares; quippe quod ex te per partum prodijt, virginitatem tuam haud corrupit; nam qui formauit, idem quoque cōmuniuit castitatis tuæ signacula. Reuera benedicta tu, quæ sola sine viro concepisti, & in vtero eum gessisti, qui Cœlos expandit,

In salut. Angelic.

pandit, ac virginitatis tuæ terram Cęlestem reddidit. Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem es sortita, quam Deus gentibus per Abraamum promisit. vere tu benedicta, vt quæ sola benedicti pueri Iesu Christi Saluatoris nostri mater es nuncupata, propter quam gentes acclamant. Benedictus qui venit in nomine Domini & benedictum nomen glorię eius in sempiternum, & implebitur maiestate eis vniuersa terra. fiat, fiat. Hoc ergo honore Mariam spoliare vultis? Contra tot testimonia & argumenta, vel nulla ratione ducti, militabitis? Contra sacræ scripturæ authoritatem, Angelorum oracula, Spiritus sancti instinctu prolata verba, contra vniuersi orbis consensum, Mariam Deiparã pernegabitis? Non genuit quidem, (vt vos hallucinamini turpiter, nobis imponentes,) illa Diuinitatem; Diuinitas enim sicut nec finem ita neque principium habet; sicut neque corrumpitur, ita neque generatur; Diuinitas sicut nec mori, nec pati, nec crucifigi, nec resurgere potest, ita neque nasci. Non genuit Diuinitatem; genuit Deũ & dedit initium Deo, non in Diuinitate, sed in humanitate subsistendi. Deus enim est qui natus est, Deus qui passus, Deus qui crucifixus, Deus qui mortuus, Deus qui sepultus. Deus qui resurexit non quidem secundum Diuinitatem sed secundum humanitatem. Natus enim est ex Deo, vt Anthagonista Nestorij Cyrillus ait, Patre vt Deus, ex virgine autem vt homo. Nã verbum ex Deo Patre ineffabiliter, & vltra mentis captũ eluceſcẽs genitũ esse dicitur, & ex muliere descendens in humanitatem, & demittens se in id quod non erat, non vt maneat euacuatum, sed vt Deus credatur, & in specie naturæ nostræ similis apparens super terram; non tanquã in homine habitãs, sed ipse secundum veritatem homo factus, cum hoc gloriam suam seruans. Ex hoc deinde sequitur, quia non genuit Diuinitatem sed Deum, & hunc filium Dei; non dicitur Maria Mater Diuinitatis, aut Trinitatis, aut Patris & Spiritus sancti. Non enim Pater, aut Trinitas tota, aut Spiritus sanctus ex ea carnem assumpsit, sed Deus filius; fęmina hęc vnum tantum virum circumdedit, non simul tres ex illis qui apparuerunt Abrahæ; ideo neque Mater Patris, neque Mater Spiritus sanctus, neque Mater totius Trinitatis, sed mater Dei qui carnẽ assumpsit dicitur, *Sancta Maria Deipara dicitur.* secun-

Maria nõ genuit Diuinitatem sed Deum.

in lib. de recta fide ad Reginas.

in ser. de B. Virg.

ſecũdum Epiphanium,quia verbum incarnatum peperit. Dei para exiſtit,quia Deum verbum in forma ſerui concepit. Deipara exiſtit,quia Deum verbum incarnatum ſuſcipiens peperit. Deip. exiſtit, quia ſola ſolius Dei vnigenitũ filium genuit, non temporaneum Deum ſed æternum, qui erat ante Mariam & ante omnia. Quod ſi quis hiſce ſanis ſermonib. non acquieſcit,nos cum ſententia Concilij Lateran.dicimus. Si quis ſecũdum Patres ſanctos, non confitetur propriè & ſecundum veritatem,ipſius & vnius Domini noſtri & Dei Ieſu Chriſti, duas natiuitates, tam ante ſęcula ex Deo & Patre incorporaliter & ſempiternaliter: quam de S. ſemper Virgine Maria corporaliter,in vltimis ſæculorum temporibus; atque vnum eundẽque Dominum noſtrum & Deum Ieſum Chriſtum conſubſtãtialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem homini & matri ſecundum humanitatem; ac eundem paſſibilem carne, & impaſſibilem Deitate; circumſcriptum corpore, inciricunſcriptum Deitate; eundem inconditum, & conditum: terrenum & cœleſtem; viſibilem & intelligibilem; vt toto homine, eodemque & Deo totus homo reformaretur qui ſub peccato cecidit: condemnatus ſit. Si quis abuſiue & non vere Dei genitricem dicit, ſcilicet glorioſam ſemperque Virginem Mariam; aut per relationem tanquam puro homine nato; aut ſi quis hominis genitricem vocat eam, aut Chriſti genitricem vtpote Chriſto non exiſtentente Deo, & non ſpecialiter, & ſecundum veritatem genitricem eandem confitetur; ob id quod ante ſæcula a Patre genitus Deus verbum, in vltimis diebus ex ea incarnatus & natus eſt; atque ita pie ſanctam Calcedonenſem Synodum, Dei genitricem eam confiteri; anathema ſit. Impiũ dogma Neſtorij, omnes anathematizamus. Cũctus orbis terrarum anathematizat impiam religionem Neſtorij. Qui hunc non anathematizat, anathema ſit. Hunc recta fides anathematizat. Hunc S. Synodus anathematizat. Qui communicat Neſtorio, anathema ſit, cum Neſtorio regnante in Plutonis imperio, in ſæculorum ſæcula. Amen.

Conc. Later. ſub Martino 1. c. 4.

Neſtorianorũ cõdẽnatio a Concilijs.

Cõcil. Conſtantinopol.

Cõcil. Epheſiuũ.

vnquam subſtrahere,neminiq. deeſſe poteſt, pręſertim illis qui ab omnibus abiecti hominibus, a nullo pręterquam a ſolo bonorum largitore expectant adiutorium. Omnium ſolatio deſtituta,ad tantam pauperiem inops illa vidua Sareptana deuenerat,quod in penu ſuo,nihil præter guttas aliquot olei,non quo veſceretur, ſed quo vngeretur haberet; Improbus creditor & matrem & filios in captiuitatem venundare, vt inde debitum quod vnde ſolueret non inueniebat,ſibi reſtitueretur,voluerat: ſpes nulla crudum illius affectum euadendi erat. Quid tum? Deus qui omnibus ſubuenire ſolet,miſit Eliſæum Prophetam qui afflictā ſolarętur & deſtitutam iuuaret,qui inopiam in affluentiam,pauperiem in diuitias,ſeruitutem duram in libertatem,luctū in gaudium commutaret. Poſtquam enim lachrymaretur & conquæreretur, coram Propheta. Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſeruus tuus fuit timens Deū & ecce creditor venit,vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi; Nec habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo vngar. Dixit ad eam Eliſeus. Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca; & ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris & filij tu; & mitte inde in omnia vaſa hęc; & cum plena fuerint tolles; & tunc vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem & filij tui viuite de reliquo. Et exinde,in tantū gutta illa oli eexcreſcere cępit,ad verbum Domini,vt prius vaſa quam liquor defecerunt, Cum enim plena fuiſſent vaſa quæ offerebant filij, & illa infundebat, dixit ad filium ſuum. Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit. Non habeo. Stetit ſubito oleum, nec amplius effluere potuit: Ex quo illa & æs alienum ſoluit creditori, & vitæ ſuæ ac filiorum prouidit. Simile quid fecit Deus vniuerſo generi humano, ſuper quo ipſemet Deus ac ſi ſuper vidua relicta lamentabatur. Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione. Creauerat olim Deus hominem rectum, omnium virtutum diuitijs decorū & affluētē,gr̄a vt balſamo pręcioſo perfuſum; intellectus ac timonia Deum & omnia Diuina opera percipientem, voluntate in Deum ſuum Conditorem & ſe ſuamque ſalutem ardentem, ſenſu & corpore ſuperiori rationi non renitentē. Fecerat illū Regē & principē,imo

Sarepta- nę oleum.

4. Reg. 4. cap.

Humana natura uidua.

Deum quendam terrenum eum constituerat. Immortalitate impassibilitate, incorruptibilitate, et agilitate illũ vt veste decẽti induerat, in loco, ameno Paradisi & vt quoddã lignũ fructiferũ & vitale, in loco inq̃ delitijs oĩb. referto collocauerat. ita vt Hieremias considerans tantã bonorũ copiã homini collatã, Oliuę speciosæ nomine illum appellare nõ dubitarit dicẽs Oliuam uberem pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum. Hier. 11.

Homo fuit oliua.

Ast cum inuidia Diaboli aspexit in hominem; cum homo deuiare cępit, a Cęlesti Hierusalem mandati Diuini, per inobedientiam: cum ad mutabile Hierichio, vanæ spei, impossibilis Diuinitatis appetitione accessit: latrones latrones spoliauerunt eum, denudarũt, sauciarunt, plagas imposuerunt, venundarunt, semimortuum inter fauces Bestiarum deserti antea inferni, reliquerunt. Duo sunt, inquit Deus, quæ occurrerunt tibi: quis contristabitur super te? Vastitas & contritio, & fames & gladius, quis consolabitur te? Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata; pleni indignatione Domini & increpatione Dei tui. Et rursus quasi ne sciat, interrogat, dicens. Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam, aut quis est creditor meus cui vendidi vos? ecce enim in sceleribus vestris venditi estis & in iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram. Ast o in fœlicem illã Oliuam antea pulchram speciosam vberem, ad vocem loquelæ, ait Hieremias, grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt frutecta eius: Ad vocẽ loquellæ illius. Cur pręcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? exarsit ignis vltionis Diuinæ; truncauit, combussit; ita vt nec baccas virentes, nec fructus pingues, nec ramos feraces sed vix truncum abiectũ, inutilẽ, nihil pręter aridã virgam q̃ postea dederat Aaroni ad dirigendum, reliquerit. Sic, vt Rex & Propheta Dauid, dum fugeret vindicem filium suum, speciosum forma prę filijs hominum, nudis pedibus incedens; cliuum oliuarum, huius oliuæ pulchritudinem in Spiritu contẽplatus, quã. s. venustate olim ornata, in q̃ vero miseriam deiecta esset; flens atque mistrans combustionẽ illius sepius repetitis uocibus dicebat, Quomodo facta es in desolationem? Quomodo tu, quæ manu altissimi

Isai. 51.

Isai. 50.

altissimi consita in medio lignorum Paradisi fuisti: nunc ex-
Psal.79. tra Paradisum transplantata, facta es in desolationem? Quo-
modo tu, quæ olim viridibus ramis tuis exæquabas cedros Dei;
nunc defluentibus folijs uirtutum, abscissis ramis libertatis in
bonum, facta es in depopulationem? Quomodo tu quæ olim
fructifera, nunc sterilis? olim pinguedine effluens gratiarum,
nunc macida? Exterminauit eam aper de silua, & singularis
ferus depastus est eam. Incensa igni & suffosa. Sed nunquid
desperandum? Nunquid animus despondendus? Nunquid
in æternum proijciet Deus? aut non apponet ut complacitior
sit adhuc? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit
in ira sua misericordias suas? siccine in perpetuis vinculis, in
sempiterna ægestate, hæc paupercula vidua, in æterna defor-
Psal.76. mitate, & carie, hæc oliua relinquetur? Non non. Non conti-
nebit in ira sua misericordias suas. Deus nemini deesse potest.
plantabit nouam plantationem; erumpet sicut virgultum vir-
ga Iesse; ex misericorde Dauidis styrpe, *Egredietur oliua noua*,
non adulta peccato; non suffossa sarculo Sathanæ; non decor-
ticata sed protecta gratia; non abscissis ramis, rami enim ipsius
sunt rami honoris & gratiæ; non arida sed perpetuo virens &
florens. flores enim eius sunt flores & fructus honoris & hone-
statis; non fracida sed odorifera. Sicut cynamomum & balsa-
mum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi sua-
uitatem odoris, quasi balsamum non mistum odor meus; *Egre-*
Eccl.4. *dietur Oliua*, quæ ubertate, pulchritudine, fructificatione, spe-
ciositate, non tantum Oliuam illam Paradisi, Parentes suos
sed etiam Angelos uincet. *Quasi oliua speciosa in campis*; Speci-
osa enim facta est & suauis in delitijs suis sancta Dei Genitrix
Ex qua profluet ille cui nomen est, Oleum effusum nomen
tuum. Ex qua non guttæ sed fluuius olei misericordiæ profun-
det, ille ad quē Dauid aiebat Deus meus misericordia mea. Pe-
tierant quidē Sancti Patres, vt gutta vel minima huius bal-
sami deflueret de Cęlis, Rorate cœli de super; habuerunt pro
maximo, ut non totum sed aliqua gutta roraret huius olei mi-
sericordiæ; Beata virgo non guttam, sed totum oleum effudit
filium suum misericordem Deum. Iam non stillarunt montes
dulcedinem; non stillarunt colles iustitiam; sed flumina de ven
tre eius fluxerunt, flumina de hoc monte pingui, monte coa-

Maria oliua speciosa.

Flumina olei effluxerūt ex Maria.

gulato in quo beneplacitum erat habitare Deo in eo, profluxerunt, Oleum effusum nomen tuum *Petra hæc* a quam sępe sæpius intuebatur Iob in spiritu. Petra hæc non illa dura, sed mollis per pietatem, molis per clementiam, molis per compassionem: non illa frigida, sed flagrans & ardens igne charitatis; non illa nullius frugi, sed quæ ubera plena habet fragantia vnguentis optimis, fudit riuos olei, Christus b enim impinguatum caput habet oleo. c ex ipsius capite nunquam deficit oleum, d Christum unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis, e Vidimus eum plenum gratiæ & ueritatis, & deplenitudine eius nos omnes accepimus. Huius sacerdotis uncti, f oleum descendit a capite vsq; in barbam in Sanctos f. Apostolos qui coniuncti Christo erant; descendit & in oram vestimenti eius g misericordia enim Domini plena est terra. Hoc oleo misericordiæ, nemo est qui non perungatur. h Spiritus Domini, inquit Christus super me, propter quod vnxit me. Ad quid te vnxit spiritus o Christe? Euangelizare, inquit, pauperibus misit me, sanare hoc oleo, contritos corde: prædicare ex hoc oleo captiuis remissionem: hoc oleo cæcis visum restituere; ex hoc oleo dimittere confractos in remissionem: propter hoc oleum misericordiæ, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Quasi diceret. Gratis uenundati eratis, ablata a vobis erant omnia bona, in pauperie summa, quasi oliua tempestate conuulsa, contriti, confracti, spoliati, uulnerati, infirmi, cæci, semimortui, Deo odibiles, fuistis, Centum cados olei debuistis Domino uestro; oliua autem vestra ignib. combusta erat infructifera, arida, & detrúcata. Dabo igit' ego uobis oliuam speciosissimam virginem Mariam quæ uobis effundet oleum in abundantia nunquam deficiet hic lecythus olei ut Sareptanæ. haurietis in gaudio de fontibus saluatoris, hoc oleum misericordiæ Hoc oleo a captiuitate & iugo durissimo sathanæ liberabimini. k Computrescet enim iugum a facie olei, prædicare enim captiuis remissionem misit me Deus. Ex hoc oleo bona omnia & corporis & animæ, & terrena, & Cęlestia, vobis restituentur ablata. Diem enim retributionis Euangelizare misit me. Propter hoc oleum misericordiæ, improbus creditor nunquam vociferabitur contra te. Inueni enim Dauid seruum meum, oleo sancto unxi eum. nihil proficiet inimicus in eo

Christus unctus oleo.

a 19. Iob.
b Ps. 22.
c Eccl. 9.
d Ps. 44.
e Io. 1.
f Ps. 132.
g Ps. 32.
h Luc. 4.
k Isa. 10.

in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei, & cōcidam a facie ipsius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertā, & misericordia mea cum ipso. Iam amplius nihil dicet. Redde quod debes; prædicare enim annum acceptum Domino, in quo fit remissio debitorum, misit me. Propter hoc oleū mi-
Dan. 13. Ezech. 16 sericordię, cōfracta solidabūtur, & cōtrita sanabuntur. Sanare enim contritos corde, misit me Dominus. Hoc oleo misericordię, sacerdotes consecrabuntur, Reges per Prophetarum manus, inungentur, Sacrificia Deo dilecta conspergentur. Misericordiam enim volo & non sacrificium. Iacob. Allegoria

Hoc oleo misericordiæ, Iacob dura & lapidea corda peccatorum emolliet, & inunget altaria Domino. Hoc oleo Susanna, maculas & sordes peccatorum eluet. Hoc oleum sponsa illa comedens, & vestita est discolorib. virtutum & calceata hyacintho terrenorum contēptu, cęlestium amoreque:
Math. 25. & cincta bysso castitatis & induta subtilib. fide spe & charitate: Hoc oleo nutrita, facta est decora vehementer nimis, & profecit in regnum. Hoc oleum sapientibus Virginibus aperuit ianuam, ad fęlicissimas illas nuptias Agni: & ad faustū illud conuiuium perenni tempore duraturum; ad excelsas illas ædes, vbi aufugit dolor & genitus sed regnat lætitia. Hoc oleo Deus infirmos vngit ad mitigationem; tristes ad exhilarationē, pugiles ad fortitudinem; Reges & Sacerdotes ad dignitatem. A Oleum multiplicauit Ecclesiam.
Isa. 41. fructu vini & olei Diuini; vini feruentis charitatis, & olei superefluentis misericordię, multiplicati sunt fideles in vniuer-
Rom. 11. sa terra. Postq̄.n. Dominus in solitudine Gētilitatis, dedit myrtum & oliuā; myrtū humilitatis & oliuā misericordiæ: Postq̄
Isai. 21. Gentilitas tāq̄ oleaster insetta est in bonā oliuā, & facta est particeps pinguedinis oliuæ; Postquā mirificauit Dominus misericordias suas, vt saluos faceret sperātes in se; Postquam clamauit ad nos de Seyr s. de asperitate, quā sustinuit in cruce, custos ille qui de nocte vigilat; reuertere ad me quia redemi te: Postquam ex illo pietatis fonte, qui de latere Domini nostri emanauit, irrigatus est vniuersus mundus: Postquam facto alabastro illo prætioso, impleta est domus Ecclesiæ ex odore vnguēti: Postquam ad nos extendit, quasi terebinthus ramos suos: Postquam visitauit terram & inebriauit eam dilectione, & spiritualis gaudij iucunditate, & multiplicauit locupletare eam bonis

spiritualibus, & diuitijs diuersorum charismatum; Postquam suscepimus misericordiam tuam Deus, in medio templi tui: A fructu vini & olei huius, multiplicati sunt fideles; creuit tanta seges fidelium, vt quidam sint filij sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ Diuinæ; quidam fructiferi vt oliuæ in domo Domini: alij florentes vt palmæ, multiplicati vt Cedri Libani; alij vt arbores plantatæ secus decursus aquarum, dantes fructum in temporib. suis: alij germinantes sicut lilium, Vnde tanta fertilitas? ex quonā tāta incremēta? Deus ipse manifestauit apud Oseā dicens. Ex quo factus sum, quasi ros Israeli, Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani, & germinabunt quasi vinea. Ephraim dicet, quid mihi vltra idola? ego.n. exaudiam eum, & dirigā eū: ego, vt abietē virētē: ex me, ex me fructus tuus inuentus est. Ex eius enim plenitudine omnes nos accepimus. Ipse est fons & radix bonorū omnium. Ipse vita, ipse lux, ipse bonitas, non in seipso bonorū diuitias continens, sed in vniuersos diffundens; quibus diffusis tamen plenus remanet, neque aliorum satietate minuitur, sed diuitias suas semper elargitur vberius. Ipse, vt Chrysostomus ait, infinitum pelagus misericordiæ, ex quo quantumcunque quis hauriat, nihil deficit; ex quo omnes guttas bonorum participatorum accipiant, necesse est. Ipse est igneus fons, a quo omnes lucernæ bonitatum accenduntur; & tamen iste fons ita plenus est ignis, vt anteaquam ex eo quicquam sumeretur: Ab huius igneo fontis ardore, nemo est qui non adurātur, non est qui se abscondat a calore eius; A summo.n. Cœlo egressio eius, occursus eius vsq ad summum eius. Percurre intellectu a summo cœlo vsque ad extremum eius; Peruola cogitatu tuo a summa vsque ad infimā creaturam; Recense in numerum, Angelos, Sydera, Orbes Cælestes, Homines, Iumenta, Pisces maritimos, volatilia Cœli, ignem vrētē, aerem subtilē, limpidā aquā. Descende vsque ad globum terræ, & centrum illius profundum; Scrutare abyssos illius, secreta & abscondita ab oculis mortaliū rimare, videbis quod ad oēs egreditur bonitas misericordię Diuinę: ad omnes diffusum est hoc oleum; omnes lucernæ mundi accensę ab hoc igneo fonte effulgent: Misericordia Domini plena est terra. A summo cœlo egressio eius & occursus eius

Ose 14.

Christus est fons.

hom. 15. in c. Ioā.

Ps. 18.

ſus eius vſq. ad ſummum eius. Non eſt qui ſe abſcondat a calore eius. Ab hoc igneo fonte olei miſericordię, ſpirituales ſubſtãtiæ hauriunt incorporeitatẽ immortaliũ, Ab hoc igneo fonte Chriſto, Seraphini ardent amore; Cherubini lucent ſcientia; Throni clareſcunt maieſtate; Dominationes regnant; Poteſtates imperant; virtutes prodigia faciunt; Principatus prouident. Archangeli protegunt; Angeli nunciant. Hoc oleum miſericordiæ clara & lumine fulgentia fecit Sydera, Orbes Cęleſtes hoc oleo inuncti pernici motu volubiles effecti ſunt. Ab hoc ſtagno, dicam pelago infinito, homines intelligere, Iumenta ſentire, piſces ſemitas ſubaqueas, volucres Cœli aera infatigabili curſu perambulare, acceperunt Ab hoc igneo fonte ignis adurit, aer tranſparet, liqueſcit aqua. Ab hoc oleo viuentia viuunt, exiſtentia ſunt, mouentia mouentur, intellectualia intelligunt. Omnia per ipſum facta ſunt, ſine ipſo nihil alind præter nihil factum eſt. Non eſt qui ſe abſcondat a calore eius. Oleum effuſum Nomen tuum. In ipſo, ait Paulus, condita ſunt vniuerſa in Cœlo & in terra; viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni ſiue Dominationes, ſiue Principatus ſiue Poteſtates; omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & in ipſo omnia conſtant. Miſericordia Chri plena eſt terra. *Oleum effuſum nomen tuum*. Qui rerum naturalium ſcrutantur propria, Olei dicunt has eſſe conditiones, 1. vt effuſum ſe ſponte ſua diffundat 2. vt ſuperfuſum alijs liquoribus ſupernatet, 3. ut lucem afferat 4. vulnera ſanet. 5. cibos condiat. Hæc autem Chriſto quem dicimus miſericordiã, cõueniant ne an non? videamus.

Colos. 1.

Olei Proprietates.

Oleum effuſum ſe ſua ſponte diffundit p omnia. Si quis.n. guttã olei in veſtem ſparſerit, videmus quantum uirtute ſuam influat, quod magnã partem indumenti pinguedine repleat. Chriſtus miſericordia, effuſus ex viſceribus Paternis ab æterno, & ex maternis in tempore; quidnam nõ occupauit? quidnam plenitudinem ipſius effugit? Chrs inquit Ambroſius, oĩb. omnia factus eſt. paup pauperib. diues diuitib. flẽs flẽtib. eſurientib. eſuriens, ſitiens ſitienb. profluus abundãtib. in carcere cum paupere eſt, cum Maria flet, cũ Apoſtolis epulatur, cũ Samaritana ſitit, in deſerto eſurit, vt cib. primi hoĩs quẽ pręuaricatione guſtauerat, ieiunio Dñi ſolueret; ſitiuit, vt nos ſiti in deſerto pereũtes aqua de Petra educta refocillaret. Oĩa habẽmus in Xpo; & omnia

Oleum ſe diffundit p omnia

Chriſtus omnia omnib.

ſuper Lucam li. 4.

nia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras, medicus est; si febrib. æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia é: si indiges auxilio, virtus est: si morté times, vita est si tenebras fugis, lux est: si cęlū desideras, via est: si cibū quæris, alimētū est.

Christi diuersa nomina. Christus, vt præclare Nazianzenus reliquit, est vita, quia lumen & toti rationali naturæ vim præbet, qua constet atq; subsistat; in ipso enim viuimus mouemur & sumus, secundum duplicem aspirationis potentiam, & afflatum; dum inde omnes afflamur, quicunque sancti Spiritus capaces sumus, ac tantum quatenus os mentis aperuerimus. Christus est lumen, tanquam splendor animarum, quæ & ratione & vita purgantur; si enim tenebræ ignoratio, & peccatum lumen erit, scientia, & Deo addicta vita. Christus est iustitia, quia distributor est pro dignitate, & diuidit iustè, ijs qui sub lege, & ijs qui sub gratia; animæ quoque & corpori, vt illa imperet, hoc subijciatur, & melior imperium habeat in deteriorem, ne deterior contra meliorem insurgat. Christus est sanctificatio, tanquam purificatio quædam, vt puritas, purum aptius capiat. Christus est redemptio; quia nos in libertatem vindicauit, qui a peccato detinebamur & ipse se pro nobis prætium dedit, vt esset orbis terrarum omnium purificatio. Christus est resurrectio, vt is, cuius munere excitemur & reparemur ad vitam, qui ob peccatum morti fueramus obnoxij. Christus est via, tanquam qui per seipsum nos ducat. Ianua vt introductor. Pastor qui in loco pascuæ collocet, & ad aquam requietis enutriat, atque inde præcedens & pugnans propulset impetus bestiarum; qui etiam id quod errauerat reuocet; quod perdictum fuerat reducat; quod confractum erat alliget; quod validum est seruet, & ad mandram congreget sermonibus scientiæ pastoralis. Christus est ouis, tanquam victima. Agnus vt integrum quid atque perfectum. Pontifex per quem in conspectum Domini deducamur. vestis, qua nudi operiamur. Pater, vt filiorū pupillorū. Peregrinantibus dux. Laborantibus requies. nauigantium portus. Christus vt sponsus virginibus, vt Protector orphanis, vt medicina infirmis. Omnia omnibus factus est. Oleum effusum nomen tuum.

oratione. 2. de filio

Oleum superfusum alijs liquoribus supernatat. Fundas

das super aquam, super butyrum, & super quoduis aliud liquidum; virtute, sua se super alia eleuabit, & super alia natabit. Des quocunque vis opus Christi; misericordia Christi supereminet illi. Miserationes eius super omnia opera eius. Et de opere quidē creationis clarum est. Quid enim Angelus dedit Deo, vt conferat ei spirituale esse? Quid homo vt ratiocinari? Quid Astra vt lumine splendere? Quid orbes, vt reuolutione perfecti essent? Quid reliqua vt reliquas perfectiones a Deo acciperent, Deo contulerunt aut retribuerunt? Nihil profecto. Misericordia superexaltat creationem. Superexaltat & in recreatione. Iustitia exigit Diuina, vt peccator postquam terga vertit ad Deum peccando, nunquam vocetur. Qui enim spernit, iustum est vt non vocetur, Qui auertit faciem suam ne audiat præcipientem; iustum est vt sit indignus voce reuocantis. Iustitia exigit, vt peccator postquam decidit a brachio Diuinæ gratiæ, & cecidit in barathrum vitiorum; vt illic sempiterno tempore maneat, & ex inde nunquā porrigentis manu extrahatur: qui enim abutitur blanditijs deportantis, indignum est vt iterum recipiatur in easdem vlnas & ijsdem delitijs fruatur. Iustitia exigit, vt peccator postquam consumpsit omnem substantiam cum meretricibus, cum histrionibus, & cum Dæmonijs; postquam stola candida gratiæ spoliatus, ad omnem turpitudinis speciem deuenit; postquam alimenta & cibos suauissimos fastidiens, cum porcis in villa viuere cæpit; sed neque satiari furfure, & omnib. spurcitijs quib. talia immunda vescuntur, iustū est vt nunquam ei reliquum possessionis detur, sed vt in perpetua pauperie, nudus sordescat, & more bestiarum vt Nabuchodonosor omne tempus vitæ suæ agat. Iustitia exigit, vt homo postquam peccauit, æternas flammas sustineat; & non solum has, verum vt ad nihilū redigatur, & conteratur, ita vt nec in Cœlo nec in terra, nec in inferno aliqua eius memoria sit, sed obliuione sempiterna nomē eius deleatur. At misericordia superexaltat iudicium: non quomodo iustitia, sed vt misericordia suadet, Christus cum peccatoribus agit. Cum enim peccatores fugiunt ab ipso, ille ingeminat voces, multiplicat clamores, lachrimas fundit, Reuertimini, ait, Pœnitentiā agite, eò quia me dereliquistis, & appropinquabit vobis regnum Cœlo-

Misericordię excellentia Diuinæ.

Iustitia Dei quid exigit.

Vocat Deus fugientes peccatores.

Cœlum. Desistite ab hac fluida dissolutaque vita, Exurgite prę cor a somno huius teterrimæ noctis. Videte in quot pericula decidistis; & in quæ discrimina venistis; me habere infensum, mortem vobis imminere, infernum præparatum, Diabolú vt arripiat astanté cóspicite. Exurgite, reuertimini, facite fructus dignos pœnitentię: nó solum a malis prioribus desistite, verum & bonorum fructus facite. Aliena rapuistis? incipite donare iam propria. Longo tempore estis fornicati? a legittimo quoque vsu suspendimini coniugij, ac perpetuam có tinentiam sæpius, paucorum dierum castitate meditemini. Iniuriam vel opere cuiquam vel sermone fecistis? referte benedictionis verba conuitijs; & percutientes, nunc officijs, nunc beneficijs placare contendite. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Delitijs ante & temulentia defluebatis? ieiunio & aquæ potu vtrumque compensate, vidistis impudicis oculis alienú decorem? fœminam iam omnino non videre, maiore tacti cautione post vulnera. Declinate a malo, facite bonum, reuertimini ad me. Quod magis? nos plangere & lachrymari deberemus; ille lachrymarum suarum imbre dura corda nostra emollit. Quoties .n. super illam Ciuitatem inobedientem, & super scelera illius fleuit? Quot flumina lachrymarum oculi eius, super gentem peccatricem deduxerút? Quoties contestatur? Quid oro inuenistis in me iniquitatis, Hier. 2. quia elongastis a me, & ambulastis post vanitatem? Quoties iudicio cótendere vult? Transite ad insulas Cethim & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusmodi, si mutauit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt Dij: populus vero mutauit gloriam suam in idolum.

Deus recipit redeuntes. Quomodo vero reuertentes recipit? Obuiis vlnis in occursum Luc. procedit, in amplexus ruit, osculatur, in gratiam primam recipit; non dure increpat, non improperat delicta, sed in vlnas beneficiorum recipit. Non dicit. vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti? Non improperat; ego te tot vicibus vocaui, ego pręcatus sum, conuertere ad me, & tu scapulas non faciem ad me uertisti: sed si quis est, qui contritio corde, suffusus uerecundia ad illum ueniat & dicat, Pater peccaui in Cœlum

& co-

& coram te; ille statim præcipit. Ite, proferte stolam primam & induite illum, date calceamenta in pedes, & annullum in digitum eius, occidite uitulum etiam saginatum illum: vocate concentum canentium qui iubilantes exclament. Filius qui perierat inuentus est, qui mortuus erat reuixit, ad primam hæreditatē, & priores diuitias ad primū decorem gratiæ, & priorē Angelicam vitam de faucibus miseriæ rediit; ego illum inter

Isai. brachia mea recepi. Quid enim volunt sibi uerba illa. Audite me domus Iacob, qui portamini a meo vtero, qui gestamini a mea vulua, vsque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo, ego feci & ego feram. Quomodo si cui mater blandiatur, ego consolabor uos. Voluit dicere; ego sicut mater filios etiam delinquentes, sed postea recurrentes recipiam, blandiar verbis suauibus. Dulcis fili mi, quare fugis a me? cur me odio habes? nonne deserta solitudo, in qua nihil boni inuenitur factus sum tibi? nunquid non Paradisum omnium deliciarū, & omnium desiderabilium factus sum tibi? Cur ergo me deseris? quare me declinas? Ego blandiar verbis dulcibus: ego recipiam in sinum meum, & portabo te vsque ad senectam & usque ad canos. Quid uero peccatores impœnitentes & in morte animæ, mortem corporis gustantes & bibentes; an quoque & isti misericordiæ expertes sunt? Minime. Dum enim punit citra condignum seu citra meritum; meruerūt.n. in nihilum redigi, & cū anima & corpore annihilari, tñ iudex viuorum & mortuorum Christus nihil horum facit, sed recordatus misericordię suæ, seruat animam & corpus in esse & non tantas pœnas infligit, quantas commerentur. Oleum effusum nomen tuum. Misericordia super exaltat iudicium.

Isai. 59. *Oleum luminis est condimentum.* Postquam sol gratiæ occubuit in anima Adæ, facta est tanta caligo tenebrosa in uniuersa terra: vt velut quondam in Aegypto inanibus tenebras errorum suorum, vel sensu contingerent. vt de se miseri quidam testabantur. Expectauimus lucem & ecce tenebrę, splendorem & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginoso quasi mortui. Cuiusmodi uero fuerint illæ tenebræ explicarunt ipsi. *Conuersum est*, inquit, *retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit, corruit in platea veritas, & æquitas* — Tenebræ ignorantię in mūdo post peccatū.

æquitas non potuit ingredi. *Conuersum est, aiebat, retrorsum iudicium*, Iudicium rationis dictat, vt ille cui seruitutem exhibemus 1. sit nobilior & pfectior; deinde ut 2. sit illi grata seruitus; possit 3. demum postremo vt præmium dare virtuti 4. sit in eo quid dam Diuinum eminens. Conuersum erat retrorsum iudicium, dum omnis caro, ut ait scriptura, corruperat viam suam dum omnes Spiritus seruire carni, non carnem spiritui tanquam nobiliori atque perfectiori cogebant: dum fœminæ, vt Paulus ait, immutauerant naturalem vsum in eum qui est contra naturam, & masculi exarseruerunt in desiderijs suis: Ita vt videns Dominus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: pœnituit quod hominem fecisset in terra. Conuersum erat retrorsum iudicium; dum seruitutem Latriæ illis in quibus nihil Diuinum erat, vt cœpis, scorpionibus, Draconibus, serpentibus, lapidibus insensatis, ligno combustibilis, hominibus impuris, Saturno crudeli & uoraci, Veneri lasciuæ, Mercurio seditioso, Marti armis terribili homicidæ impendebant. Conuersum erat retrorsum iudicium; dum Diuinos honores, illis quibus ingrata seruitus erat, & illis qui non præmia sed pœnas pro talib. infligebant, ut Baali, Astarotho, Beli, Beelzebubo, & alijs infinitis dæmonibus exhibebant. Mutauerant gloriam Dei, in similitudinem vituli comedentis fœnum, Aegyptij scilicet, quos secuti sunt Israelitæ in deserto. Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis; & non tantum, sed & uolucrum, & quadrupedum, & serpentium, & obscuratum est insipiens cor eorum. Mutauerant Iudæi gloriam benedicti Dei in dæmonis honorem & cultum. Immolauerunt filios suos & filias suas Dœmonijs. O quanta caligo. quantæ tenebræ. Conuersum est retrorsum iudicium. *Iustitia stetit a longe, corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi*. Quia postquam non probauerunt, ait Paulus, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conuenit: repletos omni inquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incom

positos

[Margin notes: Conuersum retrorsum iudiciū. quid. — Rom. 1. — Gen. 6. — Iustitia corruit — Rom. 1.]

positos, sine affectione. absque fœdere, sine misericordia. Vide quantæ tenebræ, vide quantæ caligines, ita ut non immerito quidam ex ipsis, Sole in medio dici lucente ac splendente, lucerna accẽsa quasi in tenebris ita in medio Ciuitatis, vbi maxima multitudo hominum conuenerat, homines quærebat. Homines quæro: homines non iumentorum more uiuentes, homines qui lumine illo intellectus uitam, & mores componant; homines qui humanitati non crudelitati studeant, qui rationi non sensui obtemperent; qui virtuti non uitio dediti sint; qui morum honestate non turpitudine commaculentur; qui vitam humanam, clementes, modesti, ciuiles, iusti, prudentes, humiles, affabiles, casti, misericordes, non autem pleni omni nequitia, agant. Sed paucos, imo nullum talem inuenerat; omnes declinauerant vsque ad vnum; omnium conuersum erat retrorsum rationis iudicium, iustitia exulabat, veritas suppressa iacebat, æquitas non potuit ingredi, truncos habuit pedes, tenebræ erant super uniuersam faciem terræ. Signauerat quidem Deus, super nos lumen vultus sui, quod nostro intellectui monstraret quid cognoscendum; appetitui quid agendum, quid ue optandum, sit. Ast deficiebat oleum, quo istud lumen foueretur, Erãt quidem ementes, sed non erant uendentes, hoc oleum misericordiæ, & gratiæ Diuinæ. Lumen autem rationis superuenientibus tenebris ignorantiæ, inflantibus ventos pestiferos Dæmonib. deficiebat, vt vix una scintilla illius remaneret. Sed tandẽ oleum illud misericordiæ Diuinæ effusum est. Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè, iuste & piè viuamus in hoc sæculo. Oleũ hoc fouit lumẽ rationis nostræ. Fouit lumine superaddito fidei dũ doceret nisi credideritis, omnes simul peribitis. Accedentem ad Deum oportet credere. Fouit lumine uerbi sui. Lucerna. n. pedib. meis uerbum tuum. Verbo enim suo monstrauit quid agendum: quid fugiendum: quid appetendum; quid amandum; quò eundum: qua uia eundum. Verbo suo inflammauit frigida corda. Ignitum eloquium tuum uehementer, & seruus tuus dilexit illud. Verbo suo illustrauit oculos mentis nostræ; quomodo abneganda impietas: quomodo sæcularia desideria reijcienda; quomodo sobrie iuste & pie viuendum; quomodo insipientia, incredulitas,

Gratia est oleũ illuminationis.

Tit. 2.

Deus souet omnia, quo modo.

credulitas, error, impietas, & flagitia fuganda; quomodo seruitus desideriorum & voluptatum, in malitia Dæmonum, Psa. 18.
& peccatorum, in libertatem iustitiæ vindicanda; quomodo
expectandum beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.
Breuiter, Lex immaculata conuertens animas testimonium
Domini fidele, sapientiam præstans paruulis: præceptum Domini
lucidum illuminans oculos. Fouit lumine gratiæ suæ
lumen rationis. Caro enim & sanguis non reuelant secreta
ista, caro & sanguis accæcant, Pater autem cœlestis manifestat
gratia sua; omne autem quod manifestat lumen est. Fouit
& ipse seipso, Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem
hominem venientem in hunc mundum. Fouit & per Spiritum
sanctum. Ille, ait, uos docebit omnia & suggeret uobis omnia,
quæcunque dixero uobis. Fouit per Apostolos suos. Euntes
docete omnes gentes, quæcunque mandaui vobis. Fouit per
miracula quæ fuerunt testimonia certa veritatis illorum quæ
dicebantur. Oleum effusum nomen tuum; & vtinam etiam
nobis infusum. Effundit ille quidem afluenter, sed pauci sunt,
prohdolor, qui currant & infundant in vasa sua. Venditor
ille quidem est, & sine pretio. Omnes, inquit, qui non habetis
Lumen rationis quiextinctum habent. argentum properate emite, venite emite absque argento & absque
vlla commutatione. Sed pauci sunt, qui tanta liberalitate
utantur: multi sunt qui argentum suum appendunt non in Isai. 55.
oleo sed uanitate: multo plures sunt qui vasa sua, non quidem
illa vacua, sed plena nequitia, & sorditie gestant. Quanti
autem sunt quorum lampedes extinguuntur? quanti rursus
qui extinctum lumen rationis habentes, in tenebris ambulant
peccatorum? Lumen extinctum rationis habent lucro inhiantes,
nullam amici inimiciue intelligentes differentiam: nullam
æqui & iusti agnoscentes regulam; sed siue amico siue inimico,
siue iustè siue iniquè rapiunt & prædantur. Lumen rationis
extinctum habent inuidia tabidi: nullum bonorum communionis
discrimen attendentes; sed siue sint mea, dicunt nolo
vt sint alterius; siue sint alterius volo vt mea, non alterius sint.
Lumen extinctum rationis habent, superbia tumētes q omnes
pedibus suis calcare; neminem sibi præesse, omnes sibi sub esse,
omnib. præcipere & imperare, omnes mancipia habere,
cupientes. Lumen extinctum rationis habent, luxuria ardentes

tes; vt bruta animalia in cęno carnalium voluptatum sese volutantes. Lumen rationis extinctum habent, omnes illi qui virtutes, vitia; econtra vitia virtutes; dulce, amarum; bonū, malum; appellant. Qui humilitatem, hypocrisiam iudicant; qui patientiam, timiditatem; iustitiam, impatientiam; simplicitatem, fatuitatem; prudentiam, malitiam; seueritatem, phlegmam; iucunditatem, dissolutionem; religionem, singularitatem; societatem, sęcularitatem; silentium & pacem; dissimulationem; correptionem, præsumptionem; veritatem, superbiam æstimant, & diffiniunt. Nec mirum. Quemadmodum enim noctu amoto lumine, lignum, plumbum, ferrum, argentum, lapides prætiosos & alia omnia eodem modo & videmus & diiudicamus; ita qui sordide & vitiosè vitam viuit, neque modestiæ vim, neque sapientiæ discernit pulchritudinem; in tenebris enim prætiosi etiam lapides nullam speciem, nullum præseferunt fulgorem, non sua sed caligantium oculorum culpa. Neque hoc tamen nobis, dum sub impia vitiorum tyrannide seruimus, molestum est. Expergiscimini, per Deum oro, ab hoc somno mortis, & illuminabit vos Christus. Ite ad vendentes & ementes, & emite absque argento oleum hoc. Quia veniet tempus illud, quando media nocte, dum nihil sperabitis, dum nihil videre poteritis; clamabunt: Exite obuiam sponso; Quæretis emere, & nihil inuenietis, & tunc clausa erit ianua: tunc cū pulsabitis fores, respōdebunt nescio vos, nescio vos. Dilexistis magis tenebras quā lucé; ecce palpabitis vt cæci parietem. noluistis dum tempus erat, oleum vobis coemere, ecce modo sulphure & pice de stagno ardenti, implebitis lampades vestras; ardebunt sed non lucebunt infelices conscientię vestræ, in perpetuum; nullus erit qui extinguat, nunquam deficiet lecythus inferni. O quam dura & aspera illa vox fatuis erit virginibus, dum sponsus, clauso regni cœlorum ostio, nec signaculum baptismi, nec similitudinem suam animabus impræssam, se in eis agnoscere denunciabit dicens, nescio vos. nescio vos. Quid tum opponetis Christo? Characterem baptismi? Sed ille non eum agnoscet. dicet: nescio hanc thesseram: character baptismi est signaculum iustitiæ, & symbolum sanctitatis. vbi vestram sanctitatem? Quænam est iustitia quā præfertis? Cuius honestatis character est iste, cum nulla vobis hone-

Chrysost. hom. 9. Ioan. c. 1.

honestas inest? Demonstrabitis forte imaginem Dei vobis insculptam? Sed eam cum flagitijs obscurata & obducta fuerit, non cognoscet. Quid agetis? Quid in vestram salutem moliemini? Quo lumine tetras illas noctes illustrabitis? Cæca nox oĩa tũc occupabit, veniet tempus, dum nemo poterit operari. præterijt enim hora mortis, quæ vobis occasum solis gratiæ adferet; veniet hora dum neque oleum exultationis vobis comparare, nec lucernas concinnare poteritis. Cum ergo nũc salutis ꝓcurãdæ occasioné prolatã habeamus, propulsemus tã graué tãq; molestã vitã cuius angoré mors sequit̃ & mors immortalis atq; perpetua cuius suppliciorũ nullus ẽ. Clamemus ad Christum, sed in tpe. Domine, lampades nostræ, & lumina nostra extinguuntur: da nobis de oleo tuo. Corda vestra tãtum mundate, dabit certe credite mihi, & in affluentia; quia oleum effusum est nomen eius. *Oleum vulnera sanat*. Sed, vt Bernardus reliquit. quis preter Iesum iræ impetum cohibet? quis superbiæ tumoré sedat? liuoris uulnus sanat? luxuriæ fluxũ restringit? libidinis flammam extinguit? sitim auaritiæ temperat? ac totius indecoris pruriginem fugat? Christus iræ impetum cohibet, dum docet. Si quis irascitur fratri suo reus erit iudicio. Superbiæ tumoré sedat, dum a se superbos expellit & humilem demissionem suo monstrat exemplo. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Liuoris vulnus sanat præcipiens. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Luxuriæ fluxum restringit. Beati pauperes spiritu quia ipsorum est regnum cœlorum. Libidinis flammam extinguit. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, mæchatus est cum ea. Sitim auaritiæ tempetat. facilius est camelum intrare, per foramen acus, quam diuitem in regnum cælorum. Totius indecoris pruriginem fugat. Beati mundo corde; quia ipsi Deum videbunt. Iræ impetum cohibet, sua mansuetudine. Superbię tumoré sedat, sua humilitate. Liuoris vulnus sanat, sua charitate. Luxus restringit fluxum, sua moderatione. Libidinis flammam extinguit, sua virginitate. Sitim auaritiæ temperat, sua liberalitate. Totius indecoris pruriginem fugat, sua puritate. Quis enim vt idem Bernardus ratiocinatur, exemplo Christi non sanetur? Cui aliquando stetit ante faciem Saluatoris duritia ut assolet cordis, ignauiæ torpor, tã-

Christus peccata sanat.

Bern. super Cãt.

cor animi languor accidiæ. Cum enim nomino Iesum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum; sobrium, castum, misericordem, omni denique honestate ac sanctitate conspicuum; eundemque ipsum Deum omnipotentem qui suo me & exemplo sanet, & roboret auxilio. Sanat ad hunc vulnera animæ nostræ Christus, oleo gratiæ suæ. Conquerebatur anteà Deus, quod non inueniret locum sine vulnere in homine; vt de nouo plagam aliquam inferret. Super quo, inquit, percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis, vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas; vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Amplius potest non conquæri, venit enim misericors Samaritanus, qui omne vulnus, omnes languores, omnem liuorem & omnem plagam tumentem circumligauit, & curauit; infudit oleum & vinum. oleo gratiæ & tumorem superbię depræssit, & iræ impetum cohibuit; oleo gratię omnia vulnera animarum sanauit. Isai. 1.

Oleũ cibos condit. Christus autem omnem acerbum cibum animę suauem reddit. Christus mentem cogitationibus sanctis impinguat, Christus exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fouet affectiones. Oleum effusum nomen tuum. Christus est misericordia. Faxit Deus vt & nos illum in hoc misericordię opere imitemur; postquam nihil a nobis aliud exigit tantoperè, vt misericordiam. Misericordiam inquit volo, & non sacrificiũ. Non quęro a uobis oues & boues in holocaustum; si enim esuriero non dicam tibi, cũ meus sit orbis terrę & plenitudo eius meę sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues. Misericordiam a uobis quęro, non sacrificium. Et iustum est certe ut ipsius uestigia misericordię sequamur: cum omnis eius actio est nostra instructio. Christus omnia omnibus factus est, & nos per misericordiam omnia omnibus debemus fieri, ut monet Apostolus. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; compati patientibus, omnium miserias ut nostras reputare & pro facultate adiuuare. Christus delinquentib. dimisit peccata misericorditer: Dimittite &

Misericordiam a nobis exigit Deus.

uos,& dimittemini: misericordia .n. nō tantum in eleemosinis largiendis, sed etiā in malis tolerandis,& remittendis consistit. Christus bona sua ex misericordia omnibus largitus est? & nos nostra pro posse debemus distribuere. Quomodo potueris, monebat Thobias Senior filium, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude. Q. d. Habebis intellectum, cures omnino ne pro paupere taceas; habebis rerum affluentiam, vigiles ne a misericordiæ largitate torpescas: habebis artem, magnopere studeas, vt vtilitatem & vsum cum proximo diuidas: habebis loquendi locum apud diuitem; pro pauperib. intercedas. Præmium.n. bonū tibi thesaurizas in die necessitatis. Sed quale præmiū? eleemosina ab omni peccato & a morte liberat,& nō patietur animā ire in tenebras? Eleemosyna, (aiebat aureū os.) amica Dei consistit, & semper ei propinqua est, pro quibuscunque uoluerit facile munus gratiæ impetrat, uincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem, huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, & veluti Regina intrante nullus ianitorum, nullus custodum qui assistunt audet dicere. Quæ tu es uel vnde? Sed oēs eam e regione suscipiunt. Melius seruatur pecunia quæ in dextra pauperis collocatur, hanc calumniator non extorquet, inuidus non criminatur, latro non aufert, fur nocturnus non diripit, seruus fugam meditans non inuadit; sed semper est tuta, semper integra, semper salua. Manus enim pauperis est gazophilacium Christi, & quicquid pauper accepit, Christus acceptat, de cuius manu nullus est qui aliquid rapiat. Quod enim fecistis alicui ex his minimis, mihi fecistis. Dedistis pauperi calicem aquæ frigidæ, Christo dedistis, ut ipse recenset coram Patre suo in extremo iudicio. Esuriui & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & uenistis ad me. Venite ergo benedicti Patris mei, possidete regnum paratum uobis a constitutione mundi. Sic gustat Deo pauperis cibus, dixit Petrus Rauennas, quod in regno cœli coram Angelis omnibus, & conuentu resurgentium quia Abel passus est; quia mundum

Eleemosyna omnibus tribuenda.

Tob. 4.

Eleemosyna intrat ante Deū.

Manus pauperis sunt gazophilaciū Christi.

Mat. 24.

dum reseruauit Noe; quia Abraam fidem incepit: quia Moyses legem tulit, quia Petrus crucem resupinus ascendit, ante Deum tacet; & clamat solum, quod comedit pauper. Hoc ergo oleum misericordiæ non deficiat ex capite vestro, non deest uobis Christus, quo oleo ipsum vngatis, pauperes sunt membra illius; his opem conferte, date, & dabitur vobis. Date pauperibus terram, vt accipiatis regnum. Date pauperibus potum, vt inebriemini ab vbertate domus Dei. quod nobis omnibus Christe misericordia, interuentu Matris tuæ quæ te genuit misericordiam, concedere digneris. Amen.

MATER MISERICORDIAE

Meliora sunt ubera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Cant. 1.

CONCIO DECIMA.

In qua misericordiæ, Beata Virginis Mariæ explicatur magnitudo.

Sinagoga non habuit ubera.

DISCRIMEN & illud non postremum est, inter nouercam Christi & Matrem ipsius; quod illa vt Salomon recensuit ubera non habet, Soror inquit nostra paruula est, & vbera non habet: hæc aut distenta vbera gestat, *Meliora sunt* ait, *vbera tua uino, fragrantia vnguentis optimis.* Sed quid? An forte monstrum naturæ progenita est nouerca hæc, quia vbera non habet? Nunquid fœmina absque vberibus esse potest? Nunquid natura defuit illi in necessarijs? An vero vna vice improperauit Dominus Synagogæ? sicut vacca lasciuiens declinauit Israel. & habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, & ingressa es & peruenisti ad mūdum muliebrem, vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit. Quid vero, Meliora sunt vbera tua vino? Quæ laus est meliora habere vbera vino? Qualis comparatio meliora, & fragrantiora vnguentis optimis? An vero lactis defluentis odore, quem nullum habet, odor vnguentorum optimorum deprimitur? Aut quid magnum est dicere, pulchriora & meliora sunt vbera tuo vino? tanto quanto luxuriam esse in uino dicebat Paulus? Quin hoc cedere videtur in dedecus Matris Mariæ. Maria. n. luxuriãtis vini, nihil vnquam gustauit, fuit. n. sobrietatis Idea. Maria ét, si Cant. 1.

aliud

aliud significatum vini spectes, quod est carnis voluptas; sine voluptatis carnalis ebrietate præeunte, vbera quibus filium lactabat, habuit; Quid est ergo. *Meliora sunt ubera tua uino, fragantia vnguentis optimis*, & Soror nostra paruula est & ubera non habet? Nouerca Christi Synagoga, vbera non habet, non quidem carnis sed animæ, non habet dico viscera misericordia. Primo enim lex verus quæ dirigebat affectiones eius nō misericordiæ, sed iustitiæ fuit. Si quis per industriam occiderit (ita præcipiebat Deus) proximum suum, ab altari meo euelles eum vt moriatur. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Et licet quædam præcepta adiecta fuerant de misericordia: qualia sunt, Aduenam non contristabis neque affliges eum, Viduæ & pupillo non nocebitis. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes: malitia tamen eius intantum inualuit & auaritiæ fames in ea tantum exarsit, vt nullam speciem misericordiæ habuerit. Non est difficile hoc in Sacra scriptura videre; ac primum de sacerdotibus. Filij Heli Sacerdotis quid faciebant? Crudi, immisericordes crudas carnes vi eripiebant, Porro filij Heli, filij Belial, ita nominat illos liber Regum, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum; accipiebant omne illud quod leuabant fuscinula. Nunc, inquit, dabis; alioquin tollam vi; & erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino. Filij Samuelis quid operabantur? Filij illius non ambulauerunt, inquit, in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium: sic ut afflicti Israelitæ clamarent ad Samuelem præ angustia Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis; constitue nobis Regem vt iudicet nos. Quid autem vniuersus cętus Sacerdotum? expræssit ipse Deus apud Malachiam. Et accedam, inquit, ad filios Leui in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris, & periuris; & qui calumniantur mercedem mercenarij; & humiliant viduas & pupillos; & opprimunt peregrinum; nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Qua

Marginalia: Exod. 21. — Synagoga non habuit viscera misericordiæ. — 1. Reg. 2. — 1. Reg. 8. — Malach. 3.

les autem eos Saluator noster suo tempore inuenerit, Euangelium Mathęi testatur, macellum ex tẽplo, colũbaria ex Sãctuario, ex mensa propositionis, mensam numulariorum, ex arca testamenti, arcam collectarum vsurarum, speluncam, latronũ prædantium, domos viduarum comedentes, fecerant. Ad tantã crudelitatẽ & ariditatẽ pectoris venerãt, q; ẽt viles herbas, mẽtam, anethum & cyminũ decimarent; quod & culicem excolabant, & camelos glutiebant: genimina viperarum qui nec matri, nec Patri, nec fratri, nec sorori, amico & inimico miserti sũt. Sed ais. Forte populus misericos erat? Minime. Non est veritas, ita clamabat Deus, ipse. Non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictũ & mẽdaciũ, & homicidũ, & furtum & adulteriũ non stillauerunt sed inundauerũt, & sanguis sanguinẽ tetigit. Soror nostra paruula, imperfecta, nondum venit ad mensurã ętatis plenitudinis Christi, cruda, arida, vbera non habet. Hanc cruditatẽ & ariditatem eius plorabat in suis Threnis Hieremias dicẽs. Sed & lamiæ nudauerũt mãmam, lactauerunt catulos suos; Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto: crudelior ipsis crudelibus lamijs, quæ similes sibi fœtus vberibus suis pascunt; filia autẽ populi mei proiecit filios suos abiecit fratres suos, vt vipera morsu suo oẽs occidit & vulnerauit; vt struthio fœtum suum collisit ad terram, nullius misserta est. Ad hæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti, paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis. Qui nutriebantur in croceis, fecit eos manducare stercora; Qui amiciebantur auro primo, fecit eos in vasa testea opus manuum figuli. Principes forsitan erant misericordes? Sed audite quid de illis Deus vociferetur. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligũt munera, sequuntur retributiones, pupillo nõ iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Depasti sunt vineam meam, & rapina pauperum in domo eorum. Populum meum spoliauerunt, & attriuerunt, & facies pauperum commoliuerunt. Sicut populus sic & sacerdos, sic & Reges & Principes, Soror nostra paruula, Nouerca Christi vbera non habet; Maria vero *meliora habet vbera vino, fragrantia vnguentis optimis*. Melior est misericordia Mariæ super vitas: possumus hæc verba Dauidis vsurpare prędicando misericordiam Virginis Mariæ. Melior est misericordia Mariæ nobis sup vitas. Nos qdẽ seruuli, dice-

Templũ Salomonis quomodo auaritia mutarat. | Oseæ. 4. | Thren. 4. | Isai. 1. & 2. | Mariæ viscera misericordię | Ser. 4. de assump.

dicebat Bernardus, tui, tibi congaudemus in virtutibus cæteris sed in hac potius nobisipsis. Laudamus Virginitatē, miramur humilitatem, sed misericordia, miseris sapit dulcius. Hanc amplectimur charius, huius recordamur sæpius, hanc & crebrius inuocamus. Hæc est .n. quæ totius mundi reparationem obtinuit, & salutē omniū impetrauit. Meliora sunt vbera tua nobis vino luxuriāte, alijs.s. virtutib. excelsis: humilitas n. Mariæ potest esse adeo profunda, vt ad illam nemo se demittere possit; Virginitas adeo excelsa, vt illius culmē nullus aspicere queat; Charitas adeo ignita, vt nullius calore exæquari valeat; cumulus aliarum virtutum adeo magnus, vt nullus tot & tanta congregare possit; Meliora sunt nobis viscera Mariæ, distenta lacte misericordiæ; quia semper dum hic viuimus paruuli sumus, lacte non cibo indigemus, lacte non vino potari debemus; Pro statu isto mortali, nolumus durante illo introduci in illam cellam vinariam, & inebriari de genimine vitis Regni Dei & torrente uoluptatis æternæ potari, ne forte inebriati ut Petrus dicamus, Bonum est nos hic esse, & nescientes quid diceremus, vellemus hic in colle miseriç fabricare tabernacula. Lactis misericordiæ, guttas optamus. Meliora sunt ubera tua uino sed nobis. *Fragrantia vnguentis optimis Deo.* Quæ sunt vnguenta tua soror mea sponsa (interrogat Christus Virginem apud Rupertum) dicit Eleemosynæ tuæ, quas expendisti in me. Audiunt, inquit, & audituri sunt amici de quadā muliere effundēte oleum super caput & super pedes dilecti tui recumbentis; & dicunt quia domus impleta est ex odore vnguenti; & intelligunt in illa muliere Ecclesiam nostram, quæ quoties eleemosynam impendit pauperibus nostris, toties vnguenta sua pedibus meis superfundit & aromata distribuit. Hæc.n. sunt aromata uera, unguenta prætiosa; esurienti cuilibet ex amicis meis cibum dare; sitienti potum præbere: hospitem siue peregrinantem colligere. nudum uestire: infirmum uisitare: & si in carcere est, ad eum uenire. Super hæc omnia aromata est odor unguentorum tuorum, s. suauitas eleemosynarū tuarum, o dulcis amica mea, qa non ut cæteri in membris meis sed in memetipso tu mihi munificentissima extitisti. Meliora sunt ubera tua uino, sed nobis, flagrantia unguentis optimis, sed Deo. At ne uerbis tantum misericordiā Mariæ astruere uideamur: uideamus quare & quo-

lib. 3. in Cantica. circa finem.

Vnguēta Mariç, q

modo Sanctissima Virgo, fuit mater misericordiæ. Fuit autem misericors, uel quia filia Dauid & Abrahæ, uel quia fæmina, uel quia summa charitate flagrabat, Quomodo autem? Quia omnia officia & actus misericordiæ perficiebat.

Maria misericors quia filia misericordiũ.

Fuit misericors quia filia Dauidis & Abrahæ misericordiũ. Verũ quidem est, vt in plurib. euenit, quod filij nõ est necesse, vt per generationẽ successores sint Paternarum virtutum. Non enim omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ; neque qui filij carnis, hi filij Dei, neq. qui geniti ex Abraam, hi filij sunt Abrahæ: cum Christus filios Abrahæ Iudæos, non filios Abrahæ sed filios Dæmonis appellarit: Et hoc est maxime deplorandũ in nostra natura; quia omne aliud genus simile sibi procreat, & vna species propagata primę originis formam nõ immutat; non ouis vitulum, non vacca agnum, non ceruа leporem, non leo vulpem, sed in sibi simile propaginem suam extendit; solus homo dissimiles sibi sæpe efformat fœtus. Abraam misericors, Ismaelem ferum & crudelem. Noe castus, Chamum impudentem. Isaac mitis, Esau ferocem & liuore plenum. Iacob sanctus, Ruben & alios nonnullos scelestos. Dauid eximius Dei cultor, Salomonem idololatram. Salomon sapiens, Roboam stultissimum. Ezechias probus; improbum Manassen. Raro filij, possessores paternarum diuitiarum, possessores quoque paternarum virtutum efficiuntur. At hoc longe fuit a Virgine Sanctiss. hæc. n. progenita a Dauid & Abraã, qui exercitiũ maximum in operibus misericordiæ habuerunt. Abraam. n. hospitalitatis non immemor, Angelorum ad se declinantium, & non tantum horum, sed & omnium aliorum peregrinantium necessitati subueniebat, domus suæ fores patulas illis exhibebat, illos intrare cõpellebat, pedes eis lauabat, & ẽt illa quæ charissima, & meliora ad vescẽdum illis apponebat; ita vt Paulus dũ ad charitatem & misericordiam Hebræos hortaretur, non aliud exemplum proposuit illis hospitalitatis, nisi Patriarchã. Hospitalitatem inquit nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Dauid autem quantum misericors fuerit, declarant manifeste acta illa, quando & Nabali, & Sauli & semini eius tot vicibus iniurias remisit, nec vnquam se vindicauit; ita vt quidã in scripturis rememorasse ausus Misericordias Dauid fideles sit. Hęc inquam Virgo misericordię

Filij vt successores sint paternarum uirtutum necesse est.

Hebr. 13.

ricordiæ, de gremio misericordium virorum egressa; illorum exempla sibi ob oculos proponebat: illos vt exemplaria, hac in virtute habebat. Dicebat & confabulabatur forte secum. Laudabilis vena suam seruat originem, & fideliter posteris tradit quæ in se gloriosa transmissione promeruit, ego autem ero vituperosa vena? non seruabo mei fontis originem? Non ebibam totum illud poculum suaue, quod in me Patres mei effuderunt? Christus meus filius docet. Si filij Abrahę estis, opera Abrahæ facite; ego sum filia Dauidis & Abrahæ; non igitur opera Dauidis & Abrahæ faciam? Non viscera Dauidis & Abrahæ habebo? nō libenter videbo egenum? nō illum tecto domus meę excipiam? Non lauabo illius pedes? Nō ponam ante illū fercula & saturabo? non vt Dauid inimicis meis veniam condonabo? Sit non Angelus tātum, sed & quiuis abiectissimus pauper, viscera mea omnibus aperire volo, omnium miserebor, omnibus seruiam, omnibus necessitate constrictis subueniam; Sit vel Saul vel Herodes, qui quærat fundere sanguinem meum innoxium; ego me vindicare sicut nō possum ita & nolo; omniū iniuria cōdono. Volo esse filia, volo sugere nōn tantum lac, sed & virtutem, sed & viscera ipsa misericordiæ a Patre meo Dauide & Abraam. Quando quidem turpius est genitum ex misericorde, esse crudelem, quam ex crudele immisericordem. Quando quidem aranearum & serpentum est, ex flore dulci & uitali sugere amarum toxicum. Ego nolo imitari naturam serpentum mortiferorum: volo esse ad instar apis, & ex malis bona recolligens; ex amaris dulcia; ex illis quæ mortifera sunt alijs, uitā & mellea uiscera uolo habere. Meliora sunt &c. Fuit misericors deinde, qa fęmina. Fęminino sexui, q̄ sit ꝓpria misericordia, declarauit Salomō, dū recensens uirtutes mulieris, inter alia subiunxit; Manū suā aperuit inopi, & palmas suas extēdit alia pauperem: lex clementiæ in lingua eius. Et non sine mysterio apposuit, lex clementiæ in lingua eius. Clementiæ.n. uiscera, & misericordia, ita sunt annexa fæminis; ut vel nullatenus uel summa difficultate auferri possint; sicut neq. a sole ꝙ non luceat, nec ab igne ut nō adurat, auferri posunt. Misericordia exigit miserum cor super miseria alterius. Misericordia a misero corde uocata est. dixit Gregorius; eo ꝙ unusquisq. dum intuetur quempiam miserum, & ei compatiens, de dolore animus

Confabulatio Virginis de misericordia.

Fœminæ quare misericordes.

Prou. 31.

mus tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet cui intendit. Dum enim uideo ante fores Ecclesiæ miserum ulceribus plenum, tabie sordidum, vulneribus lacerum mendicum iacere, cōmoueor & compatior super miseria eius; & inde generatur in me cor miserum, quia non lętitia exhilaratum, esset enim hoc crudelitatis exultare super malo illius, qui in naturæ & gratiæ bonis mecum cōmunicat. Inde quia nō possum mala ipsius in me recipere, & possum vel medicina, vel ueste, uel pecunia, uel seruitute, uel oratione iuuare; vt adiutem & opem feram manum admoueo.

Quis autem habet vel habere potest magis miserum cor q̄ fœminæ? Fœminæ magis compatiuntur propter maiorem mollitiem animi: Non. n. ita sunt duri cordis sicut sunt viri: nō sunt ita crudorum affectuum, vt masculi. Fœminæ magis habent miserum cor super aliena miseria; quia maioribus defectibus subiacent quam viri. Nihil autem, vt Augustinus docebat, ad misericordiā magis inclinat, atq; propriæ miseriæ cogitatio. Itaque qui maioribus miserijs subiacet, maiorem compassionem habet super alijs. Dixeram ita esse annexā cōpassionē fœminis, ac si lumen soli, & calorē igni, q̄ ab illis neutiq̄ auferri possūt: non. n. Sol tenebras emittit, neq. ignis refrigerat: ita & misericordia a fœminis. Accedāt præmia, admoueātur terrores, cōminētur mille mortes, sit summū discrimen vitæ, sit ēt summū honoris fastigium, facilius animā q̄ viscerta misericordiæ tolles a fœmina. Maxima promissa habebant, obstetrices a Pharaone Egyptio; duras postmodū increpationes. Quidnā est hoc φ facere voluistis, vt pueros seruaretis? vt. s. obstetricātes Hebræas, masculos interficerēt; neq. promissa, neq. minę, misericordiā illis eripere quiuerūt, non fecerūt iuxta præceptū Regis Aegypti sed cōseruabāt mares. Mortis periculū qua nihil est terribilius nihili fecit Iudith misericors, semicaptiuos Bethuliæ conciues vt eriperet & liberaret, in mediū hostiū, & ad tabernaculū Principis militiarum processit, caput illius in manibus inimicorum amputauit, summū vitæ discrimen pro nullo, ex misericordiæ visceribus æstimauit. Ad summum Regalis solij fastigium eleuata, fuit Hesther misericordiam tamen non reliquit, in primo statu. Quoties enim supplicauit Regi, pro afflicta gente sua? Quoties visis, ardentibus furore Regijs occulis, corruit

Misericordia a fœminis nō potest amoueri.

&

& in pallorem colore roseo mutato, & gratis ac nitentibus oculis, lachrymis perfusa, lassum super ancillulam in supplicando declinauit caput? Quoties populum suum liberauit? Quot Amanorum furorem compescuit? Silentio obuoluo misericordiam Paulæ, Chunegundis Imperatricis, Heduigis Reginæ, Elizabeth Ducissę, & alterius Elizabet Reginę, & aliarum Sanctissimarum fęminarum, quæ manibus suis pedes pauperum lauerunt, vlcera oscularunt, vulnera medicarunt, in lectis volutarunt, solæ ministrarunt, possessiones amplas in Xenodochia donarūt, vitam cum paupere Christo, pauperi Christo, in pauperibus splendente, dicam latente, seruientes duxerunt. Harum exempla latius explicarem, nisi & notissimas res in lucem, & notissimæ rei quod fœminæ misericordes sint, lucem adferrem. Quod si aliquæ fęminæ sint adeo crudeles, vt crudelitate sua & tygres, & leones & scorpiones vincant; ita vt melius sit cohabitare draconi, quam mulieri pessimæ; hoc nō est vitium mulierum, sed mulierum pessimarum; tales non sunt fœminæ, sed effeminatæ; non sunt fœminæ sed sunt malæ fęminæ. Commorari leoni & draconi placebit q̄ habitare, cum muliere nequam. Nō dixit Sapiens, cū muliere; sed cū nequā. Nequā.n. non mulier, est crudelis; neq̄ est immisericors. Nequā nō mulier, est sæuior leone & dracone. Mulier autem aperuit manum suam inopi, & palmam suam extendit ad pauperem. In mulieris corde & lingua, lex clementiæ. Quod si fœminis propria est misericordia, Sanctissima autem Virgo fuit fęmina, non autem fęmina nequam, sed gratia plena; non illa quæ degenerauit a fęminis, sed quæ virtutibus excessit illas; non illa cuius caput nequius, quā caput colubri, sed quæ caput colubri cōtriuit; non illa quæ esset maledicta in Israel. Benedicta.n. fuit inter mulieres oēs: Illa quæ oīum fęminarum prima non quidem generatione sed dignitate fuit; Illa quæ nō tantum Saram, Iuditham, Hesterā, sed & oēs alias, sed & viros anteiuit? Misericordiam igitur non habuit? Misericordiæ mater non fuit? viscera misericordiæ abscisa habuit? Meliora sunt &c. Veniamus ad propria, ista enim licet non infirma, tamen extranea sunt.

Mulieres aliquæ cur crudeles.

Eccl. 25.

Beatissima V. Maria fuit Mater misericordiæ, quia maxima charitate flagrabat; q̄a & fuit Mater charitatis. Scita est il-

charitas operosa. la Seraphini in terris ardentis doctrina Ioannis scilicet Euangelistæ. Is enim demonstrans in quo actus charitatis proximorum consistat; in hæc verba docuit. *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua; sed opere & veritate. Qui enim habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Voluit dicere Ioannes, quod opera ita sunt coniuncta charitati, vt neque charitas sine operibus aut nominari, aut haberi, aut inueniri possit. Amorē talē voluit suos discipulos Christus, sicut & ille habet, sicut & Pater habet. Sicut ille quidem, dum ait. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Sicut Pater vero, dum pręcipit, Diligite inimicos vestros & benefacite illis. vt sitis filij Patris vestris, q in Cęlis est. Christus autem non verbo sed opere dilexit nos, Opere .n. & veritate pro nostra descendit salute, homo factus est. tot & tāta pro nobis perpessus, vinctus loris, verberatus flagellis, palmis ora temeratus, consputus a seruis, ad mortē vsq; deductus & ad mortem omni genere mortis turpiorem. Deus non verbo sed opere dilexit nos, solem .n. suum oriri facit super bonos & malos, virtute cœlorum in nos influit, stellis illuminat, aere vitam tribuit, igne calefacit, ex terrarum mole producit frumenta. Omnia subiecit sub pedibus humanis, oues & boues vniuersas, in super & pecora campi, volucres Cœli & pisces maris, Omnia quęcunque fecit propter hominē creauit. Opere igitur misericordię, non verbo tantum, vt ēt nos diligamus expostulat. Si aliquis viderit fratrem suum fame morientē, & non cibauerit illum. quomodo charitas Christi erit in eo, qui non rogatus, satiauit tot millia turbarum paucis panibus? qui testabatur, misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent? Qūo charitas Dei manet in eo, qui sexcenta millia Iudęorum in deserta solitudine, pane Angelorum suaui cibauit? qui hucusque Panem nostrum quotidianum, omnibus sine meritis tribuit? Quomodo charitas Christi erit in eo, qui famelicas animas nostras, non aliqua bouina aut ouina sed carne propria, Pane illo viuo corporis sui, eousque satiat? Si aliquis videat fratrem suum sitire, & non dederit ei vel calicem aquę frigidę, quomodo charitatem Christi habebit, qui vocat omnes. Si quis sitit

1. Ioā. 3.

Diligendum opere.

Dilectio Christi.

Li veniat

veniat ad me & ex hac aqua bibat, & nunquã sitiet, in æternũ, & de ventre eius fluent flumina aquę salientis in vitam æternã, qui sanguine suo pretioso sitibundas animas nostras potauit? Quomodo charitas Dei erit in eo, qui populo conuertit petras in stagna aquarũ, qui omnibus, aquarum dulcedinem, & vini suauitatem propinat? Si aliquis viderit fratrem suum denudatum, frigoribus & ęstui expositum, & non veste operiat eum: quomodo charitas Christi est in eo, qui nudum, & vulneratũ, pauperem illum Hiericontinũ, veste sua induit, vulnera sanauit, ligauit, in hospitium deduxit & curã illius habuit? Quomodo charitas Dei est in illo, qui nostros Parentes post peccatum nudos, pelliceis operuit? qui nobis vestimenta immortalitatis præparat? Si aliquis viderit fratrem suum male habere, infirmitatem pati, & non adiuuerit sed cum Leuita, nõ Samaritano illum transiuerit: quomodo charitas Christi erit in eo, qui leprosos mundabat, Paraliticos & claudos erigebat, febricitantes curabat? Quomodo charitas Dei erit in eo, qui sanat omnes infirmitates nostras? qui redimit vitam nostram de interitu? Si aliquis viderit fratrem suum in carceribus, & in vinculis coniectum, & non liberauerit, vel visitarit: quomodo charitas Dei erit in eo qui soluit compeditos? Quomodo charitas Christi erit in eo, qui vsque ad inferna descendit, & inde regressus captiuam reduxit captiuitatem? Probatio dilectionis, exhibitio operis est. operãtur magna si ẽ, si aũt operari renuit, amor non est. Amor est ignis quidam Diuinus, lampades eius lampades ignis atque flammarum: vt ignis sine flamma, & sine calore, quin vel flamescat, vel calefaciat esse non potest: sic & ignis charitatis impossibile est vt non calefaciat alios benefaciendo, vel nõ flammescat alijs miserendo. Vtinã vel ẽt nos ea dilectione flagremus erga proximos. Sed nihil horũ videmus, nullas flammas huius amoris conspicimus vel sentimus. Oẽs quidem dum interrogati fuerimus; diligisne proximum? diligis ne Deum? securè respondemus. Diligo. Sed cum ventũ est ad opera, clausa viscera tenemus, ad proximos; ad Deum vero mortuis frigidiores & insensibiliores sumus. Scimus iã ꝙ Christum pauperem in pauperib. fouemus: scimus quod dum pauper orat micam panis, Christus ipse orat: Da mihi ex eo qđ dedi tibi, de meo quęrũ: da & redde, habuisti me largitorẽ, fac me debito-

Christus in paupe ribus fo uetur.

debitorem, habeam te fęneratorem; temporalia mihi das, ęter na tibi restituam, teipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. Scimus omnia nos possidere a Christo & gratis, de nostro nihil dare, sed de Christi, vel de pauperum bono. Panis enim, vt Basilius reliquit, est famelici quem tu tenes: nudi tunica quam in conclaui cōseruas; discalceati calceus qui penes te marcescit; indigentis argentum quod possides: non alia ratione tu abundas ille mendicat, nisi vt tu bonæ compensationis merita cōsequaris, ille vero patientiæ brauijs decoretur. scimus Christum propter nos tot bona fecisse, pro nobis. n. Dominus pauper factus est vt nos ditaret. Et tamen tanto amori ingratissimi sumus. Vbi quis vilissimum scortum reperit, profundit opes; noctes insomnes ducit; dies totos in eius obsequium insumit; nos neque dies neque noctes impendimus vt Christo gratificemur. Opes autem? tum demum aut potius tunc solum inopes sumus, cum a nobis petitur vt demus Christo. Cum autem in lasciuiam & quoslibet humanos luxus, disperdendę pecuniæ sunt, tunc supetunt facultates, neque vnquam quicquid deest, tunc quilibet Diuitis epulonis diuitias habet; Lazari autem pauperes, mendici, squalidi, nudi, vlcerosi, etiam ante mensas nostras moriuntur. Facinus profecto omnibus probis prosequendum, & tamen dicimus, Diligo proximum. Facinus dixi omnibus probris prosequendum.

Ingratitudo nostra.

Quomodo enim non absurdum, quærit Chrysostomus, vt alij risu & delitijs soluti ad mensam saturentur; aliorum autem mendicantium eiulatus audiant, neque misericordia moueantur, & quod peius est, (quod etiam nostris temporibus euenit sæpe) ægreferant & deceptores appellent? Quid dicis homo? Propter vnum panem quis decipit? Quidem inquit? Propter hoc ergo tollenda est necessitas? Quod si dare nihil placet, noli tamen maledictis prosequi. Si non vis naufragio liberare, noli in profundum demergere. Sciatis, (vos alloquor omnes cum Chrysostomo,) velim, cum accedentem pauperem expellitis, qualiter Deum affectum vobis reddatis. Qua enim mēsura mensurabitis, mensurabitur vobis: illo die quo Christi Iesu tribunali astabimus; cum vt nostri misereatur rogabimus; cum pauperibus in medium aduocatis, Christus ad nos cōuersus dicet: quod propter panē vnū & obolū tātis miserijs

Facinus horrēdū despicere pauperē.

hom. 76. in Ioan. c. 15.

corum

eorum animos affecerimus. Quid tunc dicemus? quid excusabimus? Neque enim illi quicquam nobis amplius dicent; sed Deus pro illis nos repræhendet? Quamdiu non fecistis vni de pusillis meis, qui in me credunt, quique meam referunt personam, neque mihi præstitistis. Sic diuiti epuloni euenisse scimus, cum in tormentis positus, de longe Lazarum in sinu Abraam tranquilla fælicitate fruentem conspexit: nihil illi tunc locutus est pauper. non eum vel vno verbo, sed nec aspicere eum dignatus est Lazarus, sed Abraam eius causam suscipiens durè increpauit miserum. Recordare, ait quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: Ita & nobis continget, si pauperes contempserimus. Non amplius illi ad nos supplices tendent manus, non tunc vulnera hiulca vt misericordiã vel extorqueant demõstrabunt. nõ multiplicabũt preces, cũ gloria sempiterna fruentur; nos eorum speciem tunc induemus: & vtinã speciem tantum, & non longe grauius supplicium. Neq. enim diues micis illorũ impleri desiderabat, sed & ardebat, & cruciabatur misere. Iacebunt tunc infęlices (augurari animus horrescit) iacebunt tunc infęlices crudelium animæ, angoribus diuexatæ: tunc furiæ illæ infernales dirum efflabunt virus, in illos guttam aquæ expostulantes; tũc pice & sulphure, felle draconum & veneno insana bili inebriabunt sitibundos; tunc sanguinem eorum ne forsan eo sitim suam extinguant, horribiles dracones linguis suis exsugent: Tunc in crate ferrea distentos, flamis adurent & vel ferreis vncis, vel malleis grauissimis, adamantina illa pectora, & concutient, & diducent, sauciabũt, vulnera & vibices infligẽt quæ nunquam obduci, nunquam sanari poterunt. Quos dolores tunc sustinebitis? cum vobis in mentem veniet vos propter obolum & pp frustum panis quod quandoque parasiti, q̃que canes manducabant, in tantas pænas deiectos esse. Quæ supplicia vestrã excruciabunt mentem? cum recogitabitis vos quod Deo vestro buccellã panis denegastis, tantã in miseriã in vastissima abysso detrusos? Quę vobis tunc erit mens, dum ipse non Abraam quidem, nõ aliquis sanctorum, sed orbis vniuersi Imperator, vultu irato in furorem versus, fulmine horribiliora proferet verba. sic? audetis vos modo è meis fontibus vnam guttã viuidę aquæ exoptare? Concupiscitis è cœlesti latice vestrã ex

plere

plere sitim? Quæ vero impudentia vestra est, cœlestia precari, cum uos ne terrena meis pauperibus; mihi ipsi impertiri noluistis? Qua fronte uos in meos conspectus prodire audetis, qui me, me a uestris domibus pepulistis? Quō aliena expetitis, qui mea mihi, mihi qui ea uobis mutuato dedi, mihi dare renuitis? Recordamini quia recepistis bona in uita, & Lazarus similiter mala, reuoluite nūc, quod recepistis; mendici & inopes quoque uos fuistis, a me petijstis. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, dedi & recepistis, non exprobraui scelus, nō simulationē pretexui, nō indignitatem uestram uobis obieci: indigni fuistis meorum participio bonorum, dedi & recepistis bona in uita uestra: pro tempore uitæ uestræ non in sempiternum quum vobis ea concesseram ad vsus; quod si eorum sempiternos fructus degustare cupereretis, illa ego lege ea concessi, vt ea reportetis in æternos Thesauros per manus egenorum: uos existimastis ea uobis perpetuo tempore donata esse: censuistis, uitæ uestræ statū nullis unquam terminis circumcludi; de æterna uita nulla uobis unquam cogitatio uel in mentem uenit; Bona in uestra uita, uestra qua uobis non mihi uixistis, in uestra uita recepistis; & Lazarus non nisi calamitates, præter uulnera, præter dolores nihil; & adhuc mihi uocibus uestris perstrepetis? Da mihi guttam aquæ? Non micas sed panes integros olim dedi, meis filijs de faucibus eripui, de mea mensa propria distribui; a me non amplius guttas aquę sed cruciatus horrendos, sed sulphurem & picem expectate, exaruit fons misericordię pro uobis, quia riuulus misericordiæ exaruerat in uobis.

Exposi-tio uerborum Abraam.

Misericordia igitur (ut ad priora reuertamur) indiuiduus est comes charitatis, ut neque charitas sine misericordia censeatur esse charitas; & qui charitatem habet, habeat necesse est uiscera misericordiæ. Probatio siquidem dilectionis, exhibitio est operis.

Quis autem maiorem charitatem, post filij Dei immensum ardorem, obtinuit nisi sanctissima Virgo? In cuius uisceribus magis diffusum hoc balsamum fragrantissimum, nisi in uisceribus Mariæ? Quis maiori incendio conflagrabat nisi Deipara? Mariam totam, aiebat Hieronymus, incenderat Diuinus amor, ita ut in ea esset amor continus, & ebrietas perfusi amoris.

Charitas Mariæ.

tis. In Mariæ pectus descendit uir ille indutus lineis humanitatis qui ignitos carbones spargebat super uniuersam terram, & eam plus alijs inflamauit. Spiritus sanctus ille qui diffundit charitatem in nostris cordibus, superuenit in Mariam, & illam igne ardentissimo repleuit, & exussit; adeum modum ut ipsa flammis charitatis succensa, quandoque vociferata sit: Dura est vt infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atq; flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. Vt infernus perpetuis ignibus exardescit, quod nulla aquarum alluuione, etiam si flumina, si ipsum quoque vastissimum influat mare restingui possit; sic in meo corde per meum filium & per Spiritum sanctum excitatus ardor, feruentissimus est; irruant quæuis pericula, cruciatus quicunque, omnia mundi & inferni ipsius mala simul uno impetu irrumpant, perflent aquilonares venti, stygiæ aquæ demum, turbulentis motibus agitatæ, in meam mentem appellant; nunquam incendium charitatis meæ poterunt restinguere. Dura est ut infernus æmulatio. aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, lampades eius, lampades ignis, atq; flammarum. Vt autem ignis non collustrat solum, sed & calore suo incendit; sic & charitas Mariæ, non in mente ipsius tantum splendebat, non verbosa erat charitas Mariæ; ad extra quoq; vim suam exerebat: diffundebat illa radios, non solum collucentes, sed & inflammantes; vt in eā quoq; dicere possimus. Nō est qui se abscondat a calore ipsius, nemo est qui non expertus sit misericordiam Mariæ. Qui lapidum naturas ingenio penetrarunt, ferunt reperiri quendam lapidum Iridis nomine vocatum, si propter multas alias, & ob hanc quoq; causam a supremo rerum plaste insitam, quod sub dio positus, si radijs solaribus percussus fuerit, colores cælestis arcus in proximè obiectos parietes dispergit. Velim in memoriam reducatis, nomina illa præclara quibus S. Deiparam patres appellarunt, quod s. illa. Methodio martyri est margarita regni cęlestis pretiosa: Cyrillo margarita orbis terrarum; Chrysippo specimen gemmæ omne precium excedentis; Irenæo lapis abscisus sine manibus; Damasceno autem lapis inextinguibilis. Cupio deinde vt Mariam Sole iustitiæ amictā circumspiciatis apud Ioannem. Quod ergo SS. Deipara lapidis pretiosissimi

Similitudo Iridis

simi

simi instar, fuit perpetuo tempore obiecta, splendidissimo soli omnium bonorum largitori, tam rutilantes pulcherrimosq́; misericordię radios per totam Ecclesiam dispersit, ut Arcum Cælestem; dicam amplius, solem ipsum retulisse videatur. Quemadmodum nullus est qui misericordiam Solis iustitię, nō per uideat; ita nullus est nec fuit quandoq; qui misericordiam Mariæ, in se non cognosceret. Secum illa quotidie expendebat, ut opinari licet. Radij splendidissimi illius luminis quod solem suū oriri facit super bonos & malos, in me excepti, nō ad meos tātum vsus in me coniecti sunt; aliorū igitur comoditatib. a me quoq, prospiciendum est. vt. n. speculū purum & tersum solis radijs oppositum, solis splendorē nō propter se sed propter alia recipit, vt. s. exceptam speciem & radios in alia porrigat, & alia collustret; me quoq; ijs bonis ornauit, me fulgidissimo sole circumamicijt, in me ignem flammantem excitauit, donorum tantam copiam quantam nulli creaturæ, mihi concessit; me in eam dignitatem vt Mater & Regina sim euexit; pectus meum maternum vnguentis optimis repleuit: Num propter me? Forte propter mea solius commoda? An vt in sinu vbera mea cælestibus bonis distenta recludam? Nullum præter me illis ad moueam? Neutiquam certè. propter alios me amplissimis muneribus exornauit: propter alios vbera mea charismatibus repleuit: plurimi sunt paruuli, qui ad pectus Diuinum assurgere nequeunt, paucissimi sunt discipuli qui in pectore Saluatoris quiescere possunt. Quis vero ad mamillas Dei attinget? paruulos igitur meis aduoluam complexibus, omnibus ego misericordiæ sinum aperiam, omnes, modo velint meis vberibus admouebo; nullus erit, modo cupiat sugere, quem ego a meorum communione bonorum excludam. Sit vel Ioannes adoptiuus filius, sit non tantum meus dulcissimus, & vnigenitus Deus, sit Lazarus quoque vlceribus plenus, non ego illa crudelis nouerca quæ lamijs suum pectus suis paruulis aperientibus, illa suis occlusit, non ego illa dura & sine pietate, & sine misericordia quæ vbera non habet: meliora ego vbera habeo quam vinum, fragrantiora vnguentis optimis.

Ego ne pauperi guttam a meo manantem pectore prohiberem, in quam flumina gratiarum delapsa sunt? Ego radios a mea gratia prodeuntes auerterem, quæ solæ lucidissimo induta

duta fulgeo? potum ego vel cibum vel vestem pauperi denegarem, quæ a Deo opt. & indumentum salutis, & alimoniam vitalem, & aquam in æternam vitam prosilientem recepi? Nunquam, vel cogitare illud audebo: illud vero summo studio conabor, vt nomine Matris misericordiæ in ora omnium nationum abeam; & hos præclaros titulos vt mater pulchræ dilectionis, mater misericordiæ, Oliua fructifera in domo Dei, spes Christianorum, vnicum in terra solatium, studiosorum lumen, clausorum liberatrix saluberrima, orphanorum susceptio, adiutrix destitutorum, vexatorum portus, subsidium oppressorum, redemptio captiuorum, vnicum molestiarum leuamen, omnium cordis dolorum medicamentum, ægrotantium exaltatio, tutissimum singulareque perditorum refugium; illud inquam summo studio conabor, vt me omnes nationes & oēs omnium ætatum homines propter misericordiæ vbera, his titulis exornent. Meliora igitur sunt vbera Mariæ tius vino, fragrantia vnguentis optimis. Claram efficiunt hanc eius misericordiã, & hæc eius viscera; opera illa nunquam vel non memoranda quæ in pauperes perfecit. Quis pauperem illum, qui propter nos è diuitijs in paupertatem descendit: illum qui vt colonus erat in terra, & quasi viator declinans ad manendum; illum qui erat vir vagus, & vt fortis qui non potest saluare, illum qui ut auaritiam quæ est idolorum seruitus, ex hominum cordibus eriperet & Cœlestem Philosophiam doceret, non habuit vbi reclinaret caput suum: quis inquam hunc pauperem hospicio recepit? quis huic tecta domus suæ aperuit quis intrare compulit? quis oē hospitalitati officium exhibuit? Maria. In mariæ corpus declinauit ad nouem mensibus manendum: In mariæ domum & sinum descendit ad pernoctandum. Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Non inuideas Patris tuo Abraam o virgo; Abraam misericors Angelos recepit, tu Deum Angelorum. Abraam Deum quandoque excepit sed in tabernaculo suo; tu in corpore. Ille in corpore assumpto; sed conficto ex aere manibus Angelorum, tu in corpore proprio, ex te virtute Spiritus S. mirabiliter efformato. Ille pedes Diuinos lauit; tu & pedes & manus, & caput, tu totum Deum. Cum illo tribus quatuor ve horis permansit; tecum per totam noctem obscuratur, & plenam

Margin notes: Hier. 14. — Opera misericordiæ quę B. V. exercuit. — Antithesis Mariæ matris & nouercæ sinagogę — Pauperē excepit Maria.

nam periculis suæ peregrinationis. Maria peregrinos collegit. soror verò nostra, ubera non habet, quæ Christum ignominiose tot uicibus, & vltimo extra Ciuitatem in montem Caluariæ sub dio inter latrones pepulit. Maria esurienti cibum & sicienti potum præbuit. Quis Christum esurientem, & sitientem refecit? Quis illi tenue & dulce lac, labris infudit? Quis infantiæ cibos ministrauit? Quis primo dentibus commolitos, ori eius imposuit? Maria. Mariæ vbera biennio suxit, Maria suis manibus illi cibum & potum ministrauit, Maria suis visceribus Deum cibauit. Meliora sunt vbera tua vino. Lacte quidem cœteræ matres nutriunt, etiam suos in fantulos; sed tamen vbera illa, plena sunt vino luxuriæ; nulla alia mater præter Mariam sine ebrietate carnalis voluptatis; distenta gestauit vbera. Omnes pueruli omnium aliorum matrum, triste illud cantare coguntur. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Mariæ vbera quæ porrexit Filio suo, meliora sunt vino meliora sunt vberibus aliarum mulierum. Non enim vt cæteræ in peccato concepit; neq; de peccato intumuerũt eius viscera, sed de Spiritusãcto. Fragrãtia vnguẽtis optimis. Ministrarunt etiã Angeli, Christo in deserto esurienti: ministrauit & Martha in domo sua; ministrauit illi & Abraam. uerum nullus ut Maria. Illi ad tempus; hæc semper. Illi ferculis simplicibus: hæc proprijs sanguinibus. Mariæ vbera meliora sunt vino, fragantia vnguentis optimis. Soror autem nostra paruula est & vbera non habet. Clamauit Christus in Cruce iam iam moriturus; Sitio sitio. Nouerca ista non habuit ubera. O crudelitatem. Illi spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Vinea sua conuersa erat in amaritudinem. Non habuit vbera nisi plena toxico, & aceto: vua eorum vua fellis & botrus amarissimus. Maria esurienti cibum dedit, & sitienti pótum præbuit. Nudũ forte non vestiuit? Sed quis profusum paterno vterò, denudatum sæculis Deum, explicatum vestitu luminoso, carne sua induit? & demum genitum inter duros algores hyemis, fascijs cinxit? Quis tunicam inconsutilem illã, quæ diuidi sola non poterat, manibus suis elaborauit? Christi corpus vestiuit? Maria. Hæc gratia nec Abraamo, nec Angelis, nec Marthæ, nec Magdalenæ, nec cuique alteri, ut scilicet Christum nudum co

Maria satiauit esuriente.

Maria nudum vestiuit.

operirent sed, soli Mariæ concessa est. Vestiunt quidem alij Christum, sed in membris eius, dum scilicet vestiunt pauperes eius. Maria sola non in membris, sed in propria eius persona, Christo vestimenta adaptauit. Fragantia vnguentis optimis. & soror nostra ubera non habet. Indecorum erat Christum apparere nudatum tempore passionis: non erat enim ei species neque decor: putauimus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum. Sic ille quondam & modo speciosus forma præ filijs hominum, sputis illitus, plagis liuidus, percussionibus tumens, sanguine proprio defluente madidus, spurcicijs spurcissimæ gentis & fæcibus suæ vineæ deturpatus erat; tamen soror nostra, nouerca ista crudelis non habuit ubera. O immisericordiam: Cum venissent ad locum, ubi cruci figendus erat, exuerunt illum vestibus suis: & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem & tunicam. Neque illam inconsutilem habere potuit, sed & diuiserunt sibi vestiméta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Semen maledictum Cham, filij nequam absq; viscerib., homines sine humanitate, turpiter denudarunt Patrẽ suum ebriũm a vino sed felleo; ebriũ a vino amoris nostri: & illuserunt sic fædè, non iacenti sed pendenti. Vbera non habet quia paruula est bonitate; sed malitia gygantes altos excedit. Quis autem astitit morienti? Omnes fugerant a Christo, omnes scandalum passi sunt in eo. Petrus ille qui & in carcerem & in mortem voluit cum Christo ire nescio in quib. latebris delitescebat? Thomas ille qui hortabatur alios, eamus & nos atq; moriamur cũ illo, nòn tantum Magistrum sed & condiscipulos reliquit. Cœteri alij in cænaculo obfirmatis ostijs propter metum Iudæorum, forte ossium reliquias Agni quem cum Christo man ducarant, arrodebant. Sola Maria, vix cum Ioanne astabat ad Crucem; solius Mariæ viscera gladius doloris pertransiuit. Vbera habet meliora vino. Nouerca aũt nulla hẽt. Nullus irridet, conuitiatur, blasphemat illũ iam ultimũ spiritum exhalantẽ, nullus præter synagogã nouerca improperat. Vt qui destruis tẽplũ Dei. Videamus an ueniat Helias liberans eum. speraulit in Deo liberet eum, si vult. O immanitatẽ. Consolari debebant afflictũ, animare ad tolerantiam, & confortare; illi tñ vt canes latrant, insultant, dolorem exarcebant. Nouerca paruula vbera non habet. Mariæ

Allegoria Noe.

Maria astitit moriẽti.

riæ ubera meliora sunt vino fragrantia vnguentis optimis. O quantum tunc temporis fragrarunt Christo, hæc prætiosa vnguenta, dum cuspide doloris transfixum vasculum cordis Mariæ sub cruce fuit, & adeo suauem odorem naribus illius dedit? Dum Christus illa verba sæpius ruminabat. Amici mei & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt & steterunt & qui iuxta me erant delonge steterunt, & vim faciebant qui quærebant animā meā. Alijs quidem temporib. adiuuare Christum laudabile erat, sed agonizantem solari, hoc maximum; p͏ræsertim cum nullus alius erat consolator, sed omnes derisores. Quis vero Christum impiorum sputis conspurcatum, alapis cæsum, cruore fædatum, incælesti capite spinis perforatum, manib. ac pedibus clauis atrocissimè ligno crucis affixum, inter sceleratos ac latrones innocentissimum mortuum, de patibulo deposuit? sepulchralibus fascijs inuoluit? in tumulo recondidit? Maria & Ioseph. Maria deposuit de cruce filium suum de mortuū & lachrimis sacratissimū corpus eius abluit: Maria vnxit vnguēto p̄tioso, illa inuoluit in sindone mūda, illa fascijs funeralib. mortuum cinxit, illa in sepulchro thesaurum inestimabilem recondidit, illa ut antea nascenti, sic morienti ubera misericordiæ fragantia Christo exhibuit. Erat autem ibi Maria & Maria Magdalenæ, dum Ioseph accepto corpore, inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo. Maria indiuiduus comes Christi: Maria Christo viscera sua misericordię, etiam in sepulchro præbuit: meliora sunt ubera tua vino, fragrātia vnguentis optimis. Soror autem ubera non habet. Nec mortuo pepercerunt, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, O barbariem & feritatem. Pharisæi autem & resurgentem voluerunt manu armata militum, rursus capere & iterum Crucifigere. Domine, inquiunt ad Pilatum, recordati sumus quia seductor ille adhuc dixit viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium. Et munierunt sepulchrum signantes lapidem, cum custodibus; obturauerunt & corda sua petrea, lapide obstinatæ malitiæ & crudelitatis. Maria ergo est mater misericordiæ.

Maria sepeliuit mortuū.

Mat. 27

Desideratis adhuc plura? Vultis videre, si aliorum etiam necessitatibus subuenit? Si alijs vbera eius meliora fuerunt

Ioan. 2. runt vino? Eamus in Chanam Galileæ ad nuptias illas celebres, vbi erat inuitatus Iesus cum Maria misericordiæ Matre. Quid ibi euenit? Deficit vinum; sponsus & sponsa pauperes rubore & verecundia suffunduntur; Architriclinus turbatur, ministri frustra vasa perturant; hospites autem sitim patiuntur. Maria (vt Bernardus, post Augustinum, Hieronymum, Cyrillum, Tertullianum, Iustinum, Origenem, contra Chrysostomum quem libenter hac in parte amplexus est Oecolampadius, reliquit,) compassa est eorum verecundiæ, sicut misericors & sicut benignissima. Quid enim de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid inquam mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne, inquit Bernardus, qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte non seruabit odorem? Quantum igitur viscera illa pietatis fecit, in quibus nouem mensibus pietas requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quam ventrem; & cum processit ab vtero, ab animo non recessit. Compassa igitur misericordiæ Mater, illorum necessitati, filio suggessit & supplicauit, Vinum nō habent, Q.d. Fili charissime, tu qui olim in deserto saxa in flumina commutasti, & populo sitienti venam fontis vitæ aperuisti; Tu qui olim Samsonem ex duris ossibus inebriasti; succurre & modo istorum paupertati; hydriæ istæ petreæ, sudent tuo iussu vitale poculum; vel de aqua insipida commuta vinum; exhilara istos conuiuas. Meliora sunt vbera Mariæ vino, Vinum enim illud quod a Christo filio vite vera præcibus suis extorsit Maria, fuit vinum dulce & optimum, vt etiam Architriclinus probauit. Non fecit hanc supplicationem vt clarior filij gratia efficeretur, vt Chrysostomus & Oecolampadius cum alijs, asserunt. Humilitatem enim semper coluit nec unquā illā deposuit; semper cecinit respexit humilitatem ancillæ suæ nunquam clarior sed semper vilior esse cupiuit. Nō suggessit filio ut ambiat honorem Messiæ, quasi velit esse socia administrationis officij, quod Christo Diuinitus man datum erat, vt Brentius cum cætera turba Hereticorum calumniatur, non enim fuit ambitiosa. Charitas illa qua ardebat Maria, non inflatur, non erat ambitiosa, non quærebat quę sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Nō expetebat esse socia admini-

hom. 1. Domini. 2. post Epiph.

Maria necessitati alioru subuenit.

Supplicatio Marię in Chana pietatis fuit non arrogantiæ.

strationis; non enim præcipit Christo sed suggessit, sed supplicauit. Fuit hoc actus misericordiæ quem Christus non reiecit sed exaudiuit. Illud enim quod dixit Mater ministris, impleuit Christus, vinum in aquam conuertit. Illa autem verba quæ videntur esse dura, quibus etiam suum errorem confirmant Mariæ hostes. Quid mihi & tibi mulier? Non sunt verba reprehensionis & contemptus, sed mysterij; vt ex supranominatorum Patrum sententia Bernardus adnotauit. Sic enim pulcherrimè vt in cæteris solet cõfabulatur Quid mihi & tibi mulier? Quid tibi & illi Dñe? Nonne quod filio & Matri. Quid ad illam pertinere q̃ris, cũ tu sis benedictus fructus vẽtris ei⁹ immaculati? Nonne ipsa est quæ saluo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est in cuius vtero nouem mensibus moratus es? cuius Virgineis vberibus lactatus es? cum qua iam duodecim annorum factus de Ierusalem descendisti, & eras subditus illi? Nunc ergo Domine mi, quid molestus es illi dicens, quid mihi & tibi mulier? Et respondeo. Non velut indignans, aut confundere volens Virginis Matris teneram verecũdiam dixeris, quid mihi & tibi; cũ venientib. ad te iuxta Matris præceptũ ministris, feceris quod illa sugessit. vt quid ergo sic respondet? Propter nos, vt conuersos ad Dominum, iam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant negotiũ spirituale. Quamdiu. n. de mundo sumus debitores nos esse constat parẽtibus, at postquam reliquimus nosmetipsos, multomagis ab eorũ solicitudine liberi sumus. Propter nos rñdet vt nobis monstraret exemplũ. Venerat in terrã mittere gladium, & diuidere filium a patre, & filiam a matre; abscindendum esse & oculum & manum & pedes, & non tam parentes, vbi amori Diuino, vel seruituti Diuinæ offendiculum nobis præbent. Licet paruulus, docebat Heliodorum Hieronymus, ex collo pendeat nepos; licet sparso crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater ostendat; licet in limine pater iaceat; percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, & siccis oculis ad vestigium seu vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelẽ. Hũc ergo gladium quo alios circuncidebat docendo. Qui amat Patrem suum & matrem suam supra me non est me dignus; suã cõuertit in viscera, & sibi ipsi facit quod credentib. est facturus.

Alias

Christus durius respondet Mariæ in Chana. cur.

hom. 2. Domini. 2. post Epiph.

Spirituales nõ se implicari permittant a Parentibus.

Alias rōnes adferāt alij, nos hac omniū communi fatemur dicentes, Mariam esse misericordiæ affectu motā, non aliqua ambitione, vt maledici conuitiantur. Maria enim meliora habuit vbera quam vinum, fragrantia vnguentis optimis. Maria fuit misericors, Maria fuit Mater misericordiæ, & quia genuit misericordiam; & quia misericordiæ visceribus omnes fœminas, omnes charitate flagrantes, Dauidem etiam & Abraamū suos parentes præcelluit. Sileat misericordiam tuam, o Beatissima Virgo, ille, vt Bernardi verbis concludam, qui te fideliter inuocatam in suis necessitatib. sibi sensit defuisse. Nos misericordiæ tuæ o benedicta, lōgitudinem, pfunditatē, sublimitatē nō possumus satis prædicare. Nā lōgitudo eius vsque ad nouissimū diem inuocantib. te subuenit vniuersis; latitudo replet orbem terrarum, vt tua misericordia plena sit omnis terra; sic & sublimitas eius Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Misericordiæ igitur sinum cum aperias vniuersis; ecce nos miseri, respicere quoque nos digneris; multi ex nobis fame, alij siti spiritualiū moriuntur, refoue & refice nos misericordia tua. Alij spoliati sūt bonis operibus; impetra vestem illam candidam distinctam coloribus virtutum. Quidam in captiuitate Dæmonis detinentur, tu quæ es captiuorum liberatrix, eripere digneris. Nonnulli mortui fœtentes in sepulchris vitiorum iacent; eleua misericordiæ tuæ manum, porrige auxilium, resuscita mortuos ad vitam spiritualem, vt hic misericordiam tuam experti in Cælestem Patria satis illam prædicare valeamus in sæcula sæculorum.

Amen.

VITA.

VITA.

Fons hortorum. Puteus aquarum viuentium. Cant. 4. cap.

CONCIO VNDECIMA.

In qua Virginem Sanctissimam, vitam sæculis attulisse monstratur.

Deus nō est causa mortis sed vitæ.

DEus author & origo bonorum omnium, licet vitę & mortis Dominatum habeat, & claues, vt Ioanni reuelauit, portet mortis & inferni: mortis tamen neutiquam, sed vitę tantum principium est. Cum enim mori nihil est aliud quam deficere ab esse; ab illo a quo promanat esse & a quo res omnes habent esse, rationales creaturæ non possunt habere non esse. Talis autem est Deus uita suprema, vt tradidit Magnus Dionisius. & vita principalis vitæque omnis author: qui & vitam fæcundat, replet ac diuidit, vita per se viuens & super omnes vita, vita viuificans vitaque superior. Ex ipso siquidē, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso omnis rei procreatum est esse: per ipsius manus, cuncta plasmata sunt: in ipso constant & continentur omnia. Deus igitur mortis nullum, sed vitæ principium est. Fassus est hanc veritatem sapiens, dum hortatur homines, ne zelentur mortem in errore vitæ suæ, neue acquirant perditionem in operibus manuum suarum. Deus inquit, mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum extermi-nij, nec inferorum regnum in terra. Vnde igitur mors? Iniustitia mortis est, ait, acquisitio; impij manibus & verbis accersierunt

Apoc. 1.

Deus est uita, qualis.

lib. de Diui. nom. c. 6.

Sap. 1.

Mors unde.

runt illam. Quomodo autem manibus accersierunt illam? Accersierunt manibus mortem corporis parentes nostri. Prohibuerat Deus illis in Paradiso constitutis, ne contingerent lignum scientiæ boni & mali. In quacunque, ait, die comederis ex eo, morte morieris. Præsciebant serpentem astutum, missurum decipulam in arborem sub specie & pallio Diuinitatis: Quid fecit mulier cum viro suo? vidit quod esset bonum lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo qui comedit? Manib. igitur suis accersierunt illã mortẽ corporalem. Postquam enim comederunt de ligno vetito, eiecit eos Deus de Paradiso voluptatis, & collocauit Cherubin ante fores eius; insuper & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ; veritus ne forte mitterent manum suam, & sumerent etiam de ligno vitæ, & comederent, & viuerent in æternum. Accersierunt manibus suis & mortem animæ. Iniustitia enim mortis est acquisitio: homo per malitiam occidit animam suam. Dederat eis Deus gratiam quæ esset quasi spiraculum, & vita animæ: quod enim anima est corpori, hoc gratia & Deus est animæ. Anima est viuificans corpus; & ideo recedente anima, corpus quoque dissoluitur & moritur: Gratia quoque est viuificans animam, & ideo recedente gratia, anima quoque morte sua occumbit. Iniquitatem meditati sunt contra Deum: superbia & auaritia, & ambitione ebrij recalcitrarunt Deo: morte illa quam Susanna acerbiorẽ morte corporis estimabat, Melius est inquit, mihi incidere in manus hominum quam præuaricare legem Dei, hoc enim si egero mors mihi est, si autem vobis contra omne fas & legem, & pudorem, & fidem acquieuero, non mors mihi est, sed non effugiam manus vestras. morte inquam ista obierunt. Deus autem mortem hanc non fecit, vult enim omnes homines saluos fieri: Deus intentator malorũ est, ipse enim neminem tentat, vnusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Deus neque coegit, neque persuasit, neque inclinauit voluntatem, neque dedit occasionem, vt parentes nostri, & nos iniustitiam operemur, & amittamus gratiam, &

Mors animæ unde.

Deus nõ est causa peccati.

morte prima moriamur. non enim delectatur in filijs nequā: odio est Deo impius & impietas eius, impij manibus suis accersierunt eam. Accersierunt etiam manibus suis mortem secundā, quæ est immortalis in inferno; vbi præ dolore vocabūt mortem & fugiet ab eis; vbi præ siti vorabunt linguas suas; vbi clamabunt ad montes, Cadite super nos & abscondite nos a facie sedentis super thronum & ab ira Agni, quoniam quis poterit stare? vbi audient sententiam iudicis, timidis autem & incredulis, & execratis & homicidis, & fornicatoribus & veneficis, & idololatris & omnibus mēdacibus, pars illorum sic in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Deus hanc mortem non fecit. Deliciæ enim eius sunt esse cum filijs hominum. Non delectatur in perditione malorum, sed in abscondito lachrymas fundit super pœnis eorum. Heu me, inquit, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea; a facie superbiæ, plorans plorabit & deducet oculus meus lachrymam.

Mors secunda.

Isai. 1. Hier. 13.

Mors igitur siue animę, siue corporis, siue totius hominis, non est a Deo sed ab impietate. Hoc idem testatus est ipse Deus. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita uiuet & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. In iustitia sua quam operatus est uiuet. Nunquid uoluntatis meæ est mors impij dicit Dominus, & non ut conuertatur a uijs suis & uiuat? Deus mortem non fecit, Deus non est principium moriendi sed uiuendi, Deus est vita animæ, corporis, atque hominis, Deus est vitæ omnis author, qui & uitam fæcundat, replet ac diuidit. uita per se uiuens & super omnes uita, uita uiuificans uitaque superior.

Ezech. 18.

Sed animaduerto, uos omnes a me tacita interrogatione perquirere. Deus est a quo primum initium uitæ communicamus, & Deus est in quo & a quo anima, corpus, & homo integer uiuit. Post peccatum Adami, quo nam modo uiuificat aīam? quō uiuificat corpus? quō uiuificat hominē? Quonā pacto post lapsum primorum parentum uitam fęcundat, replet, ac diuidit? An uero eodem modo, ut ante in Paradi-

so?

so. Certum est quod non eodem. Nam illic viuificabat corpus per vsum ligni vitæ ne moreretur; omnibus autem nobis clausa est paradisi ianua. Illic animam per gratiam in qua creabat illam, viuificabat; modo autem omnes in peccatis vt nascimur, sic concipimur. Illic hominem ab interitu vindicabat iustitia originali: nullus autem nostrum amplius habet illam, omnes sumus spoliati stola innocentiæ. Ad quem ergo modum? Nobiliorem certe, meliorem & perfectiorem. Sed dicas oro ad quem? Hieremiæ lamentationes dum reuoluebam, huic quæstioni satisfecisse illum video, dum solabatur populi & suas miserias, dicens: *Lapsa est in puteum vita mea*. Lapsa est in puteum vita mea. Hoc pacto me & populum meum viuificauit, quia lapsa est in puteum vita meam. Quid ais? me & populum meum viuificauit, quia lapsa est in puteum vita mea? Potius dixisset: mortem accersiui, quia lapsa est in puteum vita mea. An nõ omnium nostrum vita infixa est in limo profundi & non est substantia? venimus in altitudinem maris, & tempestas demersit nos, intrauerunt aquę in animam nostram? Quid ergo, me & populũ viuificauit, quia lapsa est in puteũ vita mea? Quasi vero de puteo aliquo, vel de cisterna vel de fonte vitam hauriamus, & vt aquam bibamus, & exinde animam & corpus & hominem ad immortalitatem seruemus? vbi nam sunt tam viuidæ aquæ? vbinam terrarum sunt adeo optati putei, adeo desiderati fontes, vt illic oẽs curramus & mortẽ hanc cum immortalitate commutemus? Quis tales riuos fęlices inuęnit? quis tales puteos effodit? Iacob. an Isaac, an vero Abraam? Scimus ex ipso Christo, de illo puteo Iacobi quem iactabat Samaritana; (quod etiam de fontibus Isaac, & Abraam, & omni genere aquarũ verum est.) si quis biberit ex hac aqua, sitiet iterum. Aqua ista in perpetuum, nec ẽt solũ corpus, nedicam animam & hominem quorum vitę nihil confert, viuificare nõ potest. De illo in puteo bibit Iacob, his aquis inebriati sunt omnes nostri Patres; & tñ & Iacob & illi mortui sunt. Scimus esse multos fontes, quorum aqua mortẽ, & infirmitates insanabiles adducit; vel vnum qui vitam perpetuam adferat nunquam vidimus. Quid ergo, me & populum meum viuiuificauit quia lapsa est in puteum vita mea? Ast magis quã verum est, quod nos omnes viuificauit, omnib.

Deus quomodo uitam tribuit hominib.

Thren.

Puteus aquæ viuificãtis, quomodo.

vitam aiæ, vitam corporis & vitam hominis contulit; quia lapsa est in puteũ vita nostra. Quia Deus ille qui est vita suprema & principalis, vitęq; omni author; Deus ille qui vitã fęcundat, replet, ac diuidit; Deus ille qui est principium omnis esse & corporei & gratuiti seu spiritualis, & humani, inclinauit cęlos & descendit. sed quonam descendit? In puteum. Infixus sum, (vociferabatur Deus ipse ad Deum inquiens) in limo profundi, & non est substantia. Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse ęqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Descendit in puteũ illũ Patriarcharũ, Regum & sacerdotum. In Puteum quem Patriarchæ Abraã. Isaac & Iacob, Reges Dauid, Salomon, Iosias; sacerdotes, Iechonias, Salathiel, Eleazar: & plures alij effoderunt. Ex quo Abraã bibit, & desideraiut videre diem Di; Ex quo Iacob refocillabatur ipse & filij eius, & familia eius. Ex quo Dauid aquã optatam etsi siti moreretur, obtulit in sacrificium. Descendit in puteũ altũ illũ per humilitatem: rotundum per amorem: perfęctum & solidum per fortitudinem; cuius os grandi lapide claudebatur virginitatis; scaturientem plenitudine gratiarum. Descendit immoto lapide integritatis virginalis, Spiritus sancti superueniente potentia & virtute Altissimi obumbrante. Descendit & lapsa est vita mea, illa quę de se denũciabat, ego sum uia ueritas resurrectio & uita: descendit in uterum uirginis Mariæ, in puteum hunc Altissimum. Et quia lapsa est in puteum uita mea; ex hoc emanant riui & flumina aquarum uiuentium, quibus me & populũ meum uiuificauit. Quia lapsa est in puteũ uita mea; inde uitã fęcũdat, replet, ac diuidit in uitam corporis, uitam animæ; & uitã hoĩnis. Quia uita nostra descẽdit in uterũ uirginis sanctissimæ; inde uitã habet anima, corpus, & homo. ***Fons hortorum, puteus aquarum viuentium*** iure Beatissima Maria est nuncupanda. Hic enim puteus, hæc uirgo protulit nobis uenam uitæ; genuit nobis uitam, Deum nostrum; profudit copiam aquarum uiuentium quæ uiuificarũt Animas, Corpora, & homines credentes in Christum. Hunc puteum in Spiritu uidit profugus Iacob Patriarcha. Profectus ergo Iacob uenit in terram Orientalem, ait scriptura. & uidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora & os eius grãdi lapide claudebatur. *Vidit*

Maria puteus aquarũ ex quo uita oĩm processit.

Christus descendit in puteũ.

Allegoria fontis Iacob.

Gen. 29.

dit

dit Iacob puteum in agro in terra Orientali: & beata virgo, puteus hic aquarum viuentium, non in terra Occidentali. Illic ne fletus & stridor dentium; illic etiam Diuites ne guttam aquę ab Abraã possunt impetrare; illic sunt Phlegetontis sordidæ & mortiferæ aquæ. nõ est illic puteus aquarũ uiuẽtiũ, in terra illo rũ qui occiderunt seu occubuerũt in inferno: puteus hic non in terra occumbentium, vbi teterrimæ tenebræ & mortis vmbræ omnia operuerunt collocatus est, sed in terra Oriẽtali; vbi gratiæ lumẽ in corde cuiusque oritur; ubi a somno mortis animę quiuis resurgere potest; ubi sol iustitiæ nullum nõn illuminat. *Puteus ille Iacobi grãdi lapide claudebatur:* & Beata Virgo puteus hic aquarum uiuentium, os grandi lapide, prætiosa petra uirginitatis clausum habebat. Quomodo inquit fiet istud, qm̃ uirum non cognosco? Quomodo in me uita Deus descẽdet, & ex me nascetur: quia ego uirum cognoscere nolo, & uirginitate perpetua os uteri mei conclusi? Sed de hoc alibi. *Puteus ille Iacob fundebat aquas viuas:* & Beata Virgo est puteus aquarum uiuentiũ; Ille enim qui ex ea carnem accepit est resurrectio & uita. Illud uerbum caro factum, uita est & lux hominum. In ipso ait Ioannes, uita erat, & uita erat lux hominum. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit uiuet. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat; Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Qui biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquę uiuę salientis in uitam æternam. [in Euan. circa Fęst. Natiuit. Mariæ.] [Maria, ui ta est quo modo.]

Et audebit adhuc impiũ os Lutheri, cũ sua turba Bidenbachio. Osiãdro. Herbrando Caluino insultare Virginis Mariæ. Quis inquiũt hoc cõmode interpretabitur, qđ Maria sit uita? nõne hoc inquit ẽ Christi gloriæ detrahere, qđ creaturæ tribuimus ea quę Dei sunt, eiq; soli competunt? Ecce nos commode interpretamus, qđ Maria est uita, quia genuit uitæ authorẽ: quod Maria est uita, quia est causa uitæ nostrę: & quia uitã sæculorum attulit ecce nos cõmode interpretamur, ꝙ Maria est uita, quia est puteus aquarum uiuentium. Ecce nos gloriæ Christi nihil detrahimus, neque ea quæ Dei sunt ei tribuimus: quia alio modo Christum & Deum uitam dicimus, & alio Mariã. Deũ & Christũ appellamꝰ uitã supremã & principalẽ,

uitæque

vitæque omnis authorem: Virginem autem vitam secundariã vitęq; nostræ auctricem. Quasi vero hoc sit Diuina creaturę tribuere? Deo propriũ est nomen Fons. Sitiuit anima Dauidis ad Deum fontem viuum; attamen Christus credentibus pollicitus est, quod ventres eorũ sunt fontes, de quib. fluent aquæ viuæ. Deo proprium est nomẽ vita. Igitur Paulus Diuina tribuit hominib. dum quosdam vitæ nomine dignatur? Paulus igitur Dei gloriæ detrahens idololatra fuit? Obruretur impiũ guttur: cesset blasphema lingua, inuolare in laudes sanctorũ detrahẽdas. Maria est vita. Maria puteus aquarum viuentium. Sed ad priora regrediamur. *Circa puteum Iacobi accubabant tres ouiũ greges, & ex eo adaquabantur cuncta illa pecora.* Circa puteum hunc aquarum viuentium Beatam Virginem, accubant tres greges. Animarum s. Corporum & Hominum. Ex hac enim aqua quam profundit Maria, viuificantur Animæ: viuificantur Corpora: viuificantur, & ipsi homines compositi ex anima & corpore. Christus filius Virginis est vita Animarum nostrarum: est vita corporum nostrorum: est vita omnium hominum. Per Christum viuificantur animæ nostræ. Dixeram quod illud quod est anima corpori, est animæ gratia Diuina. Anima est viuificans corpus: quod ex eo liquet, quia recedente anima corpus dissoluitur & moritur, nullum motum, nullũ sensum, nullas operationes vitales habet; non oculus videt, non auris clamores audit, non nasus & muscum & balsamũ odoratur, nõ lingua gustat & comedit, non pedes ambulãt non manus operantur, non corpus & si flamãs torrentes admoueas, & si in frusta diuidas sentit: omnia horrore, oĩa tabie detur pata iacẽt. Interroges cũ clamore valido; nihil respõdet. Promittas honores, dignitates, diuitias delitias, voluptates; nihil optat, nihil de illis cogitat. Quare? quia Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, & ideo in die illa peribunt omnes cogitationes eorum: quia omnia ista uitalia corpus operabatur propter animam: quia Anima uiuificabat corpus. Hoc idem officium præstat gratia Dei animæ nostræ: ut expertus Aug. dicebat. Nescio inquit quid spiritualiter & corporaliter in nobis facit Deus, quod nec sonus sit qui percutiat, nec color qui oculis discernatur, nec odor qui naribus capiatur, nec sapor qui faucibus indicetur, nec durum & molle quod tangendo sentiatur:

Tres greges accubantes ad Christũ, & Mariã.

Comparatio corporis & animæ mortuæ.

Sup. Ioã.

Gratia uiuificat animã, & anima corpus.

&

& tamen aliquid est quod sentire facile est, explicare non possibile. Quod sentire inquit facile est. Quomodo autem sentire facile e, hac uitā q̃ gratia Dei in anima nostra operat? ex operationib. quas hō perficit in gratia, & ex statu animæ in gratia uidendum est: quia ut D. Thomas ad mentem omnium Philosophorum aiebat. Vita in sensuum officijs & actibus cōsistit. Viuere enim inquit Philosophus, principaliter est sentire & intelligere. Quid igitur anima in gratia perficit? Quasnam operationes uitales exercet?

1. Par. q. 18. a 2.

2. Cor. 3.

Anima in gr̃a cōstituta, oculis intellectus primo uidet uerū Diuinum. Homo.n. sine gratia, ut aiebat Paulus, non est sufficiēs cogitare aliquid ex seipso, quasi ex seipso. Homo sine gratia, est uelut in carcere obscuro sine lumine; ubi neque quo eundum, neque quà exeundum, nec quid agendum, neque quibus in periculis in medio serpentum, & horribilium Draconū existat cognoscit: sic homo sine gratia, nescit quid faciendum, quinā fructus pænitentiæ operandi; quid credendū; qua uia & quo itinere ad uitā eundū; inter quæ discrimina in peccatis sit, cauendū. Gratia est lumen Diuinū quò oculus mentis illustratus, uidet quid credendum. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. uidet quid agendum. Fructus enim lucis huius dixit Paulus, est in omni bonitate & iustitia & ueritate. uidet quò eundum. Nemo potest uenire ad me, nisi Pater meus traxerit eū. Gratia Dei est splendor oculorum animæ, in quò omnia Diuina quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt contuetur. Exercet deinde alteram operationē uitalem anima in gratia, dum uoluntate sua diligit Deū super omnia. Homo enim sine gratia, quomodo diligat Deum manifestum est in peccatorib. quorū alij turres fabricant Babelis, ut Deum exturbent Cœlo per superbiam; alij auaritiæ idolū, cum suis crumenis loco Dei in Altissimis statuere uolūt. alij Deum in suo uentre collocarunt alij in fornices meretricum, prohdolor, Deum suum, adegerunt. Et ut cōmuniter dicamus de omnib. peccatoribus, quomodo diligant Deū. Qui diligit me, inquit Deus, mādata mea seruabit. Præcipit Deus. Sācti estote qa sanctus sum: illi Peccatores simus, quia peccata nobis placēt: Sāctitatis nomē exosum nobis est. Præcipit Deus: Quę sursūt sunt quærite, nō q̃ super terrā: Peccatores aūt dicūt. Quę

Operationes animę ex gratia.

Cognitio ueri.

Ephes. 5.

2. Dilectio Dei.

Peccatores surdi.

N supra

supra nos nihil ad uos. Vocat Deus & præcipit intrare ad Cænam illam perpetuo duraturam: Peccatores autem, vilam emi & ideo volo videre illam; vxorem duxi, nolo venire: Magis placet villa, magis sapit vxor quam Cæna, quam Cælum. Præcipit Deus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota aĩa tua: & ex tota fortitudine tua: Peccatores totũ cor & totam animam dederunt mundo & carni; totaque fortitudine diligunt vanitatem, Non videmus amore captos? hi namque carnis amore quot mala perferunt? quot tamẽ officia faciunt? alapis verberibusq. cæsi, irrisi, innumeris iniurijs lacessiti, blãdo tamen morbo compræhensi, omnia sibi tranquilla & fælicia arbitrantur, dũ vel semel suaue aliquod & placitum inde accipiant, priorum omnium obliuiscuntur. Omnia secundæ preueniũt, siue paupertas, siue morb., siue quodcunq. aliud vel molestissimũ; vitã suã miserã vel beatã ex pellicis affectu ducũt; neq. humanã gloriã, neq. infamiã curant, sed & contumelias, & omnia magna cum voluptate pp illius amorẽ facile tolerãt; & si illa maledicat, si in faciem in spuat, rosis aspergi se putent. Videmus deinde pecuniarũ siti laborãtes: hi quid non faciũt? laborant, currunt, nauigant, inimicitias subeunt, rapiunt, eiulatu perstrepunt, conserunt rixas, contentiones perpetuas texunt, ad mortuos vsque impias extendunt manus, inter parentes & fratres sæuiunt, omnia iura naturæ ac præcepta Dei & omnia prorsus violant. Quemadmodum aduersi ac furentes ventis in mare placidum irrunt ipsum funditus vertunt, adeo vt arena profundi supernis misceatur undis; ita & pecuniæ cupidi, omnia penitus miscent; neminem, qui eiusmodi est, amicum nouit. Quid autem amicum dico? ne ipsum quidem scit Deum. Alijs autitijs irretiti qua fortitudine illis seruiant? verũ est de illis dicere. sicut equus impetu currit ad pliũ, sic isti ad uitia. Homo sine gratia nõ potest diligere Deum; Gratia est ille carbo ignitus qui a Filio quodam hominis, apud Ezechielẽ spargitur super corda humana, quo succensa, ardent amoris flãma: Gratia est ille ignis Diuinus, frigida corda humana sue cendens.

Amore capti carnis uel auri quid faciunt.

Velle & perficere bonum.

Est & tertia operatio quam anima perficit ex gratia, velle. s. & perficere omne bonum. Scitũ est illud Saluatoris. sine me nihil potestis facere. Notum est & illud Paulinum. Non est uolen- *Rom. 7. & 7.*

uolentes uelle, neque currentis currere. Non quod uolo bonũ hoc facio, sed qđ nolo malũ hoc ago. Si aũt qđ nolo illud facio, iã non ego operor, sed quod habitat in me peccatum. Peccatũ est cathena quędã qua ligantur animę manus; ne exercitiũ ope rũ bonorũ faciat. Funes peccatorũ, circũplexi sunt me dicebat Psaltes. Gratia aũt Dei soluit cõpeditos, & ad operandũ excitat. Omnibus plus laboraui (se laudabat Paulus) non aũt ego sed gratia Dei mecũ. 4 Est & alia rursus operatio animæ ex gratia: s. consurgere ad perfectionẽ talẽ, ut possit mereri uitã æternam. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: Homo extra gratiam, potius ignem ęternum inferni, quam gloriam Cœlorum meretur. Gratia autem Deificans hominem, opera quoque illius Deifica producit, quibus sese attollere supra se potest, & dicere. Bonum certamen certaui, cursum consumaui fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddit mihi Dominus in illa die iustus iudex. Est & alterũ opus quod perficit anima per gratiam. s. resurgere de statu peccati. Homo enim dum in peccatum labitur, ac si in profundam foueam caderet, ex qua redire sua ui non ualet: Gratia uero est manus Dei, quæ erigit elisos, Gratia est Angelus, qui excitat dormiẽtes ex somno peccati; qui resoluit cathenas prauæ consuetudinis, qui educit de tenebris & umbra mortis, Breuiter, si aliquis credit ea quæ sunt ad uitam æternam necessaria, qui ea ipsa quæ credit aliquando pie contemplatur; qui auribus suis Diuina eloquia utiliter audit; qui spiritualium rerum quas assiduè tractat aliquem gustum & suauitatem percipit; qui manibus suis prompte opera pia & religiosa tractat, & operatur; qui uitam suam ad regulam Diuinam instituit; qui detestatur peccata; qui pedibus suis nunquam ad malum currit, qui remorsum conscientiæ etiam de ueniali peccato sentit; qui bonum testimonium habet a proximis suis; qui terrena contemnit ut stercora; qui anhelat ad spiritualia; qui desiderio tenetur Cœlestium: qui opus dignum uita æterna exequitur; totum hoc a gratia Diuina prouenit, sine Diuina gratia nihil potest homo facere. Gratia est uita animæ. Quis autem gratiam hanc influit in animas nostras nisi Christus? Quis est largitor gratiarum, nisi uerbum Virginis

4 Meritum uitę ęternæ.

5. Resurgere a statu peccati.

Christus confert gratiam.

filius? Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta. De plenitudine Christi omnes accipiunt. Christus est qui dicit; effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Christus est qui sedens super puteum dicit, Omnis qui bibit ex hac aqua sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Christus est qui in nouissimo festiuitatis magno die stabat, & clamabat dicens. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Hac aqua refrigerat & confortat animas; Hac aqua reficit & viuificat mortales, propter ebrietatē huius aquæ, animæ miranda cognoscunt, miranda credunt & operantur, Hæc aqua resuscitat mortuas animas ad vitam, Hæc aqua sustulit archam animarum super mōtes Cælestes. Hæc aqua restinguit ardorem fomitis. Ros ob uians ardori, humilem efficiet eum dixit Ecclesiastes, Hæc aqua sordes abluit animæ; sterilem operū bonorum terram fœcundat. Christus igitur quia viuificat animas ille.n.est via veritas & vita, Virgo sanctissima est puteus aquarum viuentium. vtinam nos quoque, hanc vitam quandoque viuere incipiamus, Vtinam aliquando etiam nos hac aqua salutari aspergat; Dicam melius. Vtinam aliquando etiam nos in hac aqua salutari immergat & submergat; quia tantopere aqua turbida Aegypti nobis placuit, vt hanc salutarem reiecerimus, & ideo multi ex nobis mortem animæ non sentiunt, atque in morte animæ vitam viuunt corporam. Quanti enim ex nobis sunt, qui nullos actus vitales operantur? Quanti, quibus vita spiritus mortis imaginem præfert? mors verò ipsius delitiæ æstimantur? Morituro corpori quod tandem in cineres resoluetur quandoque, quid ad conseruationem non facimus? Medicos accersimus, supplicamus, sumptus maximos expendimus, amaras potiones bibimus; si in super ignis vstio admouenda est, sustinemus; si pes vel manus abscindenda, vel oculus eruendus propter salutem corporis, annuimus. Anima immortalis moritur: nihil curamus, sed insensibiles sumus. Dicam maius, infirmatur brutum aliquod

Margin notes: Ioan. 1. — Ezec. 36. — Ioan. 4. — Ioan 7. — Aquarū gratiæ uirtus. — Eccl. 43. — Hominū stupor. & crudelitas in animam.

irrationale, equus vel etiam canis; quot curas? quantas expensas? quam diligentiam anxietatem, & sollicitudinē non adhibemus? Nostra, nostra anima incorruptibilis, mortua exanimis in sorde vitiorum iacet; nostra anima misere per peccatum sauciata, & a dignitate sua deiecta, odibilis Deo, Angelis exosa, a Paradisi regno proscripta, quin et homini bono inuisa; nostra anima tot mala sustinet, tantisque cruciatibus diuexatur, vt non ignes, non gladij, non cruces, non cathastæ ardentes, non quicquid terribile est tātos vt peccatum, dolores animæ inferre potest, & nos nihil sentimus, nihil curamus. O crudelitatem, o stultitiam. Ac si corpus sit pretiosius quam anima: ac si animal rationis expers, sit nobilius quam anima: ac si cum irrationalibus nobis in Cælis vel, ò infœlicem euentum, in inferis viuendū sit. Velim o Deus alme, qui es lux vera illuminans omnia, vt quandoque tenebras animæ meæ illustres; & non meæ solum, sed & omnium qui in vmbra mortis huius sedent; vt tandem agnoscere possimus, deformem statum animæ nostræ mortuæ; vt tandem percipere valeamus, quam dulce & quam optimum viuere tibi, & non peccato. viuere enim peccato est viuere Dæmoni, qui est suggestor peccati, uiuere peccato, est insanite. In hac enim vita, aiebat Chrysostomus, nihil ab insanientibus differunt ij qui vitam terrenam viuunt; videntur diuitijs affluere, cum nullis affluant; in delicijs esse, cum non sint; neque ante se deceptos intelligunt, quam ab insania liberentur. Viuere peccato est viuere vitam ignominiosam. Nihil enim peccato turpius, nihil ignominiosus est. Et si ad turpitudinis rationē referatur, tolerabilius est nudos quam in peccato & scelere deprehendi; Illud enim non ita in culpa est, interdumque paupertatis gratia contingit, eo autem qui peccatorum sordibus inquinatur, nihil obscænius, nihil contemptu dignius. Veniat nobis oro in mentem, & diligenter consideremus, eos qui rapinę & cupiditatis causa in iudicium vocantur, quam obscæni? quam ridiculi appareant? cum omnia turpiter & iniuste fecerint, omnes fefellerint, in omnia temere prolapsi sunt. Nos vero tam misero, tam infæliciter vitam agimus, vt vestem præposterè indui non patiamur, immo alios si id faciant reprehendimus: cum vero & nos & proximi nostri, capite ambulemus, non aduertimus. Quid .n. eo tur-

Hom. 5. in Ioan. c.1.

Viuere peccato, insania.

pius qui assidue meretricios petit fornices? Quid contumelio-so? quid maledico? quid inuido risu indignius? Sed quamobrem non tam hæc turpia, quam nudus ambulare videatur? Ex consuetudine, vnde nemo vnquam sua sponte nudus ambulare consueuit; illud autem omnes omni tempore & sane confidenter audent. Viuere vitam peccati est viuere inferno seu ad infernum. Fluuius enim ebulliens, flamma succensa, cathastæ horridæ, & mille mortes immortales, paratę sunt viuentibus, dicam melius, morientibus in peccato. Et nos tamen risui delitijsque vacamus. Viuere autem Deo vita animæ, quam dulce quam decorum sit? velim o Deus vt tu ipse aperias nobis venas fontis vitæ, & bibamus; gustemus quantum sit bonum, viuere de te, viuere in te; viuere enim Deo vt aiebat Paulus, est dilectio, lætitia, & pax. Est dilectio; quia nullum bellum, Est lætitia, quia nulla tristitia. Est pax, quia abundantia pacis: neminem revereri necesse est, neminem formidare cum hanc vitam viuimus; non inimicum, non insidiatorem, non æmulum, non riualem, non paupertatem, non morbum, nihil denique humanum. Viuere Deo, est habere communia bona cum Deo Dominatur Deus. Angelorum? viuentes Deo quoque per primitias itidem. In sede regia sedet Deus? sedebunt & viuentes Deo. Conuscitauit enim & consedere nos fecit ad dexteram Dei. Gloria æterna perfruitur Deus? fruentur & viuentes Deo. Iudicat nationes Deus? viuentes Deo Angelos etiam iudicabunt. Vita æterna bonorum omnium repleta viuit Deus? viuentes Deo eandem vitam participabunt. Quid ergo tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? Nili aqua semper est turbida, plena Cocodrilis, serpentibus atque draconibus nociferis & venenosis; mundi aqua est eiusmodi, quod mortem affert non vitam: aqua autem quam ego do, vitam & vitam iucundam. Mundi aqua est turbida, per illum inferni chamelum turbata. nihil hic clarum, nihil illustre nihil pacificum, omniaque confusa & conturbata. Mundi aqua plena est mortiferis serpentibus. Quicquid in mundo degustare velis omnia insidijs, mortibus omnia plena. Draco ille pestifer toxicum suum vbique sparsit, vt nihil reperire possis in quo tibi non mortis poculum subministret. nullam expetas voluptatem, in qua ille delitescens non uenenatum efferat caput, teque

Viuere Deo, omne bonū.

morsu

morsu conficere non perquirat: Quid ergo vis in via Aegypti vt expetas calicem mortiferum? Cur adeo stupidus, vt mordentem terrum serpentem, in poculo mundi nō effugias? Quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Obstupescite cęli super hanc stultitiam, & ignominiam nostram. Dereliquimus fontem aquæ uiuæ, & fodimus cisternas & cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Non aliud dicere

Rom. 6. hic uolo nisi vt concedatis mihi, hoc in loco Apostolicum illud in medium afferam. Sicut exhibuistis membra vestra Seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra Seruire iustitiæ in sanctificationem. Horretis forsan, audientes tantam me à vobis dilectionem in Deum & iustitiæ vitam exigere, quantum uiximus peccato? Sed & ego horreo, quod nec tantum viuimus Deo. Per uestram uos salutem obtestor vt illa auiditate, qua Dæmonis poculum expetijstis, eadem auiditate saluatoris laticem exoptate. Quam sitim mundanorum habuistis, qua cupidine in aquas turbidas & mortiferas exarsistis, quo studio ex cisternis dissipatis haurire conati estis, quantū deniq; venenatæ aquę vel hausistis vel ebibistis, tanta cupidine, tali desiderio, tantum viuificantis aquæ ex hoc puteo pręalto exhauriatis & ebibatis. Sed prosequamur: viuere iniquitati viuentibus nihil boni affert, sed turpitudinem, ignominiā, & contumeliam. Deus autem cœlum & Cælestia bona nobis proponit, & in filios & vnigeniti fratres nos adoptauit, & viuentibus sibi multa largitur, & mortuis resurrectionem, & tot & tanta daturum pollicetur, quanta ne animo quidem complecti possunt; & adhuc ei tanto studio viuere recusabimus? Viuere iniquitati est grauius, quam mancipium esse, Deus autem, inquit, sibi viuentibus; Iam non dicam vos seruos sed amicos, & maiori fortitudine atq; solicitudine illi non viuemus? Beata igitur virgo est puteus aquarum viuentiū. Per illam siquidem aquæ viuę profluxerunt per quas emortuæ

Rom. 8. viuificantur animæ ¶ Per Christum viuificantur corpora, vt promittebat Paulus. Si spiritus eius qui suscitauit Iesum a mortuis habitat in vobis; qui suscitauit Iesum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Christus autem suscitauit seipsum a mortuis; Christus seipso, viuificauit corpus suum. Animam aiebat

Resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis.

ille meam pono, & habeo potestatem iterum sumendi eam. volui dicere, quod per Christum suscitabuntur ad uitam immortalem mortalia corpora nostra. Non minus docta quam certa est sententia Philosophantium. Primum in quocunque ordine, est causa reliquorum illius ordinis. Primum in ordine lucidorum quod est sol, est causa reliquorum lucidorum; a Sole etenim splendidissimo, & Luna, & Lucifer, & cæteræ stellæ, lumen communicant, & solis lumine elucent. Primum in ordine calidorum quod est ignis est causa omnium calidorum; ab igne enim omnia calefacta calida sunt. Primum in ordine generantium homines, qui est Adam, est causa omnium hominum. Primum in ordine morientium hominum, qui est primus parens hominum; est causa mortis omnium hominum. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt, Primum quoque igitur in ordine resurgentium hominum qui est Christus (Ipse.n. est primogenitus ex mortuis, ipse est primitiæ resurgentium) erit causa resurrectionis omnium corporum. Nūc autem Christus, vt Paulus docuit, resurrexit a mortuis primitiæ dormiētiū, quoniam quidem per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: Christus aqua gratiæ suæ irrigabit virgam aridam, adustam, & dissolutam corporis nostri, & illa rursus reuirescet atque germinabit vt lilium. Christus immittet spiritum in ossa arida, & viuent. Christus super extendet cutē & coniunget ossa ad ossa, superinduet carnibus, influet sanguinem, insufflabit vitalem spiritum, infundet gratię rorem & viuent. Christus, seminatum in corruptione, restituet in incorruptionem. Christus, seminatum in ignobilitate, restituet in gloriam. Christus, seminatum in infirmitate, restituet in virtutem. Christus, seminatum corpus animale, reddet spirituale. Quia ergo per Christum uiuificantur corpora, obeam rem Beata virgo est puteus aquarum viuentium; ex illa n. profluxit aqua salutaris, qua nostra mortalia corpora aspersa, vitę immortali redduntur. Per Christum viuificantur & homines. Hæc est n. vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Christus cognitione sua viui

Rom. 5.

1. Cor. 15.

ficat

ficat Beatos, apud te est fons uitę indeficientis, & vitę beatę; dum inebriabimur ab ubertate domus tuę, & torrente uoluptatis tuę potabis nos; dum in lumine tuo uidebimus lumen. Hęc est uita æterna; ecce idem est quod dicit Propheta, Apud te est fons uitę; ut cognoscat te Deum et me Iesum Christum; ecce & in lumine tuo uidebimus lumen. Propter te (ita

hom. 15. in 1. ad Timot. Chrysostomus introducit Christum nos alloquentem,) sputa & alapas pertuli, memetipsum gloria exui, dimisso Patre ad te ueni, odientem atque auersantem me, neque audire uolentem nomen meum, persecutus sum; ut tenerem te, uniui te mihi atque coniunxi; Dixi, me comede; me bibe; & in terra tibi connector, & in cœlo te habeo. Ex me uiue, mihi iam uiue, de meo fonte inebriare, uita mea uiue. Ego sum resurrectio & uita, resurrectio corporis tui, & uita aiæ tuæ. Tam salubres igitur aquas cum nobis sanctissima uirgo profuderit, non ergo puteus aquarum viuentium appellabitur? Non fontis uitæ nomine illam dignabimur; Vitæ nomen non ei tribuemus? Si puteus est, & non cisterna dissipata, si uiuentium aquarum puteus est, si est fons, & fons vitæ indeficientis, adhuc in dubium an vitæ nomen ei congruat vocare pergetis? Vita est Beatissima Deipara, ex ea enim poculum imortalitatis emanauit, Hęc petra laticem morienti populo limpidissimum vomuit. Hæc Virgo obumbrata virga uirtutis Spiritus sancti, ut olim petra in deserto percussa, fudit nobis aquā uiuentem, à sede maiestatis splendidissimā orientem. Si uero tam suaues protulit aquas Maria, adhuc illas delibare respuemus? Gustate, gustate, quoniam suauis est Dominus; uinum hoc melius est illo, quod primo in mensa Ecclesiæ posuit. Gustate quia suauis non amarus, totus dulcis & delectabilis & suauis est Dominus. Accedite ad hunc puteum & loquimini ad illum, ut etiam alloqui iusserat Moysi Petram. Loquimini ad Petram, & illa dabit uobis aquas. Loquimini potius ad hūc puteum; puteus .n. iste uiuus est, petra autem erat, insensibilis. supra hunc puteum astat Rachel pulcherrima, & uenusta aspectu anima Mariæ, loquimini ad illam, & dabit uobis aquas uitę. Si aliquis uestrum vult oculorum mentis infirmitatem curare & aspicere, quidnam credere; quid agere; qua via ad Cœlos ire; loquimini ad hunc Puteū & ad hanc Rachelē, & illa dabit uobis aquas Allegoria petræ & Rach.

Si

Si aliquis vestrum ardore mentis in Deum flagrare cupit, loquimini ad Puteum aquarum viuentium, dabit vobis aquas ardẽtes. Si quis vestrum desiderio boni tenetur, & in omni opere uirtutis sese exercere uult: loquimini ad hãc Rachelẽ, dabit vobis aquas fortitudinis & adiutorij. Si quis vestrum anhelat ad Cęlestia, & uelit salire in uitam æternam, loquimini ad Puteum dabit uobis aquas saliẽtes in uitam. Si quis uestrũ lauare sordes animæ concupiscit, vitã spiritualem uiuere, & dulcedinem eius gustare; loquimini ad hanc Rachelem sanctissimam

Allusio ad Samaritanam. Non est illa Samaritana dura, non improperabit. Quomodo tu cum Iudæus sis, bibere a me poscis? Sis vel Iudæus vel Paganus, vel Scytha vel barbarus, vel peccator uel iustificatus, loquere tãtum ad illam. Da mihi bibere, sitiuit enim anima mea ad hunc fontem uiuum. non quęret excusationes, neq; in quo haurias habes, neque quod puteus altus est, in causam protendet. Ipsa vocat. Venite & bibite & inebriamini charissimi, Ipsa hauriet, puteus non est altus illi. Dabit, dabit tibi aq̃ viuã: qua sitim restingues, sordes ablues, animam confortabis, accendes affectum, mentem illuminabis tuam, decorem ornabis, salies demum ut ceruus. viuifico fonte inebriatus. Dulcissima Rachel, ò Santissima virgo Maria quæ es puteus aquarum viuidarum, sitibunda anima mea vt ceruus desiderat ad te fontem aquæ viuæ, Da etiam mihi bibere, refocilla, ablue, coorna, incende, illustra mortuam animam meam, vt & te & filium tuum hic & in æuum prædicare & laudare merear, cum omnibus a te indeficienti puteo haurientibus in sęcula sempiterna. Amen.

VITA

VITA.

Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinammomum cum vniuersis lignis Libani, mirrha & aloè cum omnibus primis vnguentis. Cant. 4. c.

CONCIO DVODECIMA.

In qua altera pars Cultus Beatæ virginis, quæ est Imitatio defenditur.

PROVIDENTIAM Dei gubernantis omnia, si quis attentius acumine intellectus inspexerit; illam non modo fines & perfectiones rerum, sed etiam media & modos iuxta conditionem naturarum, ad acquirendos illos fines ordinasse & disposuisse, cum sapiente agnoscet. Is enim dum finem negociatorum a Deo præstitutum, vitæ scilicet necessaria procuranda & in mari quoque quærenda dixisset; quonam pacto id exequi possint, talem sermonem de Prouidentia Dei instituit. Tua autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernat: quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam. Sed vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera; propter hoc etiã & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt. Voluit insinuasse. Tu Deus, negotiatori viuere & se conseruare, & vitæ necessitatibus subuenire, etiam ex mari inuio victum quærere, pro fine ordinasti: quia dedisti ei & in mari viam & inter fluctus semitam firmissimam,

Sap. 14.

Prouidẽtia Dei media omnib. præstituit.

ſimam; verum non ſine modo & medio. Quia enim ad inſtar piſcium viſcera marina ſub aquis non poteſt perambulare, ſapientia tua diſpoſuit modum, qui viam & ſemitas maris pertranſeat, ſcilicet credat ſe ligno exiguo, & per ratem a feris fluctibus maris liberetur. Prouidētia.n.tua ab initio cūcta gubernat. Prouidentia non ſolum fines & perfectiones rerum, ſed etiam & modos iuxta conditionem cuiuſque naturæ ordinauit. Omnibus viuentibus vt viuant & vitæ ſuæ prouideant, tanquam finem prædiffiniuit: at non ſine modo cuicunque naturæ viuenti accommodo. Quot enim ſpecies viuentium in hoc orbe noſtro videmus, vel mente percipere poſſumus; tot modi vitam conſeruandi ſunt. Angeli enim & cunctæ ſubſtantiæ ſine corporibus viuentes, nullo cibo ad vitam prolongandam indigent, ſed ſola Diuinæ manus, generali virtute, vitā viuunt ſempiternam. Corporibus vero concreta, corporali indigent alimento, & hoc non vniformi cum non eiuſdem ſpeciei ſint omnia viuentia corporea, ſed diuerſo iuxta diuerſitatem eorum. Quædam enim vt fertur, viuunt igne vt ſalamandræ, quædam aere ſolo, vt Chameleonta & nōnullæ aues, quædam aqua ut piſces; quædam terra ut ſerpentes; alia ferro ut ſtruthiones, nonnulla herbis ut animantia agri cicurata: quædam carnibus ut uoraces lupi & leones: quædam floribus ut apes; quædam ueneno ut araneę. quibuſdam uero & maria & terræ, & quęcunque in eis reperire eſt, ad uitam ſuſtentandam non ſufficiunt, ut ſunt homines. Idem fecit Deus prouidentia ſua & in uita ſpirituali. Vt omnia rationis capacia uita uiuant ſpiritus & animę, omnibus pro fine & ſcopo ultimo deſtinauit: At quia hæc uita ſine exemplo agi non poteſt: plus enim ad amorem patrię cœleſtis exempla, quam prędicamenta ſuccendunt ut dixi Gregorius. Nullus fere de carcere mortis Aegypti exire, & in terram fluentem lacte melle, abſque columna ignea & lucida. Ignea & lucida dixi. Qui enim in oculto bene uiuit, ſed alieno profectui minime proficit, igneus eſt ut idē Gregorius reliquit; qui uero in imitatione ſanctitatis poſitus, lumen rectitudinis ex ſe multis demonſtrat lucidus eſt. Nullus inquam ſine tali columna ignea & lucida precunte, patriam fœlicitatis intrare poteſt; & ideo nec uitam ſpiritualem ſine exemplo uiuere. Quia uero rurſus, non omnes eundem

Vita ſpiritualis ſine exemplo non pōt agi.

Allegoria igneæ columnæ.

nec vitam spiritualem sine exemplo viuere: quia vero rursus, non omnes eundem gustum habent, sed quibusdam sapida sublimia, quibusdam autem humilia gustant; non omnes adeo sanum palatum habent, vt ex eodem cibum capiant; non omnes tantæ perfectionis sunt, vt eundem iustum, qui est vt arbor fęcunda, plantata secus de cursum aquarum aspiciant, & ex eo fructus exemplorum carpant: non omnes more apum ex vno flore, flore illo inquam speciosissimo campi & lilio conualium, mellea exempla colligere valent. Deus, vt omnes vitam spiritualem curent & conseruent, dedit multos iustos, quorum quidam florent ad modũ lilij; quidam vt cedri multiplicantur; quidam germinant vt plantæ palmarum: quidam vt arbores proceræ plantatæ secus decursus aquarum, quæ dant fructus in tempore suo, quorum folia non defluunt; quidam sunt oliuæ fructiferæ in domo Domini: quidam vt myrti humiles; quidam vt vitis palmites; qui dã vt nardus odorifera. Vt vel si non ex illo, saltẽ ex altero bonum aliquod gustemus, & vitę spirituali consulamus. Deus est admodum Matris tenerè diligentis filium. Ea enim lecto ex infirmitate decumbenti filio, & ad sanitatis primum statum redire cupienti, si hunc cibum fastidit alium mox pręparat, & si istum reijcit, alios vicissim porrigit & ministrat, quousque tãdem aliquem reperiat, qui palato eius nõ insuauis sit. Sic Deus plantauit in hoc Paradiso cęlesti, Ecclesia videlicet, Florem illum pulcherrimum Iesseum, super quem requieuit septiformis spiritus; plantauit & alios deĩ plurimos ad quorum fructus mirificos carpendos, omnes prouocat: Qui reijcit vnius fructum; qui nihil potest gustare ex illo Diuino conuallium lilio; qui veretur ne forte contingat illi vt Adamo extendenti manus ad lignum vitæ, & statim perfectissimam vitam ducere cupienti; Qui fastidit ex hac vel illa arbore sanctitatis, aliquid excipere, offert aliam; ne tandem anima nostra vel cum Elia in deserto subtus spinosam iuniperum, occumbat.

Allegoria arborum.

Deus in Paradiso Ecclesiæ plantauit multas arbores quales & ad quid.

Eccl. 24. Inter alias nobilissimas arbores huius Diuini pomerij, produxit etiam illam præaltam Virgam Iesse, Sanctam Virginem Mariam. Quæ altitudine sua præcessit Cedros Libani. Quæ perfectione sua excessit omnia ligna Paradisi. Quæ est exaltata vt Cedrus in Libano & vt Cypressus in monte Syon, & vt palma in Cades, vt plantatio Rosæ in Hiericho.

Maria e Cedrus, Cypressus Palma Rosa. Oliua, Platanus &c.

richo. Quæ est quasi oliua speciosa in cãpis q̃ vt Platanus exalta est iuxta aquam in plateis, & sicut cynamomum & balsamum aromatizans odorem dedit, quæ vt terebinthus extendit ramos suos & ad instar viris fructificauit suauitatem odoris; cuius rami sunt honoris & gratiæ; cuius flores honoris & honestatis; cuius emissiones sunt Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Omne illud quod cæteræ arbores Ecclesiæ habent, hæc vna sola stirps Iessea possidet. Altitudine sua præcessit Cedros Libani. Cedros Libani nullus nostrum videt: Mariam autem vel minimus ex turba puerulus ægnoscit. Cedri Libani altitudine sua non pertingunt ad sydera: hæc radix, virtute sua altior Cœlis effecta est. Perfectione sua excessit ligna Paradisi: Ligna Paradisi corruptibilia sunt, ista radix immortalis, & incorruptibilis. Ligna Paradisi corruptibile quid ministrant Enocho vel Heliæ; hæc incorruptibiles atque suauissimos fructus virtutum animæ nostræ præbet. Exaltata est vt Cedrus in Libano per sublimitatem contemplationis: Maria enim optimam partem elegit contemplatiuam, quæ non auferetur ab ea. Est quasi Cypressus in monten Syon, per excelsum statum Virgitatis, Virgo enim fuit corpore, Virgo & mente, Virgo in partu, ante, & post partum. Est vt palma in Cades per virtutem fidei, Beatan quæ credidisti, quia perficientur in te q̃ dicta sunt tibi a Domino. Est vt plãtatio rosæ in Hierichò, per verecundiē. Disce inquit Ambrosius, virginē morib. disce Virginē verecundia. Maria salutationem Angeli verebatur, & ab angelo salutatur, vbi clauso super se ostiolo orabat Patrem in ascondito. Est vt oliua speciosa in campis per misericordiam; subuenire enim miseris, misericors, edocta a suis Parentibus misericordibus solebat. Est vt platanus iuxta aquam in plateis per sobrietatem; non enim comessatrix non vinolenta sed sobria fuit. Est sicut cinamomum & balsamum, per spem & charitatem, Fuit vt Terebinthus extendens ramos suos, etiam in montes per officiosam pietatem. Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione. Quasi vitis fructificauit suauitatem odoris, per lachrymarum deuotionem. huius rami & flores sunt honoris & honestatis. Huius virgæ *Emissiones*, *cypressi cum nardo*, sublimitas maxima cum infima humilitate, Huius emissiones,

My-

Myrrha & aloe mortificationis carnis. Huius virgæ emissiones non vnum pomum, sed *Paradisus malorum Punicorum*, innumerabilium virtutum; Ita vt facilius mali punici grana numeraueris quam virtutes Mariæ: nec primam similem visa est habere Arborem, nec sequentem. *Cum pomorum fructibus Omnia poma*, inquit ipsa ad sponsum. *Noua & vetera dilecte mi seruaui tibi*. Quicquid fructuum & pomorum virtutis habuerunt veteres sancti, quicquid habebunt nouæ plantationes, omnia ego habebo; emissiones animæ meæ est Paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus, omnia ego seruaui tibi. Recondat suam virgam floridam Aaron, fructus eius nihil sunt ad virgam Iesse. Flores eius, non flores apparent, ad flores virgæ huius. *Omnia poma noua & uetera seruaui Maria.* Desideratis in ea cultum & religionem Abelis? ecce sèmetipsū obtulit Deo, dn̄s ecce ancilla Domini fiat mihi secūdum verbum tuum. Quæ hostia sacrificijs Abelis, vt cœlum terra, imò plusquam cœlum terra superior est. Ille enim agnos hæc seipsam. Ille agnos & pecora alia, hæc agnum immaculatum fructum ventris sui, agnum qui tollit peccata mundi, protulit Deo. Vultis in ea perfectionem Noe nauigantis; qui in generatione sua, vt ait scriptura erat iustus atque perfectus, & solus erat talis in cunctis? & Beata virgo sola perfecta suo tempore inuenta est. Et ille in archa lignea legitur se seruasse cum liberis; hæc autem multo sæuiore inundante mundi diluuio, in archa illa Diuina quam eleuauerant aquæ passionum vsque ad lignum crucis in montem excelsum; non duos aut tres, sed vniuersum Orbem terrarum naufragantem liberauit. Noe de sua archa emisit coruos & columbas: hæc autem non columbam quæ ramum oliuæ afferret, non coruum nigredine horridum, sed speciosum præ filijs hominum Deum ipsum edidit. Qui ramum oliuæ pacis spiritualis, inter Deum & hominem signum, descensus aquarum pœnalium hominibus deportauit. Desideratis in virgine obedientiam Abraham Patriarchæ? iam enim de fide ante dictum est. Abraam obediens voci Domini offerre voluit filium; hæc autem postquam agnouit voluntatem Dei circa mortem filij sui, nunquam reluctauit; nihil tale Domino quale Petrus impediens suasu suo oblationem Christi, dixit, nunquam vel in Malchum sæuijt, quin

Antithesis Mariæ & S. Patrum.

Abel.

Noe.

Abrahā.

quin, vt pij aduertunt, si etiam ipsi mandasset Deus, offer filium tuum in vno montium, ad redimẽdum genus humanum, illa animum promptum habebat faciendi illud quod de saluatore nostro Diuina prouidentia disposuisset: Abraam habuit alios filios & ideo solamen aliquod inuenire posset sui doloris; hæc tantum vnicum, & quem multo magis amabat quam ille suum; & in quem idem Abraam tanto dilectionis affectu ferebatur. desiderauit videre diem meum, vidit & gauisus est. In

Isaac. Isaac admiramur patientiam, eo quod puteos fodiens laborũ immemor non repugnabat obruentibus illos, sed locum dabat malitiæ. At B. V. non puteos cernens lapidibus obrutos, sed fontem aquæ viuæ lapidibus quandoq; petitũ, post clauis confussum, in cruce mortuum, in sepulchrum reiectum & lapide obturatum, nihil moliebatur; & forte cum filio pro persequentibus orabat. Deus ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.

Iacob. Iacobi largam benedictionem, in omnibus a Patre datam prędicamus. Benedicta & virgo inter omnes creaturas, & magis quam Iacob. Ille habuit de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini & olei, virgo autem de sinu Diuino non de terra, habuit abundantiam panis illius viui, qui de cœlo descendit; illa affluentiam obtinuit non quidem vini sed vitis illius veræ cælestis: non olei, sed illius cuius nomen oleum effusum est. Ille benedictus erat, eo quod seruiebant ei populi, & adorabant eum tribus, & erat Dominus fratrum suorum, & incuruabantur ante eum filij matris suæ; hæc autem est cui seruiunt Reges & Imperatores, & Capita populorum, & tribus & gentes, Hæc est quam adorant Angeli, quæ est Dña mundi quę Regina Cœlorum, Regina Angelorum & Regina Sanctorum omnium, Hæc est ante quam incuruatur vniuersus Orbis. Benedicta inter omnes creaturas.

Ioseph. Ioseph pudicitiæ virtute decoratus est. At ego vereor ne iam ridiculum sit, hinc virginem comparare. Ipsa enim non solum pudicitiæ & castitatis, sed virginitatis admirandæ, perpetua custos & magistra fuit. Stupemus in eodem prouidam prudentiam, eo quod panibus & tritico, totam Aegyptum septennio integro aluerit; B. virgo non Aegyptum tantum sed vniuersum mundum; non septem annis, sed iam mille & prope sexcentis annis; fame multo maiore affectum grano illo frumenti, & pane Cælesti, Corpore

pore & sanguine filij sui, quod de suis visceribus assumpserat, cibauit. Quem vero iam quispiam post Iosephum putamus mirabilem? Moysen profecto fortiter zelantem; sed hunc etiam B. virgo eminenti virtute satis transcendit, ille quidem Pharaoni pro una gente resistebat: ille Pharaonem aquis maris rubri, cum suo exercitu cooperuit, & submersit: hæc aũt Sathanę pro vniuerso orbe restitit, hæc Sathanam pedibus suis cum vniuersi illius cohorte concalcauit. Desideratis in uirgine humilitatem Dauidis? profundior est in ea. Ille ludere cupiebat, & magis uilior apparere ante archam Domini, sed tamen non erat Pater & artifex illius: Hæc erat Mater Dei, tamen ancillam se uilem, humilem reputat. Vultis in ea zelum Heliæ? iste enim non tam admirandus erat quia cælum clausit, quia induxit famem, quia ignem de cœlo sermone compluit, sed quia zelauit pro Deo; in hoc mentis affectu, erat ipso igne uehementior Maria; præter hoc quod infernum clausit, cœlum aperuit, famem animatum fugauit, fertilitatem adduxit; pręter hoc, quod ignem tentationum & fomitis per filium suum temperauit, & ignem consumentem rubigines peccatorum, & omnia in Diuinam naturam conuertentem, de Cœlis retraxit; zelo pro honore Dei ardentissima fuit. Testis est Aegyptus idolorum cultui olim dedita, vt ex Sententia Eusebij clarum est; vbi cum filio peregrinata fuit, Ante faciem eius ibi concidebant idola, ruebant simulachra, luci succensi igne perpetuo ardebant, Dæmones torquebantur. Desideratis in Virgine ardorem mentis Isaiæ? Excellit. Isaiæ cor carbone altaris incensum erat, & ideo tantum in Dei amorem arsit. Beatę Virginis igne spiritus Sancti. Possem & alios sanctos & Prophetas in cõparationem adducere; adhuc duos tantũ cõmemerabo. Hieremiam & Ioannem. Magna fuit sanctificatio Hieremiæ; qua potuit vitare faciliter culpam mortalium; maior sanctificatio Ioannis Baptistæ, qua potuit vitare frequentiam venialium; maxima virginis Mariæ quæ potuit vitare imo vitauit omne peccatum: Erat Sancta cum Iosia, compatiens cum Helisæo, Diuinorum contemplatrix cum Daniele, fortis cum Iaele, mansueta atque misericors cum Abigail, sobria & temperans cum Iudith, fidelis cum Patriarchis, zelans cum

[Margin notes: Moyses. — Cant. 7. — Dauid. — Helias — de demõ. Euangeli ca lib. 9. demonst. 2. — Isaias. — Bern. epi. 174. — Hierem. & Ioãnes]

exercere vult? Inueniet in ea *therebintum extendentem ramos* suos vsque in montana; uideat quod non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec dubitans de exemplo, sed religiosa pro officio, in montana perrexit. Extendet & ipse palmites suos vsque ad mare. Possumus quidem ab Angelis accipere exemplum perseuerantię, quando alijs cadentibus ipsi steterunt; ab Apostolis amorem quia Domino adhæserunt; a martyribus fortitudinem, quia sanguinem suum odio habuerunt; a Confessoribus iustitiam, quam in omni sua uita habuerunt; a Patriarchis fidem, qua in uenientem Christum crediderunt: a Prophetis spem, qua Dominum longanimiter expectarunt; a Virginib. tẽperantiã, q̃ sic libidinem calcauerunt; uerum nullam aliam habere possumus arborem ex qua omnia ista absque labore colligamus. Sola est hæc quę omnia in se amplexa est. Sola est quæ nihil ei deficit. Sola est hæc illa arbor consita in medio terrę, & altitudo eius nimia. vt quidam apud Danielem aspexit. Magna arbor & fortis, & procetitas eius contingens Cœlum, aspectus illius vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima & fructus eius nimius & esca vniuersorum in ea; subter eam habitant animalia & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro. *Est arbor in medio terræ*, virga hæc Dauidica, quia in medio Ecclesiarum non in angulis Garamãtum, *Est altitudinis nimiæ* Beata hæc arbor, Sicęlum inquit Augustinus siue Hieronymus, te vocem, altior es *Est magna ista arbor* Maria; fecit .n. illi magna qui potens est. Est fortis, quia nec fortitudo Dæmonis ei prævalere potuit. *Eius proceritas contingebat Cælum* Sanctę Trinitatis. Post filium enim Dei in humana natura nullus ita exaltabit caput vt virgo Beata. *Aspectus illius vsq ad terminos vniuersæ terræ ptēditur* Pergas vel ad extremos Indos vel ad Pathmos, vel ad ipsos licet Antipodas vbi oritur Sol iustitię in cordibus hominum; necesse est vt arboris huius magnitudo aspiciatur. *Folia eius pulcherrima*. Quid enim pulchrius donorum copia, quæ Deus Virgini contulit? nihil sublimius, nihil venustius. Pulchritudinẽ ei9 admiratę sũt virtutes Cęlestes. Quæ est inquiunt ista q̃ ascendit de deserto, sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ & turis? *Fructus eius nimius*. Omnium enim animarũm quotquot erant, & sunt, &

Daniel. 4.

Allegoria arboris Danielis.

erunt uitæ alendæ sufficit. *Subter eā habitabant animalia & bestiæ*, Quicquid enim terrenum & animale fuit, totum sub pedibus Mariæ prostratum iacebat. *In ramis eius conuersabantur volucres Cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Quis enim non optaret conuersari cum honestate? honore? uirtute quæ splendent & pendent in ea & ex ea? Quis non libenter uescatur fructibus dulcissimis uirtutum, quos quilibet carpere potest ex illa? Quis si tandem sit apis argumentosa non aranea, non delectetur floribus illius? Quia igitur hæc est hortus conclusus, arbor decora & procera, omnium fructuum uarietate referta, ad quam ut Sophronius reliquit, nulli possunt doli irrumpere, nec præualebit fraus inimici; sed permanebit sancta mente & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata. Idcirco hanc imitamini moribus, sequimini castitate; ueneramini, monet Bernardus, coniuges in carne incorruptibili integritatē: miramini uos sacræ uirgines in virgine fœcunditatem: imitamini oēs homines, Dei Matris humilitatem. Serm. de assumpt. Mariæ.

Postquam fastiditis arbores quæ uobiscum adhuc in mortali solo consitæ sunt, ita ut ex infecto gustu animæ uirtutis cultores, dicitis sæpe uitiorum sectatores. Venimus enim in hæc miseranda tempora, ut uirtutem sequi probro habetur: uenimus in hæc corrupta perditorum iudicia, ut sicut quondam Ioannis & Saluatoris nostri uitam & mores taxabant. Venit, inquit Christus, Ioannes neque manducans neque bibens; & dicunt, Dæmonium habet: uenit filius hominis manducans & bibens; & dicunt, ecce homo uorax & uini potator, publicanorum & peccatorum amicus. Mat. 11. Sic & modo dicunt. Si quis studet aut uacat humilitati, hypocrita est, Si recreationi, gulosus est. Si patientiæ timidus est. Si iustitiæ impatiens est. Si simplicitati, fatuus est. Si prudentiæ, malitiosus est. Si seueritati, phlegmaticus est. Si iucunditati, dissolutus est. Si religioni, singularis est. Si societati, sæcularis est. Si silentio & paci, dissimulator est. Si aliorum correptioni præsumptuosus est. Si instat uigilijs & orationibus, indiscretus est. Si dormitioni, somnolentus est. Si prędicationi & aliorum saluti, apetitor est laudis. Si desistat, negligens est, si habet gratiam hominum, adulator est. Si adulari renuit, dicitur qd superbus est. Ita passim apud nos de virtutibus, & virtutis

Virtutē sequi pro probro habetur.

Iudicium mundi de uirtutib.

cultoribus iudicatur. Postquam igitur, vt dixi fastidistis arbores virtutis, quæ vobiscum cõsitę sunt; ecce Virgam Iesse habetis. In illam nullum tale iudicium exerceri potest, postquam gratiæ plenitudinem obtinuerat hic in mortali vita: de illa nihil vnquam tale dici potest, postquam de hoc terrestri Paradiso, vbi plerumq; virtutibus admiscentur vitia, & vbi quasi nullus ex omni parte perfectus est; ad illum immortalis vitæ Cęlestis hortum, vbi perpetuum ver, & sempiterna æstas florida, vbi perflat suauis Auster & fluũt aromata indeficiẽter vbi nulla frigora hyemis nostræ vt defluant folia eius, vt decidant fructus, ut arescat arbor, postq̃ ad illã fęlicitatis regionẽ vbi nulla imperfectio, nullusque defectus, trãslata est. Hãc imitemini huius arboris folijs & fructib. virtutũ, animę uitam reficiatis. Nõ ęst necesse ut more Aegyptiorum fratrum per uastã illam eremum Cęlestẽ diuagemini, ut ex Petro fidem, ex Paulo zelum, ex Ioanne contemplationem, ex Bartholomæo orationum studium, ex Mathæo diuitiarum contemptum, ex Iacobo sublimium desiderium, ex Antonio religionẽ, ex Stephano inimicorum dilectionẽ, ex Ignatio martyrij sitim, ex Agnete uirginitatem, ex Catherina sapientiam Diuinam, ex Barbara parentum propter Christum odium, ex alijs floribus Cęli, alias uirtutes colligatis. Ex sola arbore ista, ex sola uirga Dauidica, Virgine Sanctissima, & fidem, & zelum, & contemplationem, & orationum studium, diuitiarum cõtemptum, sublimiũ desiderium, religionis perfectam normam, inimicorum ardentem dilectionẽ, martyrij sitim, uirginitatem, sapientiã Diuinã, parentum propter Christum odium, alios quoque non solum hos, fructus innumeros percipietis. Non prohibuit credite mihi, Deus usum arboris huius, non dixit ut olim Adamo et Eug,

Gen. 3. Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno aũt hoc nihil attingas; imo ad uescendum illud, seu ex illo omnibus proposuit. Allegoria ligni uitę.

Prou. 3. Non dixit. Quacunque hora comederis ex eo, morte morieris: sed quacunque hora ex eo comederis, vita uiues. lignum. n. uitæ est his qui apprehẽderint eã, & qui tenuerint illã beati; nihil uereamini de astutijs Sathanę per eam; sub ramis. n. illius non possunt manere; odor ipsius fugat serpentes; nihil adeo timent Dæmones, vt nomen Marię, Ipsa pede suo calcauit, caput serpentis: Manducate secure ex illa, extendite manus vestras ad il-

iam, ex cerpaus poma siue noua siue vetera: Credite mihi, aperientur oculi animarum vestrarum, & scietis bonum & malum; malum ad fugiendum, bonum ad operandum; vita uiuetis immortali animę vestræ, non moriemini morte sempiterna Eritis demum sicut Dij, vsus enim huius arboris Deos ex hominibus facit. Quis iam ex nobis erit negligens & humi torpens? Quis salutis animæ suæ anxius, vt non se attollat ad fructus istos dulces? Quis non cupiet esse Deus? Parentes nostri incerti de scientia boni & mali, deque vita sempiterna & de Diuinitate, an illam ex vsu ligni illius Paradisi obtinerent; tamen nihil veriti & astutiam Sathanę, & præceptum Diuinũ, cupidi bonorum illorum, auidissime ex eo comederunt; nobis nullum periculum Sathanæ imminet, Deus non prohibet, certi sumus de acquisitione sciẽtiæ boni & mali, certi de vitæ Cęlestis, & vitę spiritualis imo ipsius Diuinitatis assecutione; & nihil ex hoc nouo ligno vitæ colligemus? nullum gustum fructuũ eius habebimus? ¶Prohibuit, (blatterant hæretici,) Deus vsum huius ligni per imitationem: Imitatio, inquit, est cultus præcipuus, & Deo gratissimus: summa enim est religionis, secundum Augustinum, imitari quem colis; Quod & gentilis Seneca agnouit: vis inquit Deos propitiari, bonus esto: satis illos coluit quisquis illos imitatus est. Cultum autem Deo gratissimum in creaturam transferre, idololatricum est. Deus aiebat, (sic ratiocinantur isti,) Post me ingredi nõ cessabis. Christus deinde Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. Sequatur me non Mariam aiunt subdoli, post me non post Mariam ingredi non cessabis. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, monebat Paulus. Ioannes vero docebat, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut & Christus ambulare. Christus descendit ad terras vt exemplum nobis monstraret, vt imaginem Dei in nobis collapsam ad imaginem suam & Dei non Marię restauraret. post Deum ingredi nõ post Mariam, Christi vestigia insequi non Mariæ debemus: Estote inquit Paulus imitatores Dei. O acutos Theologos, subtiles ratiocinationes, Igitur Mathathias qui idololatriã detestatus & pro cultu Dei mortem obijt gloriosam, idololatra fuit? Is.n. non Dei sed hominum mortalium exemplar genti Iudæorum ad imitandum proposuit. Mementote, inquit, operum Patrũ, quæ

Hæreticorum sententia de imitanda Virgine.

Imitatio hominũ nõ est idololatria.

1. Mach. 2.

quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. & recenset multorum acta ad quorum æmulationem gloriosam filios suos permouet, atque exéplo eorum, patientiæ inuictum animum, fortitudinem, constátiam, zelum legis Diuinæ, amorem cultus Diuini, sollicitudinem religionis vel conseruandæ, vel augendę persuadet. sic orationem suam moriturus orditur. Abraam, inquit, nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ, custodiuit mandatum & factus est Dominus Aegypti. Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. Iesus dum impleuit verbum, factus est Dux in Israel. Caleb dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditaté. Dauid in sua misericordia, consecutus est sedem Regni in sæcula. Elias dum zelat zelum legis, receptus est in Cælũ. Ananias & Azarias & Misael credentes, liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Is igitur qui propter cultum Dei ab idololatris occisus est, & sanguine suo detestationé idololatriæ mõstrauit, idololatriæ accusabitur? Quid vero Paulus qui præcepe rat. Estote imitatores Dei? Si nõ licet exempla virtutum ab alijs sumere, idololatriæ scelus quoq. cõmisit. Dixerat n. Corinthijs.[a] Imitatores mei estote.[b] Volo autem omnes vos esse, sicut me ipsum, & Galatis.[c] volo vt sitis sicut ego. Quid ais Paule? (interrogat illũ Hosius ille & sanctissimus & doctissimus Cardinalis.) Christus ideo uenit in mundum, vt imaginem & similitudiné Dei, quam inobedientia sua primus Parens noster propemodũ amiserat, nõ tuam aut alicuius alterius hominis, in nobis restaurarct. Christus dicit, ego sum via, ego sum ostium, qui vult venire, me sequatur, non Paulum, non Mariam, & tu dicis, Imitatores mei estote? volo auté omnes vos esse sicut meipsum? Estote sicut ego? Nunquid tua in nobis imago restaurari debet? Nũquid tu es via nostra qua nobis incedendũ? Nũquid tu es ostiũ nostrum, per quod nobis ad vitam ingrediendũ. Quid est, si hoc non est gloriã Dei sibi vendicare? soli Deo cultũ debitum in se transferre velle? qui præcipuus Deoq; gratissimus in imitatione consistit. Verum respondet pulcherrimè. Non ita soli Deo debetur imitatio, vt non rectè etiã homines imitari liceat: non quidé quatenus homines, sed quatenus in eis resplendet imago Dei.

a 1. Cor. 4.
b 1. Cor. 7.
c Galat 4.

Imitatio hominũ quomodo licita.

Quomodo Paulus volebat, vt Corinthij ipsum imitarentur. Imitatores mei estote, Quonã pacto? sicut & ego Christi. Hactenus me imitamini, (voluit dicere) quatenus ego Christũ imitatus sum. non imitamini Paulum, vt fuit blasphemus, persecutor, contumeliosus, sed vt misericordiam consecutus; non vt sibi viuebat, sed in ipso Christus: ut mundo crucifixus est & illi mundus: vt imitari me nihil aliud sit quàm Christum in me viuentem imitari. Vna.n.est, inquit Simõ Cassianus, sequela Saluatoris & eorum qui dirigũt in salutem, Si Christus est veritas qui sequitur veritatẽ docentẽ, Christũ in illo sequitur. Si Christus est vita; qui sequitur dirigentem in vitam, Christum omnino imitatur. Si Christus est via: qui sequitur itineris virtuosi Ducem, omnino post Christũ vadit. Non est diuersa sequela verorum membrorũ & Capitis, vna penitus est imitatio, vbi nulla diuersitas ductorũ, & vbi nil aliud inferior præcipit, nisi quod suum nouerit velle maiorem, nec ad alia dirigit, nisi ad quę ipse nos Saluator expectat. Non prohibuit igitur Deus vsum huius ligni vitæ per imitationem; imo compassus est infirmitati nostræ. Quia.n. multi sunt qui florem illum ex hoc arbore prodeũtem, super quẽ requieuit Spiritus Domini, manibus suis contingere nequeunt, nullumq; ex eo fructũ exempli capere possunt. Quia multi sunt illa verba sæpius repetentes, Quid est homo vt possit sequi Regem factorem suum? Quomodo ego puluis & cinis præstabo, vt incedã vestigijs creatoris mei? Potuit Christus, ego non possum hoc & illud facere; ego non possum. ego n. sũ homo, ille Deus homo. Dedit igitur Virginem sanctissimam vt lignum pretiosum, quę erat homo, ijsdem quib. nos subiectã infirmitatib. corporis; vt si non possumus imitari Deũ, imitemur hominem: vt, si ex illo flore nõ possumus gustare pietatẽ, scientiam, consilium, fortitudinem, sapientiam & intellectum, & timorẽ Domini; si illa arbor excelsa est, & nos Zachei pusilli sumus, vel cũ Parentib. Angelum hastam igneam vibrantẽ veremur: vt hæc omnia recipiamus ex Virgine, quæ nõ ita alta est, vt Christus, non ita imperfecta vt cæteri sancti; plenitudinẽ virtutum habet, & neq; in tanto culmine vt Christus; imitemini ergo virginem quia nihil prohibuit Deus ex illa sumere, tantum, vt dixi, apes non araneæ simus. At vtinã, si non placet vobis virginea imitatio, imitemini, & nos simul vobiscum, vestigia Christi.

Vna sequela Christi & sanctorum.

Allusio pulchra.

Imitãtur Christũ mali quo modo.

sti. verũ imitamur potius nescio quẽ Deum inferni. Dicit Deus, Feci ego tibi corpus pulchrum; tu quoq; me imitare & ad meũ exemplũ temet cõpone; do tibi præstantioris officiũ, fac tu animam pulchram. nos omni spurcitiarum genere illam cõmaculamus. Illudo draconi a me conficto, ait Deus, tu quoq; me imitare, illude tu quoq; si uis; potes. n. eum vt passerem capere. nos ludimus cum Dæmone, applaudimus ei manibus & actib. nostris. Oriri facio solem super bonos & malos; me quoque tu imitare, bonaq; tua bonis malisq; cõmunica. Nos ne bona nostra cõmunicamus, sed bona bonis rapimus, mala malis quæq; irrogamus. Iniurias tolero & pro iniuriantib. deprecor, & eos beneficijs foueo; imitare tu quoq; nã potes. nos autẽ quas uindictas in tales non excogitamus? Benefacio, nõ redditionis obtẽtu, ego innumeros beneficijs innumeris ornaui; imitare tu quoq; neq; vt uicissitudinẽ capias, beneficiũ pręstes. Nos, dabo, inquit, si dederis, si accipere vis, affer aliquid. Accendi in cęlo luminaria, accende & tu clariora illis, nãq; potes his qui in errore sunt, lucem veritatis accendere. Pleriq; nostrum, non illustrant sed, quod scelus est in tenebras Cymerias errãtes adducunt. Hominẽ facere non vales, ait Deus, at iustum gratumq; Deo potes efficere, ego substantiam feci tu exorna propositum. Quantos aũt peiores & exemplo, & suasu, & vi nostra fecimus? Humilis & mitis corde fui; disce tu quoq; a me humilitatem & mansuetudinem amplecti, si vis vt ego exaltari; qui n. se humiliat exaltabitur. Nos. vsq; ad sydera capite nostro inflato pertingere volumus. Hoccine est imitari Deum? hoccine est post Deum ingredi? hoccine est sequi vestigia Christi? Homines mortales iustitiæ & virtutis amatores imitari non vultis: Sanctorum imitationem idololatriam esse dicitis: quis est homo qui possit sequi Regẽ factorem suum, excusationes quęrentes prętenditis: neque Deum imitamini, nec Christum, neq; Sanctos Cęlestes Ciues, neq; iustos mortales. Igitur exemplorum vim de medio tollitis: male ergo docuit Christus. sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ qui in Cœlis est. Frustra illa animalia mirabilia, alas habebant quib. sese mutuo percutiebãt. Volantia n. animalia, vt adnotauit Gregorius. se vicissim feriunt alis suis, quia Sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis inuicem alternis

Ezech. 1. li. 24. moral & super Ezech. hom. 5.

Allegoria animaliũ Ezechielis.

virtutib. excitantur. Ala n. sua me percussit, qui exemplo sancti tatis me ad melius accendit; & ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. Idololatra fuit cultor Dei Matathias: idololatra Doctor gentiũ Paulus, eò quia hominum exemplaria ad imitandum proponebant Ast omissis his, velut friuolis. tu o Beatissima virgo, es Arbor Iessea ex qua pendent omnes fructus virtutum, Emissiones tuæ sunt Paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructib. Omnia poma noua & vetera tu seruasti tuo sponso & nobis. emissiones tuæ sunt cypri cum nardo myrrha & aloe cũ vniuersis lignis Libani. Tu impetra nobis a filio tuo vt mittat ad nos aliquem ex illis astantibus sibi Angelis, qui suadeat nobis. Accipite & manducate ex hac virga, nequaquam n. moriemini. Scit Deus quod in quocunque die comederitis ex ea, aperientur oculi vestri, vita viuetis animę & spiritus, & eritis sicut Dij, & vere Dij, scientes bonum & malum: immortalitatem & animæ & corporis assequemini; Multi. n. sunt ex nobis qui cum Eua pauent, ne forte ex esu tuorum fructuum moriantur. Tu ipsa inclina nobis paruulis ramos tuos, Tu ipsa manibus tuis excipias ex te, & porrigas nobis illa quæ scis nobis esse proficua, ut in hoc mortali corpore viuere incipiamus vitam Diuinam, & postea transferri ad illum immortalis & vitæ indeficientis locum vbi tu fructu ventris tui filio tuo cibas incolas fælices in sæculorum sęcula. Amen.

DVLCE-

DVLCEDO

Fauus distilans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. Cant. 4. c.

CONCIO TERTIADECIMA.

In qua Beatam virginem Mariam nobis dulcedinem omnem apportasse monstratur.

DIVINARVM deliciarum, hic vel præcipuus fructus ex Diuina conuersatione hominibus prouenit, quod núquam amara sed semper dulcia, suis familiaribus pocula ministrare; vel etiam si quæ amara illis contingunt, in suauia commutare solet. Sponsa illa Dei Beatissima virgo, postquam per osculum gratiæ Diuinę, quam receperat adhuc in vtero materno, familiaritatem contraxerat cum Deo, gloriabatur se cibatam esse a sponso, fructu quodam dulcissimo. Sub umbra, inquit, illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Et non tantum cibum ab eo recepit, sed & illud experta est, quod dulcia pocula suis ministret & amara in dulcia conuertat; iactat se enim hæc in verba. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Sed in quam cellam vinariam, cum non vnam solam habet in suis thesauris Deus? Non in illam, (respondere potuit) in quam congessit vinum, de vinea Sodomorum & de suburbanis Gomorræ, in qua vinum de vua fellis & botro amarissimo indignationis Diuinæ expressum, & in qua vinum est fel draconum, & venenum aspidum insanabile. Introduxit me Rex in cellam vinariam, sed non in illam ex qua ignis, sulphur & spiritus procellarum est pars calicis iniquorum. Non in illã ex qua calix in manu Domini vini meri plenus mixto cuius

Deus dulcia suis ministrat vel amara in dulcia cõuertit.

Cant. 1.

Deu. 32.

Cellę Dei diuersæ.

Psal. 10.

Psa. 74.

fæx

fęx non est exinanita, ex quo potat omnes peccatores terræ; ex quo propinat Oollæ apud Ezechiele. Dabo inquit, Deus calicem sororis tuæ in manum tuam, calicem sororis tuæ bibes profundum & latum, eris in derisum & in subsanationem quę est capacissima. Ebrietate & dolore replebeis, calice mæroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ, & bibes illum, & epotabis vsque ad fęces, & fragmenta eius deuorabis, ubera tua lacerabis. Introduxit me rex in cellam vinariam sed non in illam ex qua meretrix ebria sanguine sanctorum in Apocalipsi inebriata est. propter quam ebrietatem acrem vindictam sustinuit. præcepit enim Deus. Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate iudicia secundum opera eius. In poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum. *Introduxit me rex in Cellam vinariam* in qua vinum charitatis, in qua mel dulcedinis ex verbis Dei, in qua lac suaue eloquiorum Diuinorum promanat. Inebriauit me non absinthio & felle vt quendã, sed vino: ordinauit in me charitatem propter quã fulcire me floribus quia amore langueo. Ibi comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Bibi viuum cum lacte, suauitatem charitatis cum eloquijs castis verbi Diuini; comedi mel dulcedinis quam recepi ex meditatione recondirorum sen suum verbi Dei. Suaue poculum nitidissimi lactis verbi sui, quod mihi propinauit, primo fuit, Virginitas immaculata. Hanc enim simul ex Verbi Dei lacte, ex lacte & cum lacte matris meæ suxi, & ex vtero materno eduxi. Ad me enim qua si solam verba illa pertinent. Non dicas: Ecce ego lignum aridum, dum tibi suadeo vt extra numerum generantium esse velis. quia hæc dicit Dominus Eunuchis, & ijs qui carnis voluptatibus renunciauerint. Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerunt quæ ego volui, & tenuerint fædus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius a filijs & filiabus; nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Nõ porrexit mihi absinthium, illud quod gustant parturientes; non multiplicauit ærumnas meas, non conceptus numerare fecit, non in dolore parere filios, non tot anxietatibus, curis, laboribus, angustijs, me subiecit: virginitatis lac mihi ministrauit, suaue, candidũ & delectabile; quod omnibus his molestijs leuat virgines; quod illas incorruptas facit, quod qui

Ezech. 23

Cant. 5.

Lac virginitatis bibit Maria.

Isai. 56.

gustant

gustant non homines sed Angeli ex infantibus crescun t, quo illi qui potantur efficiuntur melior portio Dominici gregis, vi tamque in terris Angelicam ducunt. Quod lac suaue qui gu stant non matres amplius improbas, sed Agnum illum immaculatum in Cœlestibus quocunque ierit sequentur; quo lacte candido qui potantur, non amplius cantilenam illam puerilē eiulatoriam, sed cāticum quod nemo præter illas, qui lacte vir ginitatis nutriti fuerint, in gaudio & iubilatione cātant. Ego ve ro non auerti labia mea purgata, non igne carbonis sed osculo oris eius, accepi hoc poculum, ebibi totum; & ideo etiam si Ar changelus Gabriel veniat, & porrigat mihi poculum amarum carnis, abnuo, fastidio, nolo gustare, quia est cum absinthio cō mixtum: tantum mellea delectatio me perfudit, vt virum amplius cognoscere nō sit mihi animus. Dedit mihi rursus alterū calicem candidi lactis ex verbis suis, sapientiæ scilicet, non illius mundanæ quæ turgida est, sed Diuinæ. quæ primum pudi ca est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.

Prou.3. Ad me .n. peculiariter vociferata est sapientia. Custodi legem meam atque consilium meum, & erit gratia faucibus tuis & vi ta animæ tuæ. Non dedit mihi poculum ignorantiæ amarum; Os enim stulti confusioni proximum est, & virga in dorso eius qui indiget corde. stulti nati sunt in ignominiam suā & in cordis ægestate morientur, Sapiētię lac ministrauit mihi, cuius cō uersatio non habet amaritudinem, nec tædium cōuictus illius; sed lætitiam & gaudium. Ego vero non abnui sugere. Hanc amaui & exquisiui ab infantia mea, regna & sedes & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius; tātum mellea delectatio me perfudit, vt nec illi lapidem pretiosum comparare volo; omne aurum præ dulcedine illius, mihi est arena exigua; argen tum vt lutum æstimo in conspectu illius. super salutem & speciem dilexi illam, venerunt enim mihi omnia bona simul cum illa. particeps facta sum amicitiæ Dei propter illam. Dedit mihi & alterum ex ore suo nitidi lactis poculum, scilicet intellectū & prudentiam, non tenebrarum qdē sed filiorum lucis,

Lac sapiē tię & pru dentiæ ꝓpinatum Mariæ.

Prou.4. vt cognoscam quid agendum sit a me in vita mea. Ad me enim specialiter dixit. In omni possessione tua acquire intellectum & prudentiam, Arripe illam & exaltabit te, glorificaberis ab ea cum eam fueris (mammam seu calicem quæ habet

pruden-

prudentiam) amplexata; non dabit tibi fastidium, nec erit tibi amara vt imprudentia, Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Ego vero suscepi & gustaui. Dulciores super mel & fauum factæ sunt mihi guttæ illius. Bonus est intellectus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sæculum sæculi. Propinauit mihi rursus & alium calicem ex verbis suis candidi lactis, scilicet consilij, ne aliquod opus inconsulte aut præcipitanter agam, Ad me.n. locutus est. Sine consilio nihil facias & post factum non penitebis. Ego autem totum ebibi, & ex osculo oris eius, ex & verbis eius dulce mel donorum intellectus accepi. Eloquia enim eius sunt dulcia mihi super mel & fauum. Fauus distillans mihi fuerunt sermones eius boni. Lex eius immaculata conuertens animas, testimonium eius fidele sapientiam præstans paruulis, iustitiæ eius rectæ letificantes corda; præceptum eius lucidum illuminans oculos, iudicia eius vera iustificata in semet ipsa facta sunt mihi desiderabilia super aurum & lapidem prætiosum multum, facta sunt mihi dulciora super mel & fauum. In cellam vinariam introduxit me, vberiorem quam terram fluentem lacte & melle. In ea enim me nō lacte & melle terreno, non lacte ouium vel caprarū, non melle apū autve sparū, sed verborū suorū suauitatē exsatiauit. mel.n. quo me cibauit est dulcedo & suauitas (vt interpraetati sunt Patres,) quā ego gustando, contemplando, & cōsiderando lactea sua verba spiritualia & Diuina per sensi, Et ideo non caro, sed spiritus meus, factus est super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Et ideo non in lingua, sed *sub lingua mea* ruminationis, & meditationis, inuenitur mel & lac. Fauus distillans labia tua sponsa mel & lac sub lingua tua. Talia labia ipsius pulcherrima vt vittam coccineam, reperit sponsus, osculū oris sui ei imprimendo. Existimatis forte Lucam post descriptionem Angeli nunciantis Mariæ, post visitationis Elizabethæ & ibi gestorum, post Angelorum de Cœlis descensum & iubilationes, post partum Saluatoris nostri & aduentum pastorum, in illud sublime diuersorium toti mundo conspicuum, post Simeonis vaticinium, post deinde multa alia quæ circa infantem acta erant, frustra adiecisse illam sententiam. Maria autem conseruabat omnia verba hæc in

Eccl. 32. Ps. 118. Prou. 16. Psal. 18. Eccl. 24. Luc. 2.

Mariæ cō tēplatio qualis.

in corde suo sine mysterio forte scripta sunt a spiritu Sancto? Non. Idem voluit insinuare Lucas, per hoc quod scripsit, Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. quod sponsus de illa protulit, *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lat sub lingua tua.* An vero non melleam dulcedinem sentiebat, conferens in corde suo verba Angeli? Aue gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulieribus. Cogitabat & conferebat secum qualis esset ista salutatio. Dicebat intra se. Ego gratia plena, O me fœlicem. Totã terram aridam reliquit Deus, me solam vt vellus vile & nullius pretij rore gratiarum perfudit? irrigauit? Omnes alij abominabiles sunt Deo, in me sibi complacuit Altissimus? Alij pauent & fugiunt a Deo, ego sola non timebo? Alij perdiderunt & quotidie perdũt gratiam apud Deum, ego sola inueni? Ab alijs longe est Dominus, fugit a peccatorib.; mecũ vero esse, mihi astare, mecum ille uersari perhibetur? In alios sententia maledictionis iamdudum prolata est a Conditore mundi; ego sola benedicta sum in mulieribus? O me fortunatã natam, *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Turbata quidem erat primum, admirata sublimitatem, & mittentis Dei, & nunciantis Angeli; at non in sempiterna turbatione remansit, consolata ab Angelo fuit. Quid vero? An insipida ei fuerant promissa Angelica. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis? In quam dulcedinem? in quod gaudium? in quam exultationem non resoluebatur eius spiritus, dum hæc meditabatur in suo animo? Mene ancillam humilem respexit? Mihi ne vult facere magna & admiranda qui potens est, non in digito sed in brachio suo? Egone sum vermis & non homo, ancilla, abiecta, ab omnibus spreta, in qua Deus sibi habitaculum constituit? Egone in vtero meo concludam, illum qui continet omnia? Egone verbum, elingue & mutum, Deum, hominem faciam? Egone Mater, ero filij Dei, Regis Iacob, gubernacula regni tenentis in perpetuum? Egone sum per quam Patriarcharum desideria, populorum suspiria, Prophetarum oracula. Patrum in lymbo captiuitatem, gentium lachry-

Mariæ dulcedo & lachrymæ.

chrymas, hominum miseriam, per meum fœtum finiã? Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. Legimus de Augustino magno illo Doctore, quod dum hæc verba Angelica Virgini nunciata legeret, & attentius reuolueret, quia non satiabatur dulcedine mirabili; considerando altitudinem consilij Diuini, super salutem generis humani; sed inter fletum & contemplationem verba illa influebant cordi eius, & fluebant lachrymæ vberrimæ, ex dulcedinis magnitudine. Quid fecisset Augustinus, si ad ipsum Angelus mitteretur, qui ei nuncium hoc afferret? Augustine tu es gratia plenus, tu generabis filium per quem redimetur genus humanum, quiq. erit filius Dei: Quonã gaudio redundaret cor eius? Quos nõ imbres lachrymarum, vel fluuios ex fonte oculorum suorum funderet? Quomodo non in mel & lac dulcedinis cor eius eliquesceret? si tantum potuit lectio sola, mortuorum verborum? Quid igitur censendum est de Virgine Sanctissima, quæ ipsa auribus suis excepit mandatum & consilium Diuinum; quæ ipsa in vtero suo concepit Altissimum Dei Filium, quæ nouem mensibus in visceribus suis gestauit, quæ ex ventre suo salutem sæculorum peperit, proprijs manibus abluit, pannis inuoluit, præsepio reclinauit, vberibus proprijs & lacte proprio cibauit, quæ oscula in labia eius tot & tanta fixit; & blanditijs vagientem recreauit, quæ oculis suis Angelorum exercitum de excelsis cœlorum sedibus venientem, & Pastores, & Reges adorantes, & munera deferentes aspexit, quę multitudinis militiæ Cęlestis laudes & iubilos proprijs auribus audiuit; dũ recordabatur horũ verborum, dum sub lingua sua ruminabat hæc lactea verba; in quam melleam suauitatem & dulcedinem non conuertebatur? in quod gaudium, in quas lachrymas, in quem amorem non rapiebatur? In amorẽ certè, fulcire me aiebat florib., stipate me malis, quia amore langueo, Ita me hoc lacte & melle inebriauit in sua cella vinaria quod amore langueo: stipate me malis, fulcite me floribus, ne amoris flamma me absorbeat. In gaudium exultationis & mirificam dulcedinem ferebatur postmodum, mellea suauitate excitata, dum occineret Domino. Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. David post tot accepta

Mariæ exultatio. Luc. 1.

bene-

beneficia, post propitiationem iniquitatum, post infirmitatum sanationem, post redemptionem de interitu vitæ suæ, illud canticum Deo cecinit. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Ego ait Maria: recepi maiora, me coronauit in misericordia & miserationibus; in bonis repleuit desiderium meum; fecit mihi magna qui potens est. Magnificat ergo anima mea Dominum. Anna prius sterilis, eo quod genuisset filium Samuelem Prophetam in sterilitate sua, præ mentis gaudio erupit in illa verba; Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Ego non prophetam aiebat, Maria sed facientem prophetas, non tantum infantulum hominem sed Deum, non in sterilitate sed in virginitate peperi: Exultabit igitur spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, Magnificat anima mea Dominum, quia beatam ex hoc me dicent omnes generationes: Exultauit spiritus meus, quia misericordia eius per me diffusa est in progenie & progenie. Magnificat anima mea Dominum quia per me deposuit potentes de sede & exaltauit humiles: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia esurientes ex fructu vteri mei impleuit bonis, diuites autem dimisit inanes. Magnificat anima mea Dominum, quia per me suscepit Israel puerum suæ recordatus misericordiæ suæ, Et exultauit spiritus meus quia illud quod locutus fuerat ad Patres nostros, Abraam, & Isaac, & Iacob, hoc in vtero meo adimpleuit. Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo, Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: Maria iure potest appellari, & dulcis & dulcedo. Ast quia non tantum sub lingua Virginis mel & lac dulcedinis eloquiorum Diuinorum fuit, sed etiam *labia eius erant velut fauus distillans*. Distillans autem, scitis quod significet in alios stillans. Videndum est quomodo labia Virginis fuerunt *fauus, & fauus distillans*? diligentius quoque euoluamus, Quomodo B. Virgo dulcedinem nobis apportauit & Quomodo labia virginis, Verba scilicet eius quæ elocuta est, nobis stillarunt dulcedinem. Et primum quidem facile est videre, quare labia B. virginis dicantur *Fauus*

Stillare & distilare quid. *sed distilans*. Distillare enim in hoc diuersum est a fluere, quia fluere est eorum quorum est maxima copia; sic fluunt riui & flumina ex fontibus, quia a quarum copia magna est in fontib. Distillare autem est illorum, quorum parua est abundantia, quæ scilicet guttatim cadunt. Quum autem in Euangelijs paucissima verba B. virginis reperiantur, vix. n. quatuor vicibus illam locutam esse referunt Euangelistæ; recte sponsus labia eius fauum & fauum distillantem; *Fauum* quia verba eius dulciora super mel & fauum; *Distilatem* autem, quia non pleno alueo vt a Christo, sed guttę tantum paucissimæ verborum eius stillabãt. Quomodo autem nobis verba eius dulcedinem stillarunt?

Secretum olei & mellis. Antequam huic respondeam, vnum tantum quod non inutile, nec iniucundum fore existimo, vobis recensere volo. Iuuenis quidam satis auidus sapientiæ, & vitæ honestatis, meditabundus, quomodo vitæ longitudinem honestæ, sine anxietate animi ex labore virtutum proueniente assequi posset? accessit ad quendam Democritum, vnum ex illis antiquis Pythagoræ discipulis. & proposuit ei hoc suum placitum, Præceptor optime

Melle interiora irrigabis quid. tu scis virtutis cibos esse amaros & insuaues sensui: virtutis ego trahor amore: dic mihi obsecro, quomodo hæc duo s. vitam longam, & virtutem sine amaritudine coniungere possum? Respondit, vt mos erat Pythagoricis hieroglyphicos, Interiora inquit melle irrigabis, exteriora vero oleo perúges. Interiora melle irrigabis; ac si diceret, Amara sunt sensui illa omnia quæ summam voluptatem animo adferunt. insuaue est externo homini iustum, prudentem, fortem, inuicti animi, castum, & misericordé esse; abstinere a vino, atq; a luxuria, vigilias noctis, vel propter sapientiam acquirendam, vel propter Rempub. tuendam & conseruandam excubare, corpori insuaue est: refutat sensus virtutem vt toxicum quoddam amarum; interiora igitur melle irrigabis; ea ratione suauitatem mirandam ex virtutis percipies cultu, si in interioribus animæ viribus dulcedine istorum repplearis, si cogitabis quam iucundum est esse virtute cultum, quam magnificum, & quam splendidum est ob animi ornatum illustrissimum esse. Interiora ergo melle irrigabis: Expendes quod virtus vnicum hominis bonum; quod virtus in tempestate sæua, quieta est; quod lucet in tenebris; & pulsa loco manet tamé atq; hęret in patria, splendetq; per se semper, nec alie-

alienis vnquam sordibus abolescit, si dulcedinē internā huius habeas, Hęc duo, vitę s. longitudinem & virtutem sine amaritudine & anxietate coniunges. Hunc morem credo, typice seruauit Ecclesia primitiua, sub temporibus Tertulliani. Dum.n. infantes baptizabat, lacte & melle ora ipsorum perungebat. Vnde Tertullianus reliquit. Inde s. ex baptismatis Sacramēto suscepti lactis et mellis cōcordiā pręgustamus. Lacte irrigabat, verbi Diuini: Melle autē innuebat, vt ille puer susceptis eloquijs Diuinis, suo tempore meditaretur & dulcedinem horum persentiat & sic vitam longæuam cum virtute suauiter conglutinatam viuat. verba n. etsi fuerint recepta in aure, si non fuerint recondita & gustata in corde, licet per se sint dulcia super mel & fauum, amariora plusquam fel & absinthium persentientur. Nonne amarum est illud eloquium Christi, Discite a me quia mitis sum & humilis corde? & sicut ego magister laui pedes vestros, ita & vos alter alterius pedes lauare debetis. Nonne insuaue est illud, si vis esse perfectus, vade & vende omnia, & da pauperib. & sequere me? Nonne graue est illud. Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes? An vero suaue est, esurire fructus iustitiæ? Quanti beatitudinem illam quæ propter esuriem iustitiæ a Domino spoponditur, delibant? An vero dulce est illud. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Phariseorū non intrabitis in regnum Cœlorum? Istorum quatuor dulcedinem ex verbis suis sedula attentione receptis (si tamen illis interiora irrigabimus,) Beata virgo nobis attulit, Dulcedinem humilitatis, Paupertatis, Abstinentię, & esuriei iustitiæ. Amarum est nobis, illud Christi Domini eloquium. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Quis enim mortalium non desiderat esse sublimis? Quis vero excellentiam & maiestatem non demiratur? Cui vero suauis est humilitas? Diuites forte non superbiunt? At Paulus monebat quendam, vt præcipiat diuitib. huius sæculi non altum sapere. Nihil est inquit Augustinus, quod sic generent diuitiæ quomodo superbiam. omne pomum omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermē suum, & alius vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici, vermis autem diuitiarum superbia. Quid vero potentes? forte superbiam odiunt? At superbia natione Cœlestis, inquit Hieronymus, sublimium appetit mentes, & quasi ad proprios reuolans

Ecclesia cur melle et lacte baptizatorū ora ungebat.

Humilitatē dulcem effecit Maria.

uiolans ortus, appetit gloriam & potestatem hominum irrumpere; quæ de gloria & puritate Angelorum erupit; vt quos inuenit participes naturæ faciat cõsortes ruinæ. In uirtutum amatoribus, dices, superbia non habet locum? Sed in recte factis multo magis cauenda est. Cætera.n. uitia solas illas uirtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut luxuria pudicitiam, ira patientiam; sola uero superbia contra cunctas animi uirtutes se erigit, & quasi generalis & pestifer morbus omnes corrumpit. Superbia talibus dicit. Ecce multis imò pene omnibus melior es, doctrina, uirtute, castitate, & cunctis spiritualib. charismatib. cunctos excellis; cunctos ergo despice, cunctis temetipsum superiorem attende. In tantum omnia peruasit hoc teterrimum uitium, yt etiam in puluere & cinere reperiatur, in illis. s. qui præter animam nihil aliud sunt, quam puluis & cinis; & in puluere & cinere sedentes mendicitate uictum quæritant. Amarum est uilem reputari, ad uilia sese demittere, omnibus subijci, neminẽ sibi parẽ sed omnib. se inferiorẽ iudicare: omnes delectat celsitudo, humilitas nullum: omnes sublimia conscendere ad inferiora autem pauci sese deijcere exoptant. Beata uirgo lacte uerborum suorum, amaram humilitatem cõuertit in dulcedinem. Scitote aiebat illa, humiles, quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. Ad quem.n. inquiebat Deus, ego respiciam nisi ad humilem, & contritum spiritu, & pauentem ad sermones meos? Ad humilem Deus respicit non ad superbum; superbis.n. resistit, humilibus dat gratiam suam. Humilib. dat gratiam fidei, qua capescere & obtinere possint ueritatis uiam. Quia tumidus & inflatus oculus, mens illa quæ captiuare renuit intellectum in obsequium Christi, ueritatem intueri non potest: mens autem humilis, quę Piscatoris sapientiam, Platonicæ aut Peripateticæ præponit, aciem suam in lumen credibilium mandatorum Dei figere potest. Humilib. dat gratiam charitatis. Fode, inquit Bernardus, in te fundamentum humilitatis & peruenies ad fastigium charitatis. Vis capere celsitudinem Dei? cape prius humilitatem Christi: sola uirtus humilitatis, reparatio est læsæ charitatis. Humilibus dat gratiam uirtutum: nullo.n. modo poterit, dicebat Cassianus, in anima nostra uirtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint ueræ humilitatis in corde nostro fundamenta, quæ firmissimè collocata,

Humilibus dat gratiam Deus.

rata, perfectionis & charitatis culmen ualeant sustinere. Humilibus dat gratiam, quæ est donum quoddam inhærens animæ. Gratia enim vas profundum requirit per humilitatem. Cum enim sit balsamum purissimum, si infunderetur vasi non profundo, facile perderetur. Humilibus dat gratiam illam vltimam gloriæ, Deposuit enim potentes de sede; dispersit superbos mente cordis sui & exaltauit humiles. Superbia potentem illum Luciferum cum Angelis eius deiecit e Cœlis; humilitas autem homines euehit ad Cœlos, & exaltauit humiles. superbia ex gratia Diuina potentes & superbos deijcit: humilitas autem ad gratiam redire facit. Quia respexit humilitem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. *Fauus distillans labia tua sponsa*. Quis enim amplius humilitatem censebit esse amaram? Cui non suauis erit in poste rum? dum audit aure & corde reuoluit, quod humilitas tantum placuit Deo; quod humiles Deus respicit; quod deiectos in matres suas eligit; quod fidem, charitatem, virtutes omnes, gratiam Deificam humilibus infundit; quod humiles exaltat ad Cœlos, superbos deponit de sede, & dispergit ut puluerem ante faciem venti; quod humiles coronat, superbis autem ignẽ ministrat atque confusionem inferni? Cui virtutem humilitatis contemplanti, quod illa vnam deiectissimam ancillam in Regi nam cœlorum, & in Dei viuentis Deiparam extulit, qđ super omnes omnium cœlestium vertices Mariam extulit, quod illi gratiæ tantam plenitudinem quantam nulli creato obtulit, quod maioribus cœlestis gloriæ muneribus exornauit, quod Dei genitricem in primo post Dei latus splendidissimo locauit solio; cui inquam humilitatis tantam virtutem contemplanti, non placebit humilitas? cui non dulcescet? Quis vero superbiam quæ ex Angelis Dæmones facit, quæ est radix cuncti mali, & Regina omnium vitiorum; quæ turrim Babel euertit, linguam confudit, prostrauit Goliam, suspendit Aman, interfecit Nichanorem, Pharaonem submersit, Senacherib interemit, quæ homini mortem intulit, & concessa beatitudine spoliauit, propter quam Deus sedes Ducum superborum destruxit, & radices gentium superbarum arefecit, quis inquam superbiam quæ est omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiæ amplectetur? non detestabitur? Fauus distillans labia tua sponsa.

Pauperta ti dulcedinem apportauit Maria.

B. Virgo dulcedinē apportauit pauptati. Quā amarus sit calix paupertatis declarant illius adolescētis, qui ad magisteriū Xpi venerat actus. Huic .n. sciscitanti quidnā faciendo, vitam æternā possideret; dū respondisset Dñus. Si vis perfectus esse, vade & vende oīa quæ habes, & da pauperibus. Dicit Euangelium, quod abijt tristis. Forte cum Salomone præcabatur antea; Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ne ægestate compulsus periurem. Forsitan secum confabulatus est. Paupertas quid mihi afferet boni? Paupertas humilem facit & infirmum; ego autem volo cum sublimibus versari. Sapientia pauperis pro nihilo habetur; ego volo magnus apparere. Opus habeo plurimis, & a multis volo gratiam accipere; paupertas me omnibus spoliat. Paupertas est causa malorum omnium vel saltem multorum: ego nolo esse mali exemplar. Paupertas omnia bona mihi eripiens me esurire facit. Amarum hoc poculū

Paupertas nō est causa mali sed boni.

Beata Virgo suis verbis conuertit in dulce. Non causemini inquit, de paupertate quod sit causa malorum; quod omnibus bonis spoliet. Ille qui propter nos egenus factus est, qui non habet vbi caput suum reclinet; ille qui discipulis suis dicebat, nolite possidere aurum, neq; argentū, nec duas tunicas, ille qui ex me paupere in paupere tugurio natus, pauperibus fascijs inuolutus, pauperes elegit, pauperē vitam duxit, in extrema paupertate, egenos impleuit bonis. Vade & vende omnia tua & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo. Paupertas, est

Pauper opulentior Imperatore.

manuductrix quædam in via quæ ducit ad Cœlum; vnctio athletica, exercitatio quædā magna & admirabilis, portus tranquillus. Pauperes impleuit bonis. Quid Iacob erat pauperius dic mihi? qui dicebat, si dederit mihi Dñs panē comedere & amictu indui. Qualib. bonis repleuit illū Deus? notū est ex scriptura quia innumeris. Bonis corporis, bonis fortunæ, & bonis aīæ, insuper & visione Dei in illa mirabili scala. Nūquid sine fiducia bonorū, erat Helias & Ioannes, & Heliseus? qui nihil pter meloten possidebant? Tamen Helias pauper, curru igneo ad Cœlum euectus est: Heliseus duplici spiritu eius gaudet; Ioanne nullus est maior inter natos mulierum. Nihil opulentius eo qui paupertatem sponte diligit, poterat his verbis virgo vti. Quomodo autem hoc inquis? Dicam. & si vultis ipso Imperatore ditiorem esse pronuncio. Ille quidem opus habet

Chrysost. hom. 18. in epist. ad Hebr.

pluribus

pluribus & in crucis est constitutus, & veretur ne minus ei fiat ad ea quæ necessaria sunt stipendijs militatibus; iste autem omnia affluenter habet, & de nulla re timet, ac si timet non pro tantis. Quis dic mihi ditior est, qui per singulos dies exigit, & festinat plura colligere, & timet ne aliquid ei deficiat; an ille qui nihil colligens, affluentia multa sibi sufficiente consistat, & nullum postulans. Fiduciam quippe virtus tribuit, & Dei timor non pecuniæ; illæ namque & in seruitutem redigunt. Fauus distillans labia tua sponsa.

Apportauit adhuc dulcis Virgo Maria, dulcedinem abstinentiæ; tum illius quæ est a noxijs animæ; tum illius quæ est a cibis corporis, hæc enim ad illam ordinata est; per abstinentiam etenim non caro sed carnis vitia extinguenda sunt; & sic vt Gregorius docuit, necesse est vt artem continentiæ quisq; teneat, quatenus non carnem sed vitia occidat: sæpe enim inquit, dū in illa hostem insequimur, ēt ciuē quē diligimus trucidamus, & sæpe dū quasi conciui parcimus, ad prœliū hostē nutrimus. Huic inquam abstinentiæ dulcedinem attulit Maria, dū cantaret hæc verba Esurientes impleuit bonis. Ne contristemini ait dum abstinetis, vt hypocritæ faciunt; non contorquete vt circulum nasum vestrum vt Iudæis mos est, non æstimetis fælicem illum statum esse; manducemus, bibamus, cras moriemur, vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ, in omnia ventres & sensus nostros dissoluamus. A paradisi gaudijs per inabstinentiam cecidistis, luxus animi & corporis vos spoliauit bonis, per abstinentiā ad paradisum resurgere debetis; abstinentes Deus implet omnib. bonis, Abstinentia libido restinguitur, luxuria superatur. De abstinentia castæ cogitationes, rationabilia consilia prodeunt. propter abstinentiam virtutibus spiritus innouatur; abstinentia purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit. Abstinentes impleuit bonis: hanc ergo amplectimini. Fauus distillans labia tua sponsa.

Abstinentiam dulcem reddidit Maria.

Attulit B. Virgo dulcedinem & calici amaro sensibus; esuriei illi de qua etiam Christus docebat. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam dū doceret. Esurientes inquit impleuit bonis, Ne subterfugiatis, (sic vellet dicere Maria,) hanc famem & hanc

Esuriem iustitiæ dulcem fecit Maria.

hanc sitim iustitiæ, non sit vobis amarum esurire & sitire iustitiam; Quia tales esurientes facere bonum & declinare a malo, esurientes reddere quod suum est, Deo f. honorem & amorem, parentibus pietatem, cognatis dilectionem, pacem hominibus bellum vitijs, amicis fidem, omnibus æquitatem, superioribus obedientiã, æqualibus consilium quo ignorantia erudiatur, & auxilium quo infirmitas iuuetur, inferiorib. custodiam vt possint cauere peccatum, & disciplinam, vt quod minus cauerunt minime maneat impunitum; Esurientes iustitiam, quæ sibi sanctimoniam, inimico patientiã, egeno operosam misericordiã reddit; Esurientes iustitiam non illam simulatam, Pharisaicam, sed veram, illam. f. quæ est pax populorum, quæ nihil alienũ vendicat, quę cuilibet dat quod suũ est, quę negligit propriam vtilitatem, vt seruet cõmunem æquitatem, quæ nemini nocet sed etiam nocentes prohibet. Esurientes iustitiam Christianam, impleuit bonis, saturauit illos. sed quonam? Virgam æquitatis Virgã iustitię intingetis in illo fauo quẽ Christus mãducat post resurrectionem: iustitiã vestram inferretis in illud aluear Cœleste, vbi non aranearum sed apum sine aculeis examina innumera gustant, & viuunt mellea dulcissima visione Diuinæ essentiæ. In hoc fauo virgam vestram iustitiæ intingetis, gustabitis; & saturabimini; oculi vestri aperientur ad videndum ea quæ oculus non vidit. Nõ est necesse vt paueatis ne occidamini tũc a Saule, populus imo non populus sed virga hæc qua vestra direxistis opera & qua adeo stupenda operati estis vos ab omni proteget hoste. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam saturabuntur, Esurientes impleuit bonis. Introducet vos in illam Cellã vinariam cœlestem, vbi gustabitis & bibetis vinum & lac non sermonũ, qui aures transuerberant tantum, sed deliciarum immensarum. Venite ergo amici, & inebriamini; quia ebrietas ista quam ex melleis labijs meis, imo ex cellario sponsi mei, qui dulcia pocula suis ministrare solet, patiemini, non confundit sed cohonestat, non accæcat mentem sed illuminat, perficit, & delectat animum. Fauus distillans labia tua sponsa. Scimus ex lectione hystoriarum fauos mellis congestos fuisse ab apibus, nescio quo instinctu naturæ secreto, in labia quorundam dormientum; vt Platonis Philosophi in cunis dormientis, vt Hieronis Siciliarum

Iustitiæ fructus.

1. Reg.

Allusio ad Ionathã intingentem virgam in melle.

Mel congestũ ab apibus in ora quorundam.

Regis

Regis, & Pindari Poetæ: verùm labia horum dormientia sunt, nihil dulcedinis nobis attulerunt: Solius Dei genitricis labia fauum distilantia, nobis amara in dulcia commutarunt & dulcia nobis ministrarunt. Quis enim nunc non libenter ebibet poculum humilitatis? Cuinam paupertatis, & ciborum atque vitiorum abstinentiæ alimonia insipida erit? Quis non libenter sitim patietur iustitiæ? cũ adeo alta bona repromittat? cum pauperibus, non terrena bona sed Cœlestia, humilibus non Regni terreni sed Cœlestis sublimem thronum, abstinentibus non cibos mortalem vitam sustinentes, sed immortalitatem, esurientib. seu sitientib. iustitiam, non quemuis cibum non quoduis poculum, sed melleum Diuinæ beatitudinis nunquam acescentis & nunquam deficientis, non fastidium adferentis polliceatur? Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. Dulcia Deus suis ministrat, Dulcia & virgo, Amara in dulcia conuertit Deus, conuertit & Maria, Digneris tu ô sanctissima & dulcissima sponsa Dei, si non melleum osculum imprimere ori animæ nostræ, saltem stillam aliquam mellis & lactis huius quod habes sub ore & in labijs, instillare nobis. Amarũ est nobis abstinere a vitijs; amarũ esuriem & sitim iustitiæ pati, non pati dixissem melius, sed habere; dulcia nobis sunt excelsa, in sæculi diuitijs Diuinitatis fælicitatem æstimamus; Distilla nobis fauum labiorum tuorum, amara fac dulcia, & ista dulcia falsa, fac appareant amara, & dulcia nobis ministra. Experiamur nos quoque quod fauus distillans sunt labia tua; quod mel & lac sub lingua tua; vt tandem in hac mortali amara vita, per hanc dulcedinem in æternas illas Cellas vinarias introduci mereamur, vbi tu pleno ore gustas quod sitisti in sempiterna sæcula Amen.

(*)

DVLCE-

DVLCEDO

Panem de Cælo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem. Panem Angelorum manducauit homo Pſ. 77. & Sapient. 16.

CONCIO QVATVORDECIMA.

In qua ſapor panis viuifici à B. Virgine delati, palato ſano guſtatur.

SAPIENS Salomon dum mulieris fortis (non quidem illius cuius fortitudinem humeris ſuis vir ſuſtineat, neque illius quæ Amazonas crudeles præcedat: ſed fortis quæ virili animo immobilis inter aduerſa permanet glorioſa, & res arduas pulchre adminiſtrat, quæ nec aduerſis infeſtando frangitur, nec proſperis blandiendo eleuatur) laudes & virtutes admirandas recenſeret, ſic inter alia de ipſius ſollicitudine ſymbolice dixit. Facta eſt quaſi Nauis inſtitutoris, de longe portans panem ſuum. Quid ſibi velit iſta comparatio? ſi non (vt non fallor cum Patribus) voluit inſinuare diligentiam & dilectionem erga familiam ſuam mulieris fortis; Quod ſicut Nauis nunquam neque die neque nocte dum mare tranquillum eſt quieſcit, ſed vt auis per aera, ſic illa per aquarũ viam inuiam volat & ſulcat trementes vndas, vt tandem prouideat famelico Domino ſuo; ſic mulier fortis atque ſolicita, ex amore quem habet in virum & domum ſuam, procurat, quęrit modos, laborat manibus, adinuenit intellectus ſagacitate, nunquam & quaſi nunquam dormit, de nocte conſurgit, nunquam in nocte extinguitur

Prou. 31.

Mulier fortis naui comparatur.

tur lucerna eius accingit fortitudine lumbos suos, roborat brachia sua, manum suam mittit ad fortia, vt tandem panem deportet familię suæ; vt diuidat prædam domesticis & cibaria ancillis suis, vt per eam nobilis sit vir eius; vt demum surgant filij eius & beatissimam prædicent, vir eius & laudet eam. An ista congruant Virgini Deiparæ? non difficile est sententiam proferre cũ Methodio clarissimo Martyre, qui ijs nominib. Virginem appellauit. Tamem non quidem panis, sed famem Panis Verbi Dei, totus mundus antea passus est. Omnes nos vt quidam Lazari vlcerosi & famelici, sub hac mensa Diuina Cęlesti iacebamus, optantes vel micam Panis de Cœlo descendentis. Paruuli petierant panem, & non erat qui frangeret eis. Omnes nos cum illo homine, ad quem hospes quidã, anima s. venerat de via creationis ad hanc domum luteam carnis, pulsabamus ad Deum dicẽtes. Hospes quidã venit ad me deforis (quia anima non est de gremio generantis, sed deforis a Deo per creationem) & non habeo, quod apponam ante eum; quia omnia mea cõsumpsi hac in regione longinqua, ita vt nec siliquę porcorum esurientem ventrem meũ satiare possunt; de illo est periculum ne moriatur fame, Cõmoda mihi tres panes, commoda mihi tres substantias in vno pane corporis tui. Ille autem differebat ad tot præces sanctorum Patrum, quia nondum constructa erat nauis quæ Sãctissimã alimoniã de Cœlesti promptuario ad terras deportaret. Dicebat sæpe. O istos importunos; semper vociferantur, commoda mihi tres panes, commoda mihi tres panes Nolite mihi molesti esse; ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere modo, & dare vobis. Non possum surgere modo, nondum enim enim venit plenitudo temporis: Non possum surgere modo, & dare vobis, nondum n. fabricata est Nauis. Beata Virgo de nocte surrexit, & vsque ad sydera, vbi Cœlum mari amatæ nostræ mortalitatis, per misericordiam, vt Iuno Neptuni basia figit, enauigauit; ostia Cęlorum sua oratione & vitæ sanctimonia pulsauit, compellauit ianitores Regni superioris, ingressa ad immortale Diuinitatis solium dixit Deo. Amice, ita te compello, postquam dixisti te esse mecum, & me esse gratia plenã. Amico, cõmoda mihi tres panes; hospites enim me si fame moriuntur; familia mea macie pallet; desunt iam Angeli qui no-

[Margin notes: in orat. de hipopan. Domini. — Maria, nauis. — Luc. 11. — Allegoria petentis tres panes. — Allusio ad Heliã.]

nobis subcineritios panes portent; paruuli quotidie petunt panem, & nihil habemus quod frangamus eis. Mutua nobis tres panes in vno pane Cœlesti viuo. Quid tum? Num Virginem a suo depulit throno? An cœlesti eiecit palatio? Nihilne illa ardentissimis implorauit precibus? Impetrauit virgo, dedit Deus facta est Maria quasi Nauis. Sed quid ego Beatam Deiparam nauim appello; cum Nauis sit lignorum compactio, omnibus infaustis euentibus maris exposita, Maria autem, Diuinis manibus plasmata, ab omnibus periculis maris mundi huius libera? & nulli ventorũ omnia sus deque miscentium afflatui exposita? Cur potius Cœli nomine non eam dignabor. Cur non potius eam cum Andrea Hierosolymitano, Cœlum quod est Solis gloriæ tabernaculum agnominabo? sicut & reuera est Cęlum. Cęlum est sedes Dei, & B. Virgo fuit thronus Diuinus. Cœlum præ cæteris visibilibus est maxime adornatum; & B. Virgo præ cunctis Creaturis varietate donorum fuit dotata. Cœlum ex benignitate Diuina, stillauit populo escam illam mirabilem, de qua sapiens meminit. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de Cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem ostendebat, & deseruiens vniuscuiusque voluntati ad quod quisque volebat conuertebatur. Cœlum hoc animatum Beatissima virgo de suo vtero protulit, non manna, sed Panem illum viuum de Cœlo descendentem, Panem Angelorum, quo illi ab æterno in Cœlis vescebantur, Panem omne delectamentum in se habentem. Panem quem ipse Christus mannæ præposuit. Ego sum panis vitę. Patres vestri manducauerunt manna & mortui sunt. Hic est panis de Cœlo descendens vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur: sicut reipsa monstrãte præstantior, & nobilior, & suauior est hic panis quam manna. Et quoniã hæc melius contentione dignoscuntur, age cœlestis panis admirãdas partes ex mannæ collatione scrutemur.

Manna erat quid creatum, manibus Angelorum formatum. Panis hic qui de Cęlo descendit increatus fuit, Deus enim est verus, Patri consubstantialis atque coæternus. Et licet pars eius, puta caro & anima, & nerui & ossa & sanguis creata erant; non tamen manibus Angelorum sed virtute Altissimi

Maria Cœlum de quo Panis vitæ descendit.

in salut Angeli.

Ioan. 6.

Antithesis Mannę & corporis Christi.

mi, & Spiritus sancti operatione, in vtero Virgineo; nō in aere tenebroso formata sunt. Manna illa de cœlorum sublunari globo descendebat vt aiebat Psaltes, Panem de Cęlo præstitisti eis. Christus autem panis non de Cęlo Lunæ, sed A summo Cœlo egressio eius; sed de altissimo cœlorum vertice, sed de sublimi maiestatis inaccessæ throno, in quo admirando lumine effulgens, Beatorum spirituum agmine stipatus, suo aspectu omnes exsatiat cœlites: Christus de beato illo immortalitatis & delitiarum regno, imo de sinu Diuino & de secretis recessibus cordis summi & Altipotentis Patris emanauit atque ad instar fulgentissimę claritatis descendit. Exiui a Patre & veni in mundum, Ego ex ore Altissimi prodij, ante omnem primogenita creaturam. Manna erat subtile quiddam genus grani. Sed quid subtilius hoc pane Angelorum Christo Deo? Manna quidem partes habebat. Hic autem vt Bernardus docuit, non partibus constat vt corpus, non affectibus distat vt anima, non formis substat vt omne quod factum est, nō est verendum vt cogitatio transuolet illum. Quantumcunque in altum proficiat, vltra est. In terra, quod homo cogitare possit, altissimum quærere ridiculum est statuere ipsum, vltra non citra quærendus est. Quod si etiam de corporis subtilitate ambigitis, tantæ subtilitatis est vt ianuis clausis intret, & nulla locorum circumferentia comprehendi queat. Illud enim quod clauso Virginis vtero in mundum intrauit, illud quod ad dexteram Patris, non ruptis primo sepulchri sigillis, ac non effractis paradisi foribus intulit, illud inquam nobis pro alimento in terris, hoc in sacramento reliquit. Manna erat quiddam minutum. Et apparuit, inquit, scriptura minutum in terra. Panis iste, (attendite miraculum) maximum & minutum prorsus quidam est. Maximum, quia maximum illum Deum, qui tenet omnia, qui implet omnia, qui complectitur omnia, qui superexit & sustinet omnia, qui vt Gregorius testatur, nequaquam ex vna parte sustinet atque ex alia superexcedit, neq; ex alia parte implet atq; ex alia circumplectitur; sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet; sine inquietudine superius regens, sine latitudine inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumstans

Dei simplicitas 3.

Eucharistia maximum & minimum. 2.

cumstans; hunc inquam maximum Deum panis iste continet. Continet & maximum illud Christi verum corpus, ex Virgineis visceribus formatum, triginta & tribus annis per continuum augumentum ad iustam magnitudinem deductum. Accepto.n.pane & gratijs peractis, summus sacerdos Christus, benedictione facta dixit. Hoc quod in manibus teneo, quod vobis do ad vescendum, est verum, & indubitatũ corpus meum, quod pro vobis tradetur quod crucifigetur, & lancea perforabitur, accipite & manducate. Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Minutum aũt est, quia ex vi sacramenti (vt verbis S. Doctoris vtar.) non est ibi tanta quantitas corporis Christi, quanta est in Cœlo Dimensiones enim panis & vini non conuertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam. Si autem quæras, quomodo possibile hoc sit, vt in Sacramento sit totum Corpus Christi, & non sub tota quantitatis magnitudine? vide quomodo tota natura aeris in magno & paruo aere; & tota natura hominis in magno vel paruo homine; & tota substantia panis & vini in paruo vel magno pane, in magno vel paruo vase vini. sic tota substantia Corporis & sanguinis Christi, in hoc Sacramento post consecrationem continetur. 3.p.q.76 art. 1. & 4.

Eucharistia continet totum Christum quadire.

5. Manna erat quasi semen coriandri album & candidum. Sed quid purius, quid candidius Pane isto? quid nitidius Corpore Christi, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius? Apoc. 1. Hunc candorem monstrauerat quondam discipulis in monte Thabor, dum facies eius facta est splendidior sole, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Hunc candorẽ aspexit Ioannes exul, vidi inquit in medio candelabrorũ, similem filio hominis vestitum podere & præcinctum ad mamillas zona aurea; caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & quasi nix.

6. Accidentia Eucharistiæ.

Manna erat minutum & quasi pilo tusum; in similitudinem pruinæ super terram. Panis iste corporis Christi, nonne et suis inuolucris adumbratus est? ita vt aliud oculis corporis aliud oculis fidei intuamur; aliud palato corporis & aliud palato mẽtis gustemus. Aliud.n.est qđ visu corporis cernimus, & aliud quod solo fide comprehendimus: ita vt non immerito a qui-

a quibusdam vsurpatum sit illud. Vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau. videmus oculo corporis accidentia panis, albedinem scilicet & rotuditatem: oculis autem fidei illud ipsum corpus quod pro nobis in cruce pependit: illum ipsum sanguinem qui fusus est in remissionem peccatorum nostrorum: ipsum sed non eo modo, quo fuit in cruce. Nam neq; sub illa specie visibili qua pependit in cruce, sed ipsum quidem inuisibile sub uisibilibus panis & vini speciebus: neque quale fuit tum quum esset cruci affixum, corruptioni & morti subiectum, sed prorsus incorruptibile iam & immortale. Palato corporis gustamus saporem panis: palato autem mentis, illud corpus quod per clausum virginis vterum transiuit, quod clauso tumulo resurrexit, quod per clausas ianuas in eum locum vbi erant Apostoli ingressum est, corpus illud quod assidet lateri Dei in excelsis. Quis vidit vnquam talia? quis similia aspexit? vt sub speciebus vini, sanguinis substantia & sub specibus panis verũ corpus, sub speciebus argenti panis? sub speciebus auri oleum?, vel quævis alia essentia, sub proprijs accidentibus & vmbraculis alterius essentiæ contineatur? gustetur? Iste panis, qui de Celo scilicet vtero B. Virginis decoctus est, hoc proprium habet mirabile præ alijs. 7. Chri sudor & duritia qd.

Manna ad calorem ignis indurabatur, ad calorem autem solis liquæfiebat: hoc idem conueniebat corpori Christi, dum illud adhuc mortale circumferebat. Ad calorem ignis persecutionum, quibus insecutus fuit ab ingratis Iudæis, & quib. probauerat illum Deus (vt Psaltes in persona ipsius dixerat. Probasti cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti sicut examinatur argentum) indurauerat, per fortitudinem inuicti animi: posui te inquit Deus, in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram. Dedi te vt petram fortissimam & aciem tuam vt adamantem: Ad calorem vero solis, ardorem Luc. 21. scilicet amoris liquefiebat, Meministis illius liquefactionis, dum amoris igne succensus fuit, quia factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 8. Corpus Christi simul in pluribus locis.

Manna illud de Cœlo quidẽ descendebat, sed rursus in Cœlum non reascendebat; dũ in vno loco erat, aliũ relinquebat. Non sic est de pane isto corporis Christi. Christus descendit de

de Cęlo, & rediit ad Cœlum, Assumptum corpus intulit in Cœlum, non tamen desiit esse in terris: Virtute enim Diuina effecit, vt illud corpus quod sedet ad dexteram Dei supra choros Angelicos in propria specie, in aliena sit in terris; neque vllis locorum terminis circumcludatur; ita vt si reperiatur in hoc altari, vel hac Ecclesia, in altero altari & Ecclesia esse desistat. Apud Deum enim omnia possibilia sunt. & seipsum negare non potest. Promisit omnibus facientibus & manducantibus hunc panem in memoriam passionis suæ, se affuturum: Hoc facite ait quotiescunque manducabitis in meam commemorationem. seipsum negare non potest; Quotusquisque & quotiescunque consecrabit, adest Christus, non in passibili sed impassibili specie. Huius miraculi fidem fecit Christus ipse in vltima sua Cœna: *Ferebatur* (Secundum [a] Prophetiam Dauid & expositionem [b] Augustini atque [c] Prosperi Rheginensis Episcopi,) *totus in manibus suis*. Quomodo enim intelligatur in ipso Dauid secundum literã nõ inuenimus; hoc quomodo possit fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? manibus aliorum portari potest homo, suis manibus nemo portatur: in Christo autem inuenimus. *Ferebatur Christus in manibus suis*, quando commendans ipsum corpus ait. Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis: Portatus est, inquit Prosper, & Iesus Dominus in manibus suis, dum suum corpus in sanctificato pane, gestans manibus suis dixit: Hoc est corpus meum; quod pro vobis tradetur. Ferebatur & totus non diuisus in manibus Apostolorum, dum distribuens semetipsum dicebat. Accipite & manducate hoc est corpus meum, non pars corporis mei. Iam erat totus in specie visibili, mortali, & erat totus idem in specie inuisibili in sacramento. Idem & in sua propria specie, & sub specie panis, idem in seipso, in suis manibus, idem & in manibus Apostolorum: vt nullus in posterum vacillaret de hoc quod Paulus testatus est [d] Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? Corpus Christi est in Cœlis, est quoque & in terra. Sanguis Christi est in Cęlis, est etiam communicatio eius in terra.

Christus ferebatur in manibus suis quomodo.

[a] Psal. 33 titulus.
[b] sup. Ps. 33. titulum.
[c] Part. 2. c. 25. de prædictionib. & promissio.
[d] 1. Cor. 10.

Hoc

a in 1. ad Corint. c. 10. Hoc enim quod est in calice, a inquit Chrysostomus, id est quod a latere fluxit, & illius sumus participes. Cùm dico, benedicimus, Eucharistiam dico; dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio, & magna illa beneficia commemoro; etenim cum calice inennarabilia Dei beneficia consecuti sumus, Sed quænam beneficia? Amantes communicant suis vestes, aurum, argentum, & pecunias; sanguinem suum nullus ad bibendum propinat. Solus Christus hoc facit. b Helias melotem discipulo reliquit, Filius autem Dei ascendens suam carnem dimisit. Helias exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens abscondit. O miraculum. o Dei benignitatem c (idē alibi exclamat,) Qui cum patre sursum sedet, & in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere, & amplecti.

b Hom. 2 ad popul. Antioch.

c lib. 3. de Sacerdotio.

Manna illud in die sexto colligebatur in duplici mensura. Panis iste Corporis Christi in sexta ætate sæculorum in quæ nos deuenimus, in duplici mensura manducationis recolligitur. Spiritualiter si quidem & sacramentaliter corporaliter, a nobis non vt a Iudæis manducatur. Patres quidem nostri eandem escam spiritualem, (vt d Paulus asserit) manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt; sed non nobiscum vt e Chrysostomus & Theophilactus, Augustino contradicentes optime exposuerunt: Sed non eodem modo manducauerunt, si manducauerunt nobiscum vt f Augustino placuit. Quia illi spiritualē cibū spiritualiter tantū per fidē, nos aūt spiritualiter & corporaliter mādūcamus. spiritualiter quidē p fidē, quia spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam; carnalis intelligentia & manducatio carnalis sine spirituali non prodest quicquam, vt exposuerunt g Chrysostomus, Theophylactus & Euthimius, h Origenes & i Cyprianus. Hoc est ergo inquit Augustinus manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere & illum manentem in se habere; ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat eius carnem spiritualiter, licet visibiliter & carnaliter præmat dentibus Sacramenta corporis & Sanguinis Christi; sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, Man-

Eucharistia manducatur spiritualiter & sacramentaliter.

d 1. Cor 10.

e super Epist. ad Corinth.

f in Psal. 77.

g in 6. ca. Ioani.

h lib. 3. in epist. ad Roman.

i in serm. de Cæna Domini.

Q ducamus

ducamus autem sacramentaliter. Caro enim & Sanguis Christi verè est cibus, & verè, non fictitiè, nec spiritualiter tantum, est potus. Manducamus Sacramentaliter adacti præcepto Saluatoris. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sãguinem, habet vitam æternam, vt sancti Patres [a] Basilius, [b] Cyrillus Hierosolymitanus, [c] Theophilus Alexandrinus, [d] Epiphanius, [e] Theodoretus, [f] Damascenus, [g] Cyprianus. [h] Hilarius, [i] Ambrosius [k] Hesichius, [l] Eusebius, [m] Hieronymus, [n] Augustinus, [o] Leo. [p] Cassiodorus, [q] Sedulius, Primasius, [r] Gregorius, [s] Bernardus, [t] Thomas, cũ infinitis alijs docuerunt. Idem inquit Augustinus [u] in mysterio, cibus & potus Patrum antiquorum veteris testamenti, & noster; sed significatione idem non specie, quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. [x] Aliud est Pascha quod Iudæi de oue celebrant, aliud quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.

10. Manna illud habuit suo tempore contradictionem Iudæorum. Murmurauerunt enim in deserto, Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Maiores contradictiones sustinuit Panis iste Corporis Christi. Capharnaitæ suo tempore cũ multis discipulis Christi [y] scandalizati de Christo promittente dare nobis suam carnem ad manducandum, dixerunt. Durus est hic sermo, & quis potest eum andire? Quomodo hic potest dare nobis carnem suam ad manducandum? Nec in illis tãtum substitit hæc blasphemia; longe lateq; omnia tempora vsq; ad nostra quoq; infelicia, peruagata est. Simoniani & Menandriani sub ipsis Apostolis, secũdum quod Ignatius Smyrnensibus scripsit, Eucharistias & oblationes non admittebant, eo quod non confitebantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris nostri Iesu Christi. Iconomachi deinde sub Annum 700. vt refert septima synodus, [z] negabant Eucharistiam esse uerum Corpus Christi. Dicebant enim imaginem esse Christi ab ipso Christo institutam s. panem & uinum in Eucharistia, quæ repræsentant Christi Corpus & sanguinem. Successerunt postea alij, vt Ioannes Scotus sub annum 800. tempore Caroli Magni,

Hæretici circa Sacramẽtũ Euch.

a li. de Baptis. c. 3. b Catheches. 4. mystagogic. c lib. 2. Paschali. d Hæresi 55. e lib. 4. hyst. c. 11. f lib. 4. de fide c. 14. g li. 1. cõtra Iudæ. c. 21. h li. 8. de Trinit. i lib. 6. de Sacram. c. 1. k li. 6. in Leuit. ca. 22. l Hom. 5. de Paschat. m epist. ad Hedibiã q. 2. n Ser. 2. de verb. Apost. o Ser. 6. de ieiunio 7. mensis. p in Psal. 109. q in c. 10. & 11. 1. ad Corint. r li. 7. moral c. 4. s Ser. 1. de uigil. nat. t 3. P. Q. 79.

u in Psal. 75. x lib. 2. contra epist. Petiliani ca. 37. y Io. 6. z Act. 6. tom. 3.

gni; Bertramus tempore Caroli Crassi sub annum 886. Berengarius Ecclesiæ Andegauensis Archidiaconus. circa Annum 1050. Henricus quidam cum Petro Bruis circa annum 1140. Albigenses. Flagellantes, Ioannes vicles. Andreas Carolstadius Lutheri discipulus, Huldricus Zuinglius Tigurinus Pastor, Ioãnes Oecolampadius, Ioãnes Caluinus, omnes demum veteres & noui Nestoriani. Omnes hi eadem cymba vehuntur; omnes isticum Capharnaitis contra Christi Corpus & sanguinem murmurant, Durũ esse hunc sermonem causantes. Omnes vociferantur, sub speciebus panis & vini non nisi panis, non nisi vinum; omnes vno ore proclamant, Christi corpus in Cœlis residere. Panem vero hunc non nisi figuram seu imaginem Corporis Christi esse. O portenta, o monstra in vltimas terras deportanda. Quis aures suas ad tantas blasphemias non obturabit? Quis veritatem mendacij accusatam, æquo animo sustinebit? Quis tetros istos errores scripturis repugnantes, aduersantes Patribus, Christum mendacij arguentes, immotamente feret? Christus ipse iureiurando dicit, panem quem daturus erat in vltima Cæna, esse verum corpus suum. Amen amen dico vobis. Nisi manducaueritis, non dixit, nisi credideritis tantum, sed nisi manducaueritis, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis: & adhuc cum Capharnaitis quærunt? Quomodo potest? Dixit vobis olim Ambrosius quomodo potest. Potest sermone suo inquit, quo fecit omnia, illo sermone quo iussit & factum est Cœlum, illo sermone quo iussit & facta est terra. Iussit enim Dominus & factum est Cœlum. Iussit Dominus & facta est terra. Iussit Dominus & facta sunt maria. Iussit Dominus & omnis creatura generata est. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat: sed audi dicentem. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ergo vt tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quod iam corpus est Christi. Ipse dixit & factum est, ipse mandauit & creatum est. Quod si tantum potuit olim, vt sermone suo uxorem Lothi in statuam salis, virgam Moysi in serpentem, & serpentem

Murmur hæreticorum de sacramento Euch.

Ioan 6.

lib. de ijs qui initiantur sacris mysterijs. c. 5. & li. 4. de sacra. c. 4.

Christus poterat conuertere substãtiam panis in substantiam Corporis sui.

in virgam, aquas fluminis in ſanguinem, & ſanguinem in aquam, petram in ſtagna aquarum, amaritudinem aquarum in dulcedinem, virgam arentem Aaron in viridem, conuerteret & commutaret; cur non & modo potuit, panem in corpus & vinum in ſanguinem ſuum conuertere? Require, ait Emiſſenus, quid ei poſſit difficile, cui facile fuit viſibilia & inuiſibilia voluntatis imperio ſuſcitare? cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, in imaginé etiam ſuæ diuinitatis induere; cui promptum eſt eum rurſum reuocare de inferis, reſtituere de perditione, reparare de puluere, de terra in Cœlum leuare, de homine Angelum facere, corpus humanum conforme corpori claritatis ſuæ reddere, & figmentum ſuum in regni conſortio ſublimare; vt qui corpus noſtræ fragilitatis aſſumpſerat, nos in corpus ſuę immortalitatis aſſumat. Quid ergo mirum eſt, ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata conuertere? Imò minoris uidetur eſſe miraculi; ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, iam conditum in melius valeat commutare. Non enim minus eſt, nouas rebus dare, quam mutare naturas. Hom. 5. de Paſchate.

Chriſtus veritas iureiurando promittit; Amen amen dico uobis, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur, ſed viuat in æternum. Credere iſta præcepit, non ſenſu inueſtigare. Dum enim videret quoſdam diſcipulos de hoc murmurantes, dixit eis. Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? ac ſi diceret. Modo ſcandalizamini, eo quod dum inter uos ſum, promiſi vobis dare carnem meam ad veſcendum; quaſi hoc ſit potentiæ meę repugnans, vt & integer permaneam in memetipſo, & integer ſim in manibus veſtris, & integer manducer a vobis. Quid tum erit, quádo aſcendam ad dexteram Patris? Quid dicetis? An non ſcandalum paſſi murmurabitis in hæc verba? Chriſtus eſt ad dexteram Dei: quomodo ergo hic corpus ſuum ad manducandum reliquit? Quomodo, accipite & mãducate & facite in meam commemorationem corpus meum, veritati conſonum eſſe poteſt? Sed fide & ſpiritu hic opus eſt. Caro ſ. carnalis intelligentia non prodeſt quicq̃; humana & carnalis cogitatio procul hinc faceſſant; verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt & vita; cogitatione Ioan.

tione spirituali & ex fide atq; inspiratione Cęlesti excitata intel ligenda. Sed, inquit, sunt quidam ex vobis qui non credunt. Et sunt etiam modo qui non credunt: qui oggauniunt, Durus est hic sermo. Verum quidem est quod sensui durus est hic sermo, Tñ non deberetis disputare, aut iudicare; sed captiuare intellectum suum in obsequium Christi: sed tacere, accedere cum fidei lumine, & charitate ardente, credere veritati de ueritate corporis suis asserenti. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mũdi vita. Dicat quicquid velit omnis homo mendax, credere oportet Deo, qui solus est verax. Etiam si Angelus de Cœlo vobis aliud annunciasset, quam quod Christũ Dei filium dicentem audistis, anathema pronunciare oportuit. Non enim potest mentiri veritas, verbum Domini manet inæternum. Sensus nostri falli possunt, Christus qui est veritas, neque falli potest neque fallere. Fide & non discussione hic opus est. Quod si in tanta maiestate vasa sanctuarij veteris, voluit Deus habere, vt Moysi præceperit, Cum inquit inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium, & omnia uasa eius in commotione castorum, tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & non tangant vasa Sanctuarij, ne moriantur. Quid æstimandum est de hoc Sancto Sanctorum Corpore suo? An fidei operimento ea non uelauit? An non prohibuit ne illa tactu sensus curiose tangamus, & inuestigare velimus? An non comminatus est mortem, *Deum in hoc Sacramento manibus suis, & in nocte infidelitatis exquirentibus?* Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. In lege mandabat Deus, vt quod residuum esset ex agno, eò quod manducari non posset, igne combureretur Idem vult Deus in hoc cœlesti pane & Agno Diuino; ut quod ex eo edere non possimus, igne cõburamus. Si quid ex hoc altissimo mysterio intelligere & penetrare non possumus; si quæ sunt ut ossa, igne fidei comburamus. spiritus est qui uiuificat, carnalis intelligẽtia nihil prodest. Si capere non potes, quomodò corpus Christi tã grande cũ sit, a tam minima quantitate comprehendatur; igne fidei cõbure, dicito. Credo Dñe vera esse oĩa quę dixisti. Si durũ tibi videtur vt vnum corpus sit in tot & tam diuersis locis, in cęlo & in tot Altaribus: igne fidei combure, dicito. Credo Dñe, quia es ueritas quæ fallere nescis. Si durus est tibi sermo quod fra-

Num. 4.

Eucharistia fide contingẽda.

Allegoriæ quo Euch. cõtingen.

cto demũ. Sacramento, tantũ est sub fragméto quantũ toto tegitur; non vacilles sed memento, igne fidei comburere. Credo Domine, adiuua (si vacillas dices) incredulitatem meam.

Christus veritas, nocte illa in qua tradebatur, accepit panẽ & gratias agẽs benedixit, fregit & dixit. Accipite & mãducate. *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur. hoc facite in meã commemorationem. Similiter & calicem postquam cænauit dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Non dixit, Hic est corpus meum, vt cauillatur Carolstadius. Frustra enim diceret, hic sedet corpus meum; cum Apostoli non erant accæcati vt illud non cernerẽt: siue non erant adeo stupidi, vt admonitione ad videndum illud egerent. Deinde quæ congruitas locutionis est accipite & manducate quia hic sedeo? Non dixit Hæc tota actio cænæ repræsentat corpus meum, vt Ioannes a LaKco commentus est. Quæ enim explicatio, hoc est corpus meum, hęc actio cęnæ, manducatio, potio, lotio pedum est corpus meũ? Quæ repræsentatio corporis, per lotionẽ pedum, vel per comestionem? Non dixit, Hoc panis repræsentans corpus meum, est corpus meum, vt Zuinglius: Hoc enim & hic sunt diuersa; nec vnum potest pro altero poni. Rursus falsum dixisset Christus, Hic panis est corpus meum, vt enim imago repræsentans Hyacinthum, non potest dici, hoc est Hyacinthus; ita panis qui erat figura, secundum Zuinglium, corporis Christi, non potest recte cognominari, hoc est corpus meum; quum panis & corporis sint diuersæ substantię. Deinde eodem modo esset assumendum. Hoc in consecratione calicis sicut & panis. Ita vt cum dixit Christus, hoc est corpus meum .s. hoc panis est corpus meum; deberet dicere. Hic est sanguis meus, hoc calix est sanguis meus. Contra quod Lucas manifesto proclamat dicens, Hic calix nouum testamẽtum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur, & apertius Marcus. Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro multis effunditur. Nemini vero dubium est, non panem sed corpus Christi quod tunc distribuebat esse crucifixum, nullus ambigit sanæ mentis, non vinum sed sanguinem Christi quem tunc propinabat esse diffusum. Non dixit metaphorice. Hoc est corpus meum .s. corpus meum

Math. 26.

Hæreses circa explicationem verborũ Consecrationis recitantur & refutãtur.

Carolstadius.

Laxco.

Zuingli⁹.

a In ann. not. ad 2. Apologiam Iustini. b lib. de uera & fals. relig. c lib. de Cœna Domini. d

meum est hoc .s. panis, quia nutrit animas & reficit ad modum panis. vt a voluit Langus. Si enim non dedit Apostolis corpus suum, sed nudum panem; debuit explicare non efficaciam corporis sui sed virtutem panis, Debuit dicere. Panis est hoc .s. corpus meum, quia reficit significando corpus meum. Non dixit. *Hoc est* .s. significat corpus, vt b Zuinglio c Caluino & d Bezæ placuit. Stultum est enim vocem illam quæ nihil significat nisi coniunctionem vnius cum altero, aut ipsum esse commune cum omnibus rebus, comminisci tropum aliquẽ habere. Imperitus est. n. sermo. Petrus est homo .s. significat hominem. Hoc est corpus meum .s. significat corpus meum. Non dixit, *Hoc est corpus meum*, idest huic pani communicari idiomata, vt .s. possit vocari corpus meum, & vicissim corpus meum vocetur panis vt e Boquinus chymerizauit. Communio etenim idiomatum tantummodo oritur ex vnione hypostatica; vbi vna persona subsistit in duabus naturis, vt clarum exemplum habemus de Christo Domino qui est ex anima & corpore, & Diuinitate in vna hypostasi consistens. Dicitur enim Deus passus, crucifixus, mortuus, natus, ratione humanæ naturæ: Dicitur rursus homo dimittens peccata, iustificans, resuscitans mortuos, ratione Diuinitatis. Hic autem nulla adest vnio hypostatica; non enim Christus est ex Diuina & humana & panis natura. Quare neque potest dici Panis est corpus Christi, Panis est animatus, vnitus Diuinitati, Panis est Deus, creator, Panis est crucifixus, mortuus, sepultus, Panis resurrexit & ascẽdit in Cœlum; nec vicissim potest dici, Deus seu Corpus Christi est rotundum, album, triticeum, vitę expers, sine intellectu, sine sensu, sine iudicio, sine ratione: quale est ineptum figmentum Boquini. Non dixit. *Hoc est corpus meum* scilicet figura seu signum corporis mei vt f Ioannes Oecolampadius & g Caluinus confinxere: nusquam enim in sacris literis, corpus Christi reperies pro signo, nisi pro vero corpore & naturali ipsius, vel pro corpore mystico acceptum. Nisi forte velit Oecolampadius cum Caluino, verum & naturale corpus Christi, quod Christus verbis suis demonstrauit Hoc est corpus meum, esse signum sui ipsius. Non dixit *Hoc est corpus meum* mysticum, vt quidam

e in examine lib. Hesshusii.

Langus. Beza. Bocquinus. Communio idiomatum quando licita. Oecolampadius Caluinus

Caluinistæ. Caluinistæ interpræta ti sunt. Non enim corpus mysticum, non Apostoli dati sunt pro nobis in crucem, sed corpus verum. Non corpus mysticum Christi seu Ecclesia, est sanguis noui Testamenti; nec pro nobis effunditur in remissionem peccatorum. Non dixit *Hoc est corpus*: hic panis est corpus, a me factum & creatum, ego enim sum qui dedi corporeitatem pani. vt a Lutherus b cum Ioanne Campano per risum effutierunt. neque enim vt dixi panis vel vinum passa sunt in remissionem peccatorum. Quod si esset panis simplex, illud quod communicabat, frustra gloriaretur se daturum suis panem præstantiorem quam manna. Frustra præponit imo ineptè præponit panem a se datū cœlesti mannæ, cum manna sit panis manibus Angelorum confectus, panis autem Eucharistiæ manibus pistorum. Manna pluebat e Cœlis; panis iste ex fornace extrahitur. Manna habuit omnem saporem secundum gustum cuiusque; panis nihil nisi panem sapit. Manna erat dulcior melle: panis panem sapit. Frustra & falso Christus pronunciauit. Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis Panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis autem verus est qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt. hic est panis de Cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Quod si Eucharistia nihil nisi panis esset, quomodo viuificaret in æternum? Pane enim etsi quotidie vtamur, moriamur necesse est.

Luterus.

Quomodo ergo intellexit Christus Hoc est corpus meum? Ad eum modum quem Patres secuti & Paulum & Ecclesiam mirifice in terpræta ti sunt. HOC c quod in manibus teneo, d quod antea erat panis, nunc e est non significat corpus meum: EST CORPVS MEVM d non figura corporis mei. hoc est corpus illius, f qui fabricauit mundum; est corpus Verbi per quod verbum facta sunt omnia, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, dat primum quidem fænum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. g est corpus illius cui dicit Deus, sede a dextris meis, cuius etiam fuit inimicus Diabolus cum malis potestatibus, & Iudæi, & Græci. per quod corpus Pontifex & Apostolus fuit & dictus est, per id quod nobis tradidit

Concatenata ex Patribus expositio uerborū consecrationis.

a in li. q̄ verba Domini firmiter stāt bcestatur Luterus. in sua breui cōfess. an. 44.

c D. Th. 3. par. q. 78. art. 2. & 5.

d Guitmundus lib. 2.

e Euthimius in c. 26. Matth.

f Teophilact. in c. 28. c. Matth. & 14. Marci. & 6. Ioan. Paschasi in libello de institutione sacramenti & lib. de corp. Domini.

g Irenæ. lib. 4. cōt. hæres. ca. 34.

h Athanasius. citatus a Theodoreto in 2. Dialogo. orat. de fide.

tradidit mysterium dicens; *Hoc est corpus meum* quod pro vobis frangitur, & sanguis noui testamenti non veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas autem neque corpus habet neque sanguinem. *Hoc est corpus meum* quod de vtero Mariæ clauso & intemerato extuli; [a] quod mare dorso suo pertulit; quod Magi reueriti sunt, & viri impij, & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore maximo adorarunt; *Hoc corpus* afficiendum in cruce, non tamen a morte vincēdū. *Hoc corpus* sol crucifixum aspiciens, radios suos auertet. propter hoc & velum templi scindetur; & petræ atque terra vniuersa contremiscet. *Hoc est corpus*, quod cruentatum, & lancea vulneratū, fontes sanguinis & aquæ vniuerso Orbi salutares scaturiet. propter hoc corpus vulnus insanabile accipiet mors & Diabolus; vires amittent; Ab hoc corpore Diabolus capietur & & detinebitur· Ab hoc corpore quod vobis do, Diabolus aufugiet. *Hoc est corpus* quod iniectum sepulchro rediuiuum apparebit, quod enim fecit Daniel in Babylonico dracone, quando accepto cibo crepuit medius, idem mihi eueniet; per os mortis erumpam, & exiliam de sepulchro. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. *Hoc est corpus meum*, [b] in quod, neč Angeli poterunt prospicere [c] in cuius consecratione ad sacerdotis vocem cœli aperientur, aderunt chori Angelorum, summis ima sociabuntur, terrena Cœlestibus iungentur, vnum quid ex visibilibus atque inuisibilibus fiet. *Hoc est corpus meum*, quod post consecrationem [d] Angeli horrescent, neque liberè audebunt intueri propter emicantem inde splendorem. Id enim tempus, ait idem Chrysostomus, & Angeli sacerdoti assident & Cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem qui immolatur Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio quod tunc peragitur. Ego vero (inquit idem) & commemorantem audiui tum diceret senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse; se tali visione olim dignum habitum a Deo fuisse; ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus affectus humanus ferre poterat) fulgentib. vestib. indutorum, altare ipsum circundantium: denique sic

a Chrys. in 1. Cor. c. 10.

b Hesichius lib. 2. in Leuit. c. 8.

c Greg. lib. 4. Dialog. c. 58.

d Chrys. hom. 60. ad popul. & lib. 6. de sacerd.

Eucharistiā adorant Angeli assistentes.

Euchari-stiæ effe-ctus. capite inclinatorum, vt si quis milites præsente Rege stantes videat. Sed vt ad priora reuertamur. *Hoc est corpus meũ* a quod supra Cœlos etiã residebit; quod ab Angelis suppliciter adoratur. b *Hoc est corpus meum*, propter quod non amplius terra & cinis, non amplius captiui sed liberi eritis. propter qd, Cœlum & ea quæ in eo bona sunt accipietis. propter hoc corpus quod vobis porrigo, immortalem vitam, Angelorum sedes, meam in Cœlis consuetudinem adipiscetis. propter hoc corpus quod accipite & comedite c non solum per dilectioné sed reipsa in me conuertemini. per hoc corpus me vobis commisceo, & in vnum vobiscum me redigo vt vnum simus caput & membra. Per hoc corpus futuræ beatitudinis vos participes efficios. Parétes sępenumero liberos suos alijs alendo.dederunt; ego autem mea carne vos alo, me vobis exhibeo, omnibus faueo, vobis optimam de futuris spem præbeo. Qui in hac vita ita me vobis exhibeo, multo magis in futura, vester ego frater esse volui, communicaui carnem propter vos & sãguinem, & per quæ vobis cõiunctus sum, ea rursus vobis exhibui. Propter hoc corpus quod vobis distribuo d corpus vestrum immortale erit. Vt enim parum fermenti totum massam sibi similem reddit, sic & corpus meum quod fiet immortale & vestrũ corpus ingrediens totũ in se transferet & commutabit. Nam vt pestiferum cum salubri commistum, illud efficit perniciosum; sic & corpus immortale, reddet totum illud in quo suscipietur naturæ simile immortali. *Hoc est corpus meũ verũ, quod pro vobis tradetur, accipite & manducate.* Hic est sãguis, noui & ęterni testamenti. *Hic calix quem teneo est sanguis*, non sanguinis figura aut signum, Est sanguis qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Hic sanguis* quem aureum altare significauit. Hic sanguis ab dita & Sancta Sanctorum purgauit. Huius sanguinis figura Hebræos a vastatore Angelo liberauit. Sine hoc princeps sacerdotum in penetralia ingredi non audebat; hic sanguis sacerdotes faciebat; hic sanguis in figura peccata purgabat. Hic vestrarum animarum salus est, hoc lauabitis animas vestra, hoc ornabitur, hoc incendetur, hic igne clariorem vestram mentem reddet, & auro splendidiorem. Huius sanguinis effusio cœlum peruium faciet, Hic sanguis est fons lucis diffundens

Sanguinis Christi efficacia & fructus.

a Chrys. hom. 3. in epist. ad Ephes. & b idem in 1. Cor. c. 10.

c idẽ ho. 45. in Ioã

d Nissenus in orat. Catheche tica c. 36. & 37.

Chrysost hom. 45. in Ioan.

dens radios veritatis, Huic supernæ astabunt virtutes fluctuum eius pulchritudinem inspicientes, hic sanguis præfiguratus est semper in altarib. & in iustorum cædib. hic orbis terrarum decus est. Hic est quo ego emam, & quo vniuersam ornabo Ecclesiam. Qui huius sanguinis sunt participes, cũ Angelis & supernis virtutib. commorabuntur. Desiderastis, quis det nobis de carnib. eius vt saturemur? Cum ardore anhelastis ad hunc fontem viuum? Hoc est corpus meum, accipite iam & mãducate, Hic est sanguis meus accipite & ex eo bibite. Manhu? Quid est hoc? Mi dulcissime Iesu quid est hoc? manhu. Quod consilium altum? quæ misericordia excelsa? Quod beneficium immensum? Quæ memoria mirabilium quæ tu facis? Tu es supremus Monarcha mundi, summus moderator vniuersi, primus gubernator omnis creaturæ, Tu es summa tibi ipsi fælicitas, immensus, infinitus, æternus, immortalis, incomprehensibilis, incircumscriptus, Tu es vita, potentia sapientia, bonitas, & perfectio nullius indiga, Qui in Cœlis te temetipso pascis, qui in Cœlis es Cib. Angelorum, Quid est hoc? Quod nam est imẽsum pelagus charitatis tuę? Quę nam fornax succensa flagrantis tui amoris, vt te, tuum corpus in cibum, tuum sanguinem in potum dederis? Quis hic loquetur, potentias Domini? Quis pastor vnquam suis membris oues suas nutriuit? Quæ mater abscisso brachio propriũ infantulũ morti vicinũ refecit? manhu?

Exod. | Apostrophe ad Christũ in Euch.

Hęc autem quę ex Patribus allata sunt; an conueniat simplici pani, si Eucharistia panis est & vinum; & nón corpus & sanguis Christi vt comminiscitis, vos, vos iudices appello. Quando vnquã panis de vtero virgineo exiuit? Quando fuit illud tẽpus, cũ panẽ & vinũ Magi reueriti sunt in præsepio? Quando panis vnquam Cruci suffixus, lancea transfossus, fontes sanguinis profudit? Panem, licet ne consedere ad dexteram Dei & ab Angelis vix aspici? Panem, licetne ab Angelis in consecratione adorari & venerari? Potest ne panis cęlum aperire, sedes Angelicas præparare, cum Christo re ipsa vnire, immortalem vitam conferre & alia quæ attribuuntur corpori Christi efficere? Nequaquam. Si calix sanguinis Christi est vinum purum. quomodo vinum purum per sanguinem figuratum? quomodo vinum purum a cæde Angelica liberabat, sacerdotes faciebat, peccata, purgabat? Si Calix Sanguinis Christi est

Euch. siso lum panẽ continet, quid sequitur.

Calix

dem, vt ficut sponsa experta est dulcedinem tuam, Comedi inquit fauum, cum melle meo, ita & nos experiamur. quam dulcis es intellectui te aspicienti, quam suauis voluntati te amanti, cordi in te quiescenti, memoriæ de te meditanti, sensibus tuę voluntati in sanctificationem obtemperantibus. Fac tandem, vt & nos cum Dauide, satiati suauitate tua præ gaudio vociferemur. Quam magna multitudo dulcedinis tuę

Psal. 30. Domine, quam abscondisti, nobis autem abscondisti, timentibus te. perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. ¶ Manna habebat omnis saporis gustum, Deseruiens enim vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. Multo plura habet hic Panis. Habet enim omnem

Sap. 16. sufficientiam, omne bonum, & omnem benedictionem. Cum enim Eucharistiam (aiebat Chrysostomus, iam citatus,) dico, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio. Animaduertunt nonnulli, non minus docti quam pij, Cur Isaac Patriarcha, 12. Eucharistia omne bonum.

Genes. 27 Esau accedenti vt benedictionem acciperet, ad illam instantem supplicationem. (Nunquid nō reseruasti mihi benedictionem,) in hęc verba respondit. Frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi ultra quid faciam? Dicito Pater sancte, nunquid omnes benedictiones tuæ in panis & vini summam rediguntur? Prænotauit sanctus Isaac, quod in pane isto Cælesti & in Calice Diuino, omnes thesauri Diuinæ bonitatis compræhenduntur; ita vt prius appetitus volentium aliquod bonum ex hoc Sacramento deficiat, quam hic panis nō omne illud quod cupiunt efficiat. Quid enim de esse nobis potest in Deo? Quid optare quis potest, & non erit ei Deus? Vitæ immortalis desiderio teneris? Qui manducat hunc panem uiuet in æternum. Pulchritudinem animæ optas? Anima rationalis cum sit creatura, corpori quod informat esse tum pulchritudinem tribuit, scilicet oculis perspicacitatem, vultui elegantiam, vniuerso corpori fortitudinem & sensum; qualis erit decor quem dabit Christus homini interiori? Quam viuacitatem intellectui tribuet? Quos affectus & desideria sancta in voluntate generabit? Quam pulchritudiné in toto rationali spiritu efficiet? Vis esse Diuinitatis consors. Cibus iste est cibus grandium, cresce, inquit, & manducabis me, nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Ambulare vis? ego inquit sum

Allegoria benedictionis Iacob.

uia.

via. Falli non vis? ego ſum veritas. Mori non vis? ego ſum
uita. Omnia habemus, ait Ambroſius, in Chriſto & omnia
in nobis Chriſtus. Si a vulnere curari deſideras, medicus eſt.
Si febribus æſtuas, fons eſt. Si grauaris iniquitate, iuſtitia eſt.
Si indiges auxilio, virtus eſt. Si mortem times, vita eſt. Si te-
nebras fugis, lux eſt. Si Cœlum deſideras, uia eſt. Si vin-
cere hoſtes deſideras. Paraſti in conſpectu meo menſam ad-
uerſus eos qui tribulant me: ſic de iſto cibo cecinit Da- Pſal. 22.
uid. Menſa enim iſta cœleſtis, uires contra inimicum tribuit.
13. Manna (ut breuiter alia recolligamus) tantū continebat corpo
reum quid, ſine gratia. Panis iſte habet in ſe gratiam Diuinam,
14. imo ipſum authorem gratiæ. Manna fouebat corpus. Panis
15. iſte, nutrit & animas. Manna qui manducabant non con
16. ſeruabantur a morte. Qui manducat hunc Panem uiuet in
17. æternum. Manna non præſeruabat a corruptione, immo ip-
ſum corrumpebatur, Panis iſte incorruptibiles facit. Man-
na reficiebat corpora antiquorum, quouſque attingerent ter-
ram Chanaam. Panis iſte reficit, quouſque ueniamus ad ſe-
des illas beatas. Quid hic dicemus? Non obſtupeſcemus ad
tanta mirabilia dona panis iſtius? ad tantam benignitatem
& charitatem Dei? ad tantam dignitatem noſtram? Glo-
riabaris o Dauid, quod non fecit ſimilia, ut Iſraeli, omni
nationi: ecce fecit maiora & excellentiora nobis: Nos uſur-
pare poſſumus uerba hæc, non fecit taliter omni nationi, ut
nationi Chriſtianæ. Gloriabaris ò Sacer Moyſes, quod nul-
la gens habeat Deos, ſic appropinquantes ſibi, ut Deus
aderat Iſraeli; ecce magis adeſt nobis; uobis in umbra nobis in
ueritate, uobis in figura nobis in re, uobis ī ſtatua nobis ſeu in fu
mo, nobis in hoc pane, nobis in cibo, Guſtate. N. quā ſuauis eſt
Dominus. Guſtate quod Deus eſt ſumma ſuauitas ſomni ſua-
uitate dulcior. Sed non carni & ſanguini, non captiuis Aegy-
ptijs mundi huius. Manna illud non erat cibus populi Iſrae-
lis, dum erat in captiuitate Aegypti: ſic qui captiuus tenetur a
uitijs mundi huius, qui guloſitate, luxuria, auaritia & ſuperbia
o brutus iacet, qui laſſatus eſt in uia iniquitatis, & cui non eſt
ortum lumen in tenebris; non poteſt manducare panem hunc.
Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat
& bibit non diiudicans corpus Domini. Qui regiam purpu-
ram

ram coinquinant (dicebat Chrysostomus) haud secus quam qui scidunt puniuntur, Quid mirum si immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt? Manna erat cibus filiorum Israel, postquam transierunt mare rubrum. Mare rubrum pęnitentiæ ruboris & lachrymarũ oportet vt trãseat, qui vult vesci hoc pane. 19.
Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Allegoria sudoris.
Gen. 3. prius oportet sudare lachrymas quibus eluas peccata, & post vesceris pane tuo, pane Angelorum. Manna colligebatur in matutino ante solis ortum. Panis iste cito est manducandus, non prolonganda communio sacra. 20.
Qui enim famem corporis patitur, non procrastinat sed statim quærit cibum. Anima nostra fame moritur, & omnes ad fæsta Paschatis, (& vtinam etiam in Paschate, reficiatur ad vitam non ad mortem,) expectamus. Gustate & videte, Gustate sed filij non serui, sed non captiui peccatis, gustate sed post pęnitentiam & fontem lachrimarum, gustate sed cito, feruenter, frequenter, alacriter, humiliter, & videbitis quam suauis est Dominus; quam dulcis est ista dulcedo, quæ allata est nobis a Virgine, & quam nobis Cœlum istud animatum protulit. Finem hic facio cum Damiano. (in ser. de Nat. Mariæ.) Hinc perpendite rogo dilectissimi quam debitores simus huic Beatissimæ Dei genitrici, quantasque illi post Deum, de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi quod Beatissima virgo genuit, quod in gremio fouit, quod materna cura nutriuit, illud inquam absq; vlla dubietate non aliud nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramento nostræ redemptionis haurimus. Hoc Catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet. Cuius cibi dulcissimi, conuiuas dignos nos efficias Christe Iesu per merita sanctissimæ matris tuæ Amen.

SPES

SPES.

SPES NON CONFVNDIT. Rom. 8. cap.

CONCIO QVINTADECIMA.

In qua ſperandum eſſe in Deo & Virgine Sanctiſſima, & Hæreticis & Catholicis oſtenditur.

EXCELSVM Dei ſuper deducendis ad æternas, eaſque Beatas ſedes hominibus conſilium, qui primus mirabile agnominauit, a vero proculdubio minime aberrauit. An non mirabile eſt, hominem de limo effictũ, terræ incolam, animalium more cæterorum viuentem, nonniſi terrena ſapientem, paſſionibus ſiue illis quæ amorem, ſiue illis quæ iracundiam radicem habent, ſuccumbentem; corruptioni obnoxium, miſeriarum cumulo, ac demum morti quæ terminus eſt illarum ſubiectum, in tantam ſuſtolli celſitudinem vt in alterum virum Spiritu Diuino mutatus, Cœli ciuis & aſſeſſor Beatarum mentium eſſe mereatur? Cæteri obices qui difficile hoc opus mirandum efficiunt, etſi magni ſint, illa tamen diffidentia quam habebat homo de aſſequendo ſtatu iſto adeo fælici, maximus eſt. Conſiderabat homo arduum eſſe ſcandere Beatas ſedes, mortalem fieri immortalem, terreum effici Cœleſtem, ex animali ſpiritualem, ex miſero fælicem & illa fælicitate quæ mentem atque captu excedit cuiuſque, quæ in cor hominis non aſcendit: ex homine Deum non Angelum modo, non .n. Angelicæ ſed Diuinæ naturæ conſortes fiunt hoĩes. Dicebat intra ſe. Illa ſunt ſublimia, altiſſima, & Diuina: ſublimẽ quoque, & Diuinum poſſeſſorem ex poſtulãt. Ego vero quid, puluis

Hominis diffidentia de aſſequẽda beatitudiue.

pulũis & cinis, in sordibus genitus, in tenebris fotus, in doloribus natus, homo nudus & pauper, & miser & miserabilis, homo de terra formatus, conceptus in culpa, natus ad pœnã, natus ad laborem, timorem, dolorem, quodque miserius est, ad mortem. Ad quem ergo modum, methamorphosim hanc mirabilem ego perpetiar? Quis mihi manum porriget suam, meque de stercore leuabit & eriget, vt sedeam cum principibus atque solium gloriæ teneam? Aspiciebat antę paradisi januã, Angelum iustitiæ flammeum vibrãtem gladium, eoq; oĩa probantem; & si vel minima labe aspersæ carnes aliquæ sint exurentem. Ego uero, inquiebat, in iniquitatibus conceptus sum, Ego non puluere sed luto uitiorũ oblitus, & fædatus; quomodo ante faciem tanti ardoris subsistere possum? Gladius meus, ait Deus, deuorabit carnes, De cruore occisorum & de captiuitate nudati inimicorum capitis. Ego uero caro sum sanguinibus peccatorum conspurcata, in me sanguis sanguinem tetigit, ego nudatum caput animæ, depilatum donis & virtutibus, gratiæ & iustitię pileo spoliatum habeo. Caro & sanguis dixit quidam, Regnum Dei non possidebunt. Ad quem ergo modum ego caro & sanguis nudatus, ab hoc gladio non consummabor? Quomodo in atria cœli vestigia pedum meorum infigam? Intuebatur Ciuitatem illam sanctam habentem claritatem Dei, plenam omnium bonorum, sed introitum angustum habentem, & in præcipiti positam, vt sit a dextris quidem ignis, a sinistris aqua alta, semita autem vna sola est inter eos posita, hoc est inter ignem & aquam, vt non capiat semita, nisi solummodo vestigium hominis. sciebat nihil coinquinatum in eam intrare posse, aut abominationem faciens, & mendacium. Quo nam ergo pacto, ego tantum periculum subibo? Quonam modo adeo arctam semitam gressibus meis incedam? Ad quem modum ego mendax & odibilis Deo & inquinatus tabernaculum hoc non manus factum introibo? Quid ergo fecit Deus? quonam consilio vsus est, vt admirãdum certe opus glorificationis humanæ ad optatum finem deduceret? Admirando profecto. Diffiditis, inquit ad homines, uos posse pertingere ad thronos cœlorum? Ambigitis vos nequaquam exaltaturos capita supra sydera? Extra opinionem vestram est, uos unquam transituros excubias Cherubini, Paradisi fores custodientis?

[Left margin: Deu. 32. — 4. Esdræ. 7. c.]

[Right margin: Allegoria Ciuitatis Esdre. — Deus quo consilio usus est in eleuãdo homine.]

ria, inquit, spes nostra dicatur, quomodo eam enim impio (intelligit autem de hoc salutari salue quod explicamus) illo & insalutari salue Regina salutant, horret animus cogitare nedum lingua eloqui. Spem enim nostram dicere non possumus, nisi simul etiam Deũ nostrum dicamus. ¶ Horret animus meus dilectissimi, cogitare nedum vobis lingua eloqui, has nefandas seminis Cain & Iudæ proditoris blasphemas voces. Quid enim? An non isti Caino & Iudæ progeniti sunt, qui spem præsumptionem vocant? An non Cain & Iudas desperationis barathro illapsi, spei anchora reiecta misere naufragati sunt? Sic & isti dum spem virtutem Diuinã, temere repudiant; quid aliud nisi in desperationem sperantes protrudunt? Quid aliud nisi ad infernum vi animas ire cõpellũt? Quid aliud nisi laqueum Iudæ, vel internecionem Cain fidelibus struunt? Et vel vtinam eorum solum, qui adeo crudi, & feri sine spe & sine misericordia sunt, & alios esse volunt, iugulũ siue laqueo Iudæ, siue mucrone Lamechi si resipiscere nolunt sed magis alios seducere, conficiatur. Velim a vobis o aduersarij didicisse. si desperatio est virtus, an uero vitium? Primũ a nemine dici potest, cum nemo ob virtutem puniatur. propter desperationem autem Cain & Iudas pœnas dederunt. propter desperationis illa verba, maior est iniquitas mea quã vt veniã merear, Cain maledictus profugus mansit in terra, & post vulnere concisus occubuit. propter desperationem Iudas laqueo vitam finiuit. Iudam.n. traditorem, dixit Augustinus, nõ tã scelus quod commisit, quam indulgentię desperatio fecit penitus interire. Sceleratior secundum a Leonem, omnibus Iudas & infælicior extitit, quem non pœnitentia duxit ad Dominum sed desperatio traxit ad laqueum b Desperando augentur peccata. c Desperatio certa mors est, desperatio homicida est animæ. d Incumbit virtuti sæculi qui desperat de adiutorio Dei, e Illius æternæ Ciuitatis ianuas, nobis desperatio claudit. f desperare est in infernum descendere. g Ipse se in æternum punit, qui ad verum iudicem non recurrit per spem. Cur ergo adeo diri, adeo immanes & tam feroces estis, vt animas humanas Deo subducentes, flagitiosis immundisque satellitibus Dæmonis illudendas per desperationem tradatis? impuris eorum congressibus substerni cogatis? Cur dæmonib. vehemẽter

Hæretici semen Chain & Iudæ.

Hęretico rum immanitas.

lib. de utilit pęnit. agendæ. a in serm. b Aug. ubi sup. c Amb. supra Luc. lib. 2. d Ambr. e Chrys. de reparat lapsi. f Isid. r. de summo bono lib. 2. g Hugo lib. de uera sap.

atque immanissime perditionem nostram desiderantibus, viā ad pertrahendas animas commonstratis? aperitis? Cur dæmones in illorum conatibus adiuuatis? Quænam hæc violentia? quæ vastitas? Quæ in seruitutem, & seruitutem perpetuā, seruitutem cui non præmia sed flagra, sed catastæ, sed ignes, sed serpentes sed stridor dentiū, sed mille immortales mortes abductio? Hoccine est Christi Euangelium profiteri? hoc ne est animarum salutem perquirere? O tempora. o immanitatem. Desperatio igitur cum sit omnis mali causa; spes omnis boni fons & origo, certo certius manebit. Vultis ista bona allata nobis per spem, ex scripturarum thesauro videre? Non oportebat quidem uobis qui Euangelium pronunciatis se totis viribus persequi (& verum est vos Euangelium persequi) at ne lethargia laboretis, in memoriam reducenda esse insigniora beneficia censui. Extat iam adducta sententia Apostoli, quo nescio an melius aliquis viam ad Cœlestia inuenerit, vt poto qui ad tertium Cœlum raptus, archana quæ non licet homini loqui illic didicerit. Is igitur, tale iudicium de virtute spei protulit. *Spes inquit non confundit*. Breuis in verbis sed maxima in verborum sensu, sententia. *Spes non confundit*. Quid est non confundit? Confunditur ille qui quod sperabat non inuenit, vt contingit illi qui sperat a Cæsare precibus vel meritis obtinere diuitias, possessiones, aurum, & pecunias: Quod si frustratur, confunditur. Spes quę est in Deo qui nec falli nec fallere potest, non confundit. Testatus est hoc Dauid de Patribus antiquis, In te inquit sperauerunt & non sunt confusi. Testatus est & de seipso: Deus meus in te confido non erubescam. Testatur & de alijs omnibus. Omnes sustinentes te non confundentur. Quomodo enim confunderet Deus, qui sperantes in se, adoptat in filios? qui vult vt in ipso speremus? qui potest omnia quæ pollicetur præstare? Tria considero, inquit Bernardus, in quibus tota spes mea consistit. Charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Idem scio cui credidi & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione, Hic est funiculus triplex qui difficile rumpitur. Quem nobis a patria nostra in hunc carcerem demissum firmiter obsecro teneamus, ut nos ipse sub-

Spes non cōfundit quare.

super misericordias Domini.

subleuet trahat & pertrahat vsque ad conspectum gloriæ magni Dei. Spes nõ confundit propter charitatẽ adoptionis. Quis enim Pater si non durus ille sit & inhumanus, fefellit spem filij sui? Nos autem adoptauit Deus in filios. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur
1.Ioan.3. & simus; an vero sperantes in se frustrabit? Non. Si vos,
Luc. 11. aiebat Saluator, cum sitis mali, nostis dare bona filijs vestris, quantomagis Deus dabit spiritum bonum sperantibus in se? Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Spes non confundit in Deum propter veritatem promissionis. Fidelis enim Deus in
Math. 6. verbis suis, mentiri non potest. Præcepit. Nolite soliciti esse in crastinum, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. hæc enim omnia gentes inquirunt, scit .n. pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite primum regnum Dei & hæc omnia adijcientur vobis. Ac ne aliquam rationem hæsitandi inuenirẽt sperantes; non simplici verbo sed argumentis vsus est promittendo. Qui vobis dedit maiora, præstabit & minora. Dedit vobis Deus aĩm q̃ ẽ præstantior, nobilior, quam corpus. Illa enim est incorporea, corpus vero corpus est: illa immortalis, corpus corruptibile, illa Deo, corpus vero terræ simillimum; illa imaginem habens creatoris sui, corpus autem terræ: illa intelligens, viuens, sentiens, corpus vero nihil horum a se possidens. Dabit vobis minora, dabit quod mãducabitis, quod bibetis, & quo operiemini: nihil solicitis sitis, omnẽ solicitudinẽ vestram in Deũ proijciẽtes, ipsi.n. cura est de vobis. Nolite soliciti esse q̃d manducabimus, quid bibemus, hæc.n. omnia gentes inquirunt, tanquam quæ Deos habent lapideos, ligneos & sibijpsis prouidere, non dico alijs, vt nescientes sic impotentes. Deus vester & scit quid necesse habetis, & vult & potest prouidere omnibus nolite deteriores esse gẽtibus, nolite soliciti esse, hæc omnia adijcientur vobis. Spes in Deum non confundit, propter potestatẽ reddentis. Omnipotens.n. est nomen eius, omnipotens est sermo illius, omnia quæcunque voluit fecit. Spes non confundit peccatores cupientes reuerti ad Deum. Si quis est qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei. quid agere debet vt lumine

Antithesis inter animam & corpus

Isai. Spes eleuat a peccato.

gratiæ illustretur & educatur de carcere mortis peccatorum? speret in nomine Domini & innitatur super Deū suū. Spes .n. facit innitere hominem super Deum extrahentem a peccato. Spes est vt columna illa nubis, in nocte lucida, quę eduxit Israelem ex Aegypto: sic & illa præcedit egredientem de statu peccati. Si enim peccator attēderet graue peccatum suum, quo offendit Deum; si maiestatem Dei in quem delinquit, non autem de misericordia & venia fiduciam consideraret, quis conuerteretur? quis relinqueret vitia? Spes in misericordia paterna excitauit filium prodigum, vt veniens ex illa regione longinqua, & a siliqs porcorū rediēs fateretur. Pater peccaui in Cęlū & coram te: spes fecit vt deprecaretur. Fac me sicut vnum ex mercennarijs tuis: spes magdalenam ad Dominum adduxit. spes vt Isaias dixit, non facit auolare a nobis doctorem nostrum: spes contaminat laminas sculptilium argenti idolorum nostrorum, & vestimenta conflatilis auri nostri: spes dispergit vitia sicut immunditiam menstruatæ. Isa. 30.

Allegoria molæ superioris & inferioris.

Mola superior & inferior.

Spes non confundit peccatores. Pulcherrime vt solet Gregorius explicat illud Deut. 24. præceptum. *Non accipies a proximo tuo loco pignoris superiorem molam.* Superior inquit & inferior mola est, spes & timor. Spes ad alta subuehit, timor autem cor inferius prēmit. Vna mola sine altera inutiliter habetur in peccatore. Ergo peccatori debent spes & fortitudo coniungi; quia incassum misericordiam sperat, si iustitiam non timeat: & incassum metuit, qui non confidit. Loco ergo pignoris mola superior aut inferior non tollitur; Quia qui prędicat peccatori, tanta dispensatione disponere prædicationem debet, vt non relicta spe timorē subtrahat, neq; subtracta spe timorem relinquat. Hæc dixerim propter illos qui vel solam misericordiam intuentur peccando dicentes, Non euenient mihi mala, Deus misericors est, nō placet ei mors peccatoris, vult vt cōuertatur & viuat. Scire deberis Deum quidem esse misericordē, sed illis qui sperant nō præsumunt de misericordia eius; sperantes in se liberat a peccato. Sperātes in se misericordia circumdat. præsumentes autem & in spem veniæ delinquentes, ex iustitia punit. Dimisit Regi Dauid homicidiū, sed lachrymanti sed speranti: puniuit septuagies septies Lamechum, sed præsumentem. Dimisit adulterium Dauidi speranti: puniuit filios Deut. 24.

Iacob præsumentes. Dimisit peccata Magdalenæ, Mathæo, Petro, Zacheo Paulo sed confidentibus; puniuit Iudæos vt præsumentes.

Spes non confundit tyrones virtutum, pugnantes contra agmina hostium inuisibilium. Quis enim posset sustinere tot ictus, tantos insultus, cócupiscentias, prauas affectiones, tentamenta, malignitates quæ inimicus ille vt leo rugiés & vt tygris famelica circuiens & quærens quem deuoret immittit? & multorum animas plusquam crudeliter conficit? Spes est quæ sustinet aduersa, spes quæ vincit malignum, spes irridet machinamenta Dæmonis. spes est galea qua tectum caput animæ contra omnia quæque siue ab Austro siue ab Aquilone euenientia, immobilis & inuicta perseuerat. Non est nobis ait Paulus colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus: Propterea accipite armaturam Dei vt possitis resistere. Sed quam armaturam? Induti, ait, loricam iustitiæ, in omnibus suméte scutum fidei, & galeam spem salutis. Quare autem spem appellauit galeam? Ea ratione credo, quod sicut galea, primam partem corporis, caput videlicet, sic etiam spes primam partem animæ pugnantis, intentionem protegit. Impetitur homo a superbiæ spiritu &, multis sagittis rationum quare debet sibi apparere configitur. Quomodo vincet? Galea spei: spero, inquiens, Domine quod contemnentem uanum honorem, inanem fastum sæculi, gloria & honore coronabis in cœlis. Tentatur aliquis a malo homine siue vim aliquam inferente, siue honorem distrahente, & insidias struente. Quomodo superabit? Galea spei, si dicet. In Domino speraui, non timebo quid faciat mihi homo. Tu es Domine spes mea, tu protege, tu defende. Flammis luxuriæ domus animæ alicuius succenditur. Quomodo restinguet? Virtute spei si, dicet. In Domino speraui, non timebo quid faciat mihi caro Domine non possum esse continens nisi tu dederis, tu imbre gratiæ tuæ extingue in me & in corpore meo fomitem ardentis libidinis. Tribulationum ventis in mari mundi huius aliquis periclitatur. Quomodo subsistet? Virtute spei. Spes est ut anchora firmissima, quæ in

Spes conterit Sathanę vires.

1. Thes. 5.

Spes vincit impetus Sathanæ.

omnem euentum hominem immotum fecit. Si naufragaris cũ Apostolis, spera in Domino dicens, Domine salua me quia pereo. Ne dubites, sedabit feros fluctus, periculum tibi minantes. Vereris ne succumbas inimico? fortitudinem tibi spes suppeditabit. Qui confidunt in Domino erunt sicut mons Syon, qui non commouebitur ineternum. fortissimum & inuictissimum

Lapis Alectorius inuicibiles facit. te spes ut lapis Alectorius qui dicitur inuincibiles facere, efficiet. Qua enim virtute suffulti Sancti illi martyres ignes, rotas, gladios, decoriationes, verbera, minas, tormenta, mortes horrendas sustinuerunt, nisi spe? Propter spem Paulus ca- Act. 28.

Sãcti pro pter spẽ quanta perpessi. thena circumdatus sum inquit. Propter spem gloriæ filiorum Dei, gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Propter spem gloriæ, Petrus reliquit omnia & cruci affigi se permisit. Propter spem Stephanus lapidatus, Iacobus de pinna deturbatus, Thomas lancea perfossus, Bartholomeus decoriatus, alij Apostoli gloriose trucidati. Spes Laurentio & Vincentio præclarissimis martyribus rogum succensum refrigerauit. Spes Machabeos in tantis tormentis, in torridis sartaginibus, in abscisione linguarum & mẽbrorum inuictos effecit. Supra modum mater illorum mirabilis, & bonorum memoria digna quæ pereuntes septem filios, sub vnius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat. Spes Ignatium vt alterum Danielem leonibus exposuit. spes Catherinam, Agnetem, Ceciliam, Vrsulam cum innumeris alijs virginibus fortes in passione atque tormentis fecit. Propter spem illi qui renunciant mundo, eligunt magis aduersus ferrum, ignem, bestias, aduersus denique omnia fortiter ac summa constantia persistere, quam ad priorem prosperitatem prioresq; copias remeare. Spes. n. non confundit pugnantes. Ro. 5. 2. Mach. 7.

Spes non confundit fugientes ad Deum. Dominus enim est protector sperantium in se. Turris fortissima nomen Domini. Vrbs fortitudinis nostræ Syon, Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Si sperando confugisti ad Deum, altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Non accedet illic tentator aiebat Bernardus, non calumniator ascendet, non pes- Isai. 26. Psal. 90.

simus

ſimus accuſator ille fratrum attinget, quia in protectione altiſſimi commoratur, illuc refugiens a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Spes non confundit prouectos, qui iam cibo ſolido non lacte indigent. Spes enim filios Dei facit. Gloriamur inquit Paulus in ſpe filiorum Dei. Spes in virtutibus profectus tribuit. Benedictus, inquit Hieremias, qui confidit in Domino & erit Dominus fiducia eius, & erit quaſi lignum quod trãſplatatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum uenerit æſtus; & erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Spes intelligentiam ſpiritualium præbet. Qui enim confidunt in Deo, dicebat ſapiens, intelligent veritatem. Spes ſaluat. Qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Spe ait Apoſtolus, ſalui facti ſumus. Habemus, dixit idem Paulus, animæ pro poſitam ſpem, vt anchoram tutam, & firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis; ubi præcurſor pro nobis introijt Ieſus. Summa perfectionis Chriſtianæ eſt, ſecundum Aponium, in Deum ſperare. Lubet hic in confirmationem iſtorum adducere exemplum & doctrinam Sanctiſſimi Bernardi quanti ille fecerit virtutem ſpei. Quicquid, ait de ſemetipſo, agendum, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Hæc vnica mihi pro miſſionum cauſa; hæc ratio meæ expectationis; Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe iactet pondus diei & æſtus, ieiunare bis in ſabbatho, poſtremo non eſſe ſicut cœteros hominum glorietur; mihi autem ad hærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Sperent in alijs alij, hic in ſcientia literarum, hic in aſtutia ſæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in qualibet alia vanitate confidat, propter te omnia detriméta feci & vt ſtercora arbitror, quoniam tu es Domine ſpes mea. Speret qui vult in incerto diuiciarum; ego vero ne ipſa quidem niſi abs te victui neceſſaria ſpero, nimirum verbo tuo confidens in quo abieci omnia. Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius & omnia adijcientur vobis. Nempe tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo. Si inſurgant aduerſum me prælia, ſi ſæuiat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro aduerſum ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo. Cur autem o dulcis

Marginalia: Iere. 17. — Spei efficacia. — Sap. 3. — Rom. 3. — Hebr. 6. — Benardi de ſpe elogium. — Ser. 9. ſuper Qui habit.

cis Bernarde, tantum spei tribuis? Non uereris hæreticorum censuras, spem præsumptionem dicentium? Non. Hoc enim sapere, ex fide uiuere est. Nec alius ex sententia dicere potest, quoniam tu es Domine spes mea, nisi cui intus sit persuasum a spiritu vt quemadmodum monet Propheta, iactet cogitatum suum in Domino, sciens quod enutriendus sit ab eo. Iuxta illud quoque, Omnem solicitudinem vestrum proijcientes in eum, ipsi enim cura est de nobis.

Hæretici spem, uocant præsumptionem.

Præsumptio, inquit, est sperare certo se assequuturum vitam æternam, quum nemo sciat an amore uel odio dignus sit: & sperare in meritis superbia maxima. Non oportebat quidem iste refutare: eo quod manifeste pugnent cum Sacris literis, vt iã patuit, maxime uero Paulo Doctori gentiũ præsumptionis no tam inurunt, qui de spe sua in hęc uerba testatus est. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Verum vt suo illos confodiamus gladio. Dicitis uos prçclari animicidæ, Præsumptionem esse, sperare certe se assequuturum uitam æternam. Quid uero illa uestra conficta & confusa fides? An non habetis pro communi axiomate, cuius homini ad peccatorum remissionem assequendam esse necessarium, vt firmiter credat certoque statuat, absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis esse peccata sibi remissa? Nobis sperare, sed non sine timore adiuncto, non licebit? vobis aũt certo statuere absq; vlla hæsitatione ac perinde præsumere, timore excluso licitũ erit? Hoc certè est superbia insignis qđ vos certò absque vlla hæsitatione statuitis, hoc præsumptio, hoc cõtra scripturã quæ de propitiato peccato non vult nos esse sine metu; etiam si certo sit remissum peccatum, non vult tamen Spiritus Sanctus vt securi simus. Vos capitale crimen putatis, si quis vel minimum dubitet sibi remissum esse peccatum. Hoc est contra scripturã quæ monet. Nõ te iustifices ante Deũ, quoniã agnitor cordis ipse est. Hoc est p̃sumptio, Dei propriũ sibi arrogare, & supra Sanctos se attollere, quorũ vnus licet sanctus iustus & simplex ac timẽs Deum, ita ut nõ fuerit Dei iudicio similis ei suo tempore in terra, tamẽ inquit, verebar omnia uerba mea, sciẽs quod non parceres delinquẽti. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meę, tamen sordibus intinges me, & abomina-

Hæreticorum conficta fides & presũptuosa.

Pet. 5.

Eccl. 5.

Eccl. 7.

Iob. 9.

abominabuntur me vestimenta mea. Nos autem facientes quod in nobis est, firma & certa spe expectamus in hac quidē vita per sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ peccatorum remissionem, in sæculo autem futuro vitam æternam. Cum autem nos ipsos respicimus, horrorem quendam concipimus etiam si nihil nobis conscij simus, vel propter infirmitatem nostram. Scimus enim lapsum esse Cherubin Angelorum nobilissimum, Salomonem hominum sapientissimum, Israelem populorum electissimum. Scimus non magis debere nobis Deum perpetuam nostri tutelam & gratiam, qua nos ab omni casu præseruet, nec vnquam cesset in viam salutis æternæ deducere, quam aut istis quos nominaui, aut Iudæ vocato Apostolo, aut Saul electo Regi, aut Nicolao constituto Diacono: & ideo non possumus metus mola inferiori esse vacui; præsertim cum moneat per suum vas electum. Noli altum sapere sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Præsumptionem igitur vestram potius fidē infidam, quam nostram spem Theologicam inculcetis. Spes igitur in Deum non confundit.

Quid vero dicemus de spe in Virginem sanctissimam? Sperandum ne est in ea, vt Ecclesia semper docuit? An diuinum eius auxilium repudiandum cum hæreticis? Isti procaces (horret lingua, illorum blasphemias referre) spem in Mariam esse horrendum quid æstimant. Spem inquiunt nostram dicere non possumus, nisi simul etiam Deum nostrum dicamus. Horret igitur animus noster, nedum lingua eloqui, Pauli electi a Deo, instructoris gentium, eloquia, quod ille Thesalonicenses suos spem suam & gaudium vocitauit? Quæ est, inquit, nostra spes, aut gaudiū, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis, in aduentu eius? Spem suam Paulus Thesalonicenses dicere non potuit nisi simul etiam Deum suum illos esse dixit. vas igitur electionis erit vas perditionis & erroris? Discipulus sanctæ Trinitatis edoctus in tertio Cœlo, erit disseminator idololatriæ? Euangelij & iustificationis & gloriæ futuræ annunciator, erit prædicator falsitatis? O Deus in quæ tempora seruasti nos, si cuiq; pro voluntate impune permissum est sanctos maledictis proscindere, Ecclesiæ vsum receptum & scripturæ consonum inuertere.

Sperādū in Maria quomodo.

1. Thes. 2.

verum

Verum quidem est Deum esse totam spem nostram. verum est maledictum illum existere qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum. Ast non est maledictus ille qui confidit non in homine, sed in supra homine; non est maledictus ille qui non carnem repugnantem, ponit brachium suum. Non est maledictus ille, qui in homine tantum vt potente adiuuare, non autem vt conferente beatitudinem (quia hoc est proprium Dei, illud autem communicatum) ponit spem suam. Homo .n. homini Deus, hō hominem iuuare in multis valet. Nō licet sperare, docuit Doctor sanctus, de aliquo hoīe, vel de aliqua creatura sicut de prima causa mouēte ad beatitudinē; Licet autem sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura sicut de agente secundario, per quod aliquis adiuuatur ad quęcunquę bona consequenda, in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad sanctos conuertimur, & vituperantur illi de quibus aliquis confidere non potest ad auxilium ferendum. Cur ergo non licebit sperare in Virgine sanctissima, cum non sit caro, sed sit supra omnes exaltata Angelos? non sit homo carnalis sed supra omnes homines? Forte non poterit adiuuare? Sed ipsa est Regina mundi, regina gratiæ, regina sanctorum omnium. Non potest ei deesse facultas, dixit Bernardus. Quod si tantum potuit Bersabeæ apud Salomonem, vt fateretur ipse, se nihil illi denegare posse: quid censendum est de Maria, quam intensiori amore Christus dilexit præ cæteris? forte nihil poterit? Forte non vult adiuuare? Sed est regina misericordiæ. Maria est electa vt sol, omnium in omnibus necessitatibus succurrens, cæteri santi in singularibus. Maria est aquæ ductus per quam gratiæ a Deo descendunt. Maria est virga, a Pharaone inferni liberans & protegens. Maria est stella maris nauigantibus fauens. Maria est mater sanctæ spei. Maria secundum Matheum Philadelphicum est perstrenuum bello concussorum præsidium, secura, fida, & sacra iactatorum tempestate anchora. Singulare a calumniatoribus afflictorum auxilium, desperatorum spes, dolentiū solatium, paratū ad oēs casus subsidium, singularis salutis nostræ propugnatio, tutissimus naufragorum portus. Spes igitur in Mariam non confundit. Nō horret sed delectat animum, dicere ad Mariam; salue spes nostra; non enim eam Deum sed auxiliatricem præ cæteris

Hier.

Sperare in homine quō licitum.

2.2.q.17. ar.4.

Maria vult & potest adiuuare sperantes in se.

Maria spes dicitur a Patribus.

in orat. ad Virg. Matrem.

totis creaturis potentiora nuncupamus. ¶ Nūc ad vos cum Bernardo rursus redeo. vidistis emolumenta spei in Deum, ut quid cunctamur abijcere spes miseras, inutiles, seductorias? & huic vni tam solidę, tam perfectæ, tam beatæ spei tota deuotione animi & toto feruore spiritus inhęrere? Si quid illi impossibile, si qd vel difficile est, quęre aliud in quo speres: sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Attamen huiusmodi dictum intelligas volo; si decreuerit saluare nos, continuo liberabimur; si viuificare placuerit, vita in voluntate eius est. Si præmia ęterna largiri, licet ei quod vult facere. An vero de facilitate iam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? plane & volūtatis testimonia credibilia facta sunt nimis. Deinde quando in se speranti desit illa maiestas, quæ tam studiose monet in se sperare? Plane non derelinquit sperantes in se. Adiuuabit eos & eruet, ait, a peccatoribus & saluabit eos. Quare? quib. meritis? Audi quod sequitur,

Psal. 36. qa sperauerunt in eo. Dulcis cā, attñ efficax, attñ irrefragabilis. Nimirū hęc est iustitia, quę ex fide est non ex lege. Sperate igitur in Dño, sed primo sacrificate sacrificiū & demū sperate in Dño. sperate in Domino & facite bonitatem: Sperare.n. & non sacrificare iustitiam, & non facere bonitatem, non sperare sed præsumere est. Quia vero spes in Mariam non confundit sed adiuuat, sperate quoq; in illa. Si criminum immanitate turbatur aliquis

Bernard. si conscientię fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus es, Mariam cogita, Mariam aduoca. Non recedat a corde, non recedat ab ore. Nam ipsam cogitans non erras, ipsam cogitans non desperas, ipsam sequens non deuies, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis: & sic in temetipso experiri poteris, quam merito dictum sit nomen virginis Maria id est maris stella, quæ nos auxilio suo protegat a procellis furentib. mundi huius, & deducat ad portum tranquillitatis manentis in sæcula sæculorum Amen.

SPES

SPES.

DILECTVS MEVS MIHI ET EGO Illi. Cant. 2. cap.

CONCIO DECIMASEXTA.

In qua Deum Sanctis & præcipue B.V. multa epitheta communicasse conuincitur.

THEOPHRASTVS maximus ille antiquorum Philosophorum, dum audierat vna vice quosdam de duobus amicitiæ vinculis coniunctis, quorum alter pauperem extremam patiebatur, alter autem diuitijs amplissimis abundabat, mutuo sermonem habentes; ille inquiebat, illius amicus est: fertur interrogatione facta. cur ergo, ait, illo diuite pauper est? talem sententiam protulisse. Amicus non est, qui fortunæ particeps nō est. Q. d. Frustra & falso iactat se ille, animo & voluntati alterius per amorē communicasse, qui bonorum fortunæ vsu excluditur. Amicitia enim egentes abundant, imbecilli valent, ægroti sanantur: Amicitiæ suauissimus fomes parilitas voluntatum, vigens & inuiolabilis fides, synceritas affectionū, & mutua communio rerum honestarum. Amicorum omnia esse communia, lege perpetua amicitiæ sancitum est. Nec immeritò. Amicitię enim uis & efficacia tanta est, vt vnum ex duobus, vnum in consensu voluntatis duos in corpore efficiat ad eum modum; vt amicus amicū reputet alterum se, & iudicet illum ut quidam fecere, dimidium animæ suæ, immo animam suam, cor suum, & omne bonū suum: eo quod ex duobus animis & ex duobus cordibus, unū cor, vnus animus, vnū velle & vnū nolle glutino indissolubili connexum est. Qui igitur

Amicorū omnia cō muuia.

tur particeps est maiorum & præstantiorum; qualia sunt anima, cor, voluntas, idem velle idemq; nolle. his enim nihil nobilius & melius possidemus; cur a bonorũ fortunæ participio resellettur? Quomodo amicum appellabis, ille est alter ego, & illa quæ tua sunt & minima ei denegabis? Quomodo amicum totum & omne bonum tuum cognominabis, & illi bonorum tuorum usu interdices? Quomodo amici erit vnum velle & nolle, cũ amicus pauper optet esse fælix, cupiatq; carere miseria? Amicitia enim vt quidam reliquit, est pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillib. pro uirtute, pro medicina ægrotis, pro uita mortuis; tu uero in hoc velle & in hoc nolle amico tuo pectore duro obsistis. Amicus non est qui fortunæ particeps non est. Amicitia, dicebat Hieronymus, parem aut facit aut accipit: vbi inæqualitas & alterius eminentia, amplitudo, alterius subiectio, pauperies, ibi non tam amicitia quam adulatio est. Sit amicus eadem anima, amicus esse debet dimidium animæ meæ: Animę igitur meę fortunã non cõmunicabo? Dimidio animæ meæ, bonis externis q̃ bonorũ nomine digna nũ sunt, interdicã? Non vtiq; Amicus tu non es qui fortunæ particeps non est. Quare, optimo iure fuit laudatus Alexander Magnus Orbis domitor, de obseruata lege ista amicorum. Dum enim vna dierum regalibus indutus vestibus Throno Regio cũ quodam amico suo intimo insideret, & Regina Persarum accessisset ad adorandum illum, atque vt solet præ metu ex errore amicum illi assidentem pro Alexandro salutasset, & in cognitionem istius postmodum deueniens, seipsam Regi excusaret. Respondisse fertur Alexander. Amicus meus est alter Alexander, & alter ego: quod ei exhibuisti, mihi exhibuisti. Ego illum ex impari parem efficiens, non modo reliqua sed neque solium inuideo: in hoc quoque honore communicare illum cupio. Amicorum.n. omnia sunt communia.

Alexandri magni factũ

Quorsum ista adduxerim vultis scire? Notum est iam vobis, Beatissimam Virginem Mariam, plus quam amicitiæ nodo connexam fuisse filio suo Magno Deo. Quæ enim maior potest esse coniunctio quam filij & Matris? Quem illa nouem mensium decursu in utero suo gestauit; quem illa ventre suo profudit, in sinu fouit, uberibus lactauit, manibus amplexa tot oscula illi impræssit? Amicorum ea natura

Maria amica Dei.

est

est intima scrutari, intimis illabi, intime vniri, & in vnũ redigi; ita vt quidam amici Iob patientis, amore insanientes cuperent. Quis det vt de carnibus eius impleamur. Tales sunt cathenæ amoris amicitiæ, ut nisi natura & horror quidam prohiberet, amantium carnibus vescerentur, propter maiorem coniunctionem. Vnde quidam dum initia amicitiæ iungebant, sanguine suo se vicissim alterutrum reficiebant. Quædam autem fœmina mortui mariti sui cadauer flamis combustum ac in puluerem redactum simul cum vino ebiberit. vt quem viuum habere amplius non poterat, vel quem viuentem adeo intime connectere sibi nequibat, ut non solum sit cum eo vna anima sed & vnum corpus, mortuo saltem commisceretur, ardorisque amantis flammas vel sic restingueret. Quare & Saluator noster vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permisit desiderantibus; sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Quæ autem magis intima colligatio quam filij cum vtero materno? Beata virgo fuit mater Dei, magis igitur intimè quam amicitia Deo adiuncta fuit. Iam vero quis intensior amor quam matris ad Filium? Ex maxima vnione maximus amor, & ex maximo amore maxima unio sequitur. Maiori quam excogitari potest, post Deum vinculo vnitur Mater filio, & filius Matri, maiori quoq; amore (vt cõtinuo oculis aspicimus, & filius erga matrẽ) & mater erga filium exardescit. Ita vt Deus nõ poterat alteri amori, amoris sui flamã qua succẽsus flagrat versus genus humanũ comparare, quã amori materno. Nũquid inquit obliuisci potest Mater infantẽ suũ, ut non misereatur filio vteri sui? & si illa p impossibile oblita fuerit, ego nõ obliuiscar te. Nũquid (sic vellet dicere Deus) illud quod cõmune est omnibus aliquo modo sibi coniunctis ut mutuo se diligant, in matre sola q̃ maiori vinculo alligata est filio exorbitabit? Erit adeo cruda ut illius obliuiscat quẽ baiulauit in vtero? Nũquid illud quod propriũ est omnibus generantibus, & aliquid in lucẽ siue ex vtero siue ex intellectus inuẽto producentib. vt fœtus suos, siuæ naturæ siue artis summopere ament; in muliere sola quæ rationis est capax, quam & naturæ vis, & discursus intellectus impellit ad amorẽ, amorẽ infanti quẽ protulit denegabit? Nũquid distẽta lacte habens vbera, cõtuens infantulum vagientem,

Maria maximo amore Christũ dilexit.

Isai. 49.

tem,

rem, & mammam in cunis quæritantem, suo sinul & visceribus canem admouebit; filium autem mori permittet? filium lacte non refocillabit? filij obliuiscetur? non miserebitur? non lac, cui sanguinem communicauerat labris infundet? Impossibile est. non potest & contra ius naturæ, & contra flammã amoris, & contra rationẽ, & seipsam, & cõtra sua viscera ire. Matris erga filiũ maximus amor est, & filij erga matrẽ: Beatissima aũt Virgo fuit Mater Dei; Quonã ergo amore in illũ exarsit? Amore Seraphinorum ardorem excedente. Quonam amore in illam filius flagrauit? Amore amorem omnium creatorum superante. Quod si amicorum omnia sunt communia, qd si amicus ille non est, qui fortunæ particeps nõ est. Beatissima Deigenitrix amica Dei & plusquam amica, quia Mater fuit. Communicauit Deo sua propria, dedit illa carnem & sanguinem quam ille non habuit. An non ille quoq. vicissim sua bona propria illi communicauit? *Dilectus meus mihi & Ego illi, ego dilecto meo & dilectus meus mihi; & ad me conuersio eius* Ego dilecto meo dedi duo minuta, ego thesauro sapientiæ & scientiæ Dei paupercula addidi, quod potui, duo .s. minuta, carnem & sanguinẽ; de meis enim visceribus, & de meis sanguinibus genui Deum & hominem, Nihil mecum commune habet in meo filio Ioseph. solus Deus Pater in Cœlis, & ego sola Mater in terris, filium istũ habemus communem. Nihil iste habet in Cœlis a Spiritu Sancto, sed essentiã Diuinam a solo Deo Patre obtinet; nihil iste habet in terris a Iosepho, sed essentiã humanam virtute Diuina in me obũbrante, & Spiritu sancto superueniente in me, a me sola habet. *Ego dilecto meo mihi* dedi corpus & sanguinẽ, dedi & humanitatem, Ego gestaui sola in vtero, vt solus Pater Diuinus gestauit in corde; Ego genui sola in tempore, vt solus Pater Diuinus ex vtero ante Luciferum; Ego pannis inuolui in tempore, vt solus Pater lumine & nubibus in egressu æterno. Ego sola in præsepio collocaui, vt solus Pater ab æterno constituit eum in Cęlis. Vt Pater dedit illi habere vitam in semetipso, sic & ego vitam mortalem, tempori subiectam illi contuli: vt Pater dedit illi omnia Diuina, sic & ego omnia humana. Ego dilecto meo, & ille quoque vicissim mihi donauit plenitudinem gratiæ, donauit & semetipsum, oĩa secũ bona mihi tribuit, gloriam, honorem, beatitudinem, claros titulos.

Allegoria viduæ pauperis.

Maria sola cũ Deo Patre filium habet communem.

Antithesis Marię & Dei Patris.

Communio donorum Christi Marię.

Antithesis Mariæ & Christi

tulos. Diuina epitheta; vt quibus ille a Spiritu sancto inspiratte sanctos Prophetas, Prophetarum & sanctorum oraculis celebratus fuerat, iisdem ego a Prophetarum filijs, a sanctorum cœtibus, ab vniuersa multitudine credentium condecorata sim. Dilectus meus a Psalmographo speciosus forma præ filijs hominum agnitus est? me quoque pulcherrimã inter mulieres nominauit. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulcherrima inter mulieres. Cant.1. Gratiæ plenitudinem viderat in eo Ioannes? vidimus inquit eum plenum gratiæ & veritatis. Me quoque gratia plenam esse non Apostolus sed Gabriel Angelus iudicauit. Aue gratia plena. Idem sponsus meus, secum semper manere Patrem suum testatur? Pater in me manens ipse facit opera. Et mihi hoc idem, licet non eo modo, Archangelus significauit. Dominus inquit tecum. Benedictum illum Elizabetha spiritu sancto afflata proclamauit? nec tamen idipsum mihi denegauit. Benedicta tu, inquit, inter mulieres & Beata quæ credidisti, quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. Cant.8. Isaias propheta murum fortissimum quo protegeret populum, & in quo illi confidere & ad quem confugere debebant vocauit? Saluator inquit in ea murus & antemurale. Ego etiam sum murus, & vbera mea sicut turris. Sum quoque & ego spes Christianorum, spes desperantium, clausorum liberatrix, orphanorum susceptio, adiutrix destitutorum, vexatorum portus, subsidium oppressorum, redemptio captiuorum, Dilectus meus mihi sua donauit & ego dilecto meo mea tribui. ¶ Verũ ne alicui erroris occasio tribuatur, vt forte ex inaduertentia Heretici acceperunt (nolo hic commemorare malitiam, quæ plurimum eos iuuit ad sanctorum honores distrahendos; ne Oratorũ more nos agere conquærãtur) quorũ caput Lutherus ac deinde Caluinus, quos sequitur Mathias Rodt Lutheri discipulus & Lindauiensis minister, atq; cætera confusa turba ignorantiæ, dixerint, nos fictitios titulos Virgini & Sanctis tribuere, dum illam siue etiam illos. Vitæ spe, Saluatoris, satisfactoris & alijs encomiasticis titulis dignamur. Duo alia præter illud vnum quod iam dictum est documentum, Amicorum esse communia omnia: obseruata, a vobis omnibus volo. Vnum est. Non esse æqualia omnia epitheta Diuina. Nonnulla enim sunt quæ sic soli

Mariæ attributos titulos fictitios dicunt Hæretici.

Nomina Dei quædam sanctis attribui possunt.

Diuinæ

Diuinæ naturæ competunt vt nulli creaturæ sine vitio idolatriæ attribui possint; vt Deus per essentiam, æternus, omnipotens, infinitus rerum principium primum, & vltimus finis, Creator, Dominus vitę & mortis, Iustificator siue iustitia. Sanctificatio & redemptio nostra, misericordia, firmamentum, cornu salutis, & susceptor noster. Quis enim alius pręter ipsum per essentiam Deus? Nullus, Dij gentium sunt dęmonia, nos aũt sumus participes Diuinæ naturę, Ego inquit ipse sum Deus fortis, ante me non est formatus Deus & post me non erit. Nullus præter ipsum æternus, quia in principio temporis creauit Deus cęlum & terram, & ea quę in eis sunt. Nullus pręter ipsum omnipotens. Apud enim ipsum non est impossibile omne verbum, ille omnia quæcunquæ voluit fecit; creata aũt multa volunt quę perficere nequeunt. Nullus pręter ipsum infinitus. Omnia .n. in pondere & mensura creauit Dominus; oẽs creaturæ sunt ante oculos eius vt stilla situlæ, Ipse sine modo & absq; mensura, vt mare inexhaustũ perfectionũ est. Nullus est pręter illum principium, & finis, & creator, & beatitudo omnium. Ego [a] inquit sum primus & nouissimus. ego sum primus quia [b] ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum [c] ego Dominus & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, ego feci terram & hominem super eam creaui, ego & manus meę tetenderunt Cœlos, & omni militię eorum mandauit. Ipse & nullus allius dixit. Fiat lux & facta est. Fiat firmamentum in medio aquarum, & fecit firmamẽtum diuidens aquas ab aquis. Ipse dixit & facta sunt, mãdauit & creata sunt, ego nouissimus omnem .n. laudantem in gloriã meam creaui eũ. Nullus pręter eum Dominus vitæ & mortis. Dominus .n. ut Anna cecinit, mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Ipse solus a Ioãne visus est, portare claues mortis & inferni. Nullus præter ipsum est iustificatio, sãctificatio, redemptio nostra. ego sum [d] qui deleo iniquitates tuas propter me, & inquitatum tuarũm non recordabor. [e] Ego sum irrita faciens signa Diuinorum, & ariolos in furorem vertens, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens, sucitans verbum serui sui, & consilium nuntiorum suorum complens, [f] Ego Dominus Deus redemptor tuus sanctus

Margin: Vnus Deus per essentiã, Solus Deus æternus, omnipotens infinitus beatitudo. — Isaiæ. a 48. b 44. c 45. — Solus Deus Dominus uitæ mortis. — Isa. d 43. e 44. f 48

Israel, ego docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. Nullus præter Deum est misericordia: misericordia enim nostra, vt dixit propheta, est quasi nubes matutina & quasi ros pertrāsiens. Et hos titulos nulli creaturæ attribuimus quātumcunque excellens sit. Quis.n. Beatam Virginem aut sanctū Petrū vel Paulum, per essentiam Deum appellauit? Nullus. Percurrite totam Sanctę Ecclesię & Patrum approbatorum doctrinā: Quis Virginē Omnipotentē, Aeternam, Creatricē, iustificationē, sanctificationē, vel redēptionē nostrā vocare ausus est? Nullus. Quia manus Virginis nō extenderunt Cœlos, non est creatrix, nō est principiū rerū q̄ a nihil ꝑduxit creatorū in esse. Quia Beata virgo est creatura, in tēpore ortus sui initia habēs, nō est Deus ꝑ essentiā, nō omnipotēs, nō æterna, nō imensa non infinita. Quia virgo nō fudit sāguinē ꝓ nobis, nec gratiā animabus nostris infudit, nō ē sanctificatio aut redēptio, aut iustitia nr̄a. Quia B. Virginis misericordia quātūcūq. magna sit, nō ęquat misericordię Diuinę; nō est misericordia nostra sed mater misericordię. ¶ Quædā vero nomina sunt q̄ licet Deo a scripturis appropriata sint, nō tñ vt illi soli ꝓpria, sed alijs quoq; ab eodē Spiritu sācto accomodata: Ad q̄ recēsenda anteq̄ deueniamus Alterum vobis documentum obseruandū necesse est. ¶ Nō eodē modo quo Deo conueniunt illa nomina, sanctis attribūtur: cū ēt nō eodē modo perfectiones & opera q̄ illis epithetis manifestamus, in Deo & in sanctis reperiātur: In Deo.n. per essentiam; in sanctis vero ꝑ participationem. In Deo tanq̄ in fonte imo vt in mari omniū bonorū; in sanctis autem tāquam in fluminibus, uel riuis gratiarum ab illo defluentibus. Igitur etiā nomina quæ communia Deo sunt & sanctis, Deo per essentiā, sanctis autem per similitudinem conueniunt. Vt etiam dū Leonem, fortem hominem nuncupamus, ouem mansuetum, rapacem lupum, astutum vulpem (vt etiam habemus in Euangelio de Herode, Dicite vulpi illi) alia ratione animalibus & alia hominibus appropriantur. Sic & ista, alia ratione Deo, alia ratione sanctis ascribuntur. Proprium nomen Dei est Deus, de quo sapiens recensens facta idololatrarum aiebat, Incōmunicabile inquit, nomen lignis & lapidib. imposuerunt. Deus ipse hoc sibi vendicat vt sępius apud Isaiā repetierit illud. Ego Dominus Deus & nō est alter, ego Deus ipse, & nō est alius. ego sum Deus

Epitheta quæ concessa non sunt Mariç.

Nomina Deo & sanctis cōmunia, quomodo sanctis conueniunt.

Sancti uocantur Dij.

Sap. 4.

&

a Exod. b Isai. 45. & nō est vltra Deus, nec est similis mei. Tamen Diuinitatis nomine potiuntur multi. a Moysen enim Deus, Deum constituit Pharaonis b Cyrum Christum suum, cuius apprahēderat dexteram, cui dederat thesauros absconditos & arcana secretorum, Deū Israelis vocauit. Vt scias inquit quia ego Dominus q vocō nomē tuū Deus Israel. pp seruū meū Iacob & Israel electū meū, assimilaui te & non cognouisti me. Iudices appellauit Deos, Ego dixi Dij estis & filij excelsi oēs, licet sicut hoīes moriemini. Deus stetit in medio Deorū, Deos diudicans, Diuerso tñ modo. Ille.n. est Deus per essentia; isti per participationē vt Petrus magnificans dicebat: Magna & pratiosa nobis dona donauit, vt simus Diuinę cōsortes naturæ. Ille ē De⁹ q̄a oculis eius sunt aperta oīa: isti quia inferiora se & multa superiora cognoscunt; Dei .n. nomen scientiam significat: Ille est Deus quia est totus ardens amore pfecto: isti quia charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum. Ille est Deus qui curam & prouidētiā habet de omnibus; isti quia ad imitationem eius, licet non omnium, tamen multorum necessitatibus subueniunt. Ille est Deus quia iudicium exercet in vniuersum mundum: isti quia iustitiam sibi subditis administrant. Ille est Deus, quia præeminet omnibus donorum & attributorum innumera copia; isti quia sublimiores sunt quoad quædam participata cæteris. Et adhuc suggillabunt aduersarij vel c Hieronymum, quia Apostolos Petrum & Paulum Deos, scilicet Diuinos homines vocauerat? vel d Nazianzenum cum e Damasceno qui Mariam Deam appellarunt? An vero Maria, in qua habitauit Deus corporaliter, Diuinæ naturæ expers fuit? An vero Maria quæ fide excessit Patriarchas, quæ ipsorum Apostolorum magistra fuit; & in quā plenitudo spiritus sancti die Penthecostes descendit, ignara extitit veritatis, quam Angelus nunciabat, quam Spiritus sanctus edocebat, quæ captum etiam Angelorum excedebat? Quali vero amore flagrauerit, quæ fuit mater? Quam curam habeat de nobis quæ est Regina mundi? quę Regina sanctorum omnium est & Regina Angelorum? Quomodo vero non iudicabit mundum, cum Paulus confidat se iudicatum etiam Angelos; illa vero primum thronum post filium occupet? Quomodo non Dea, quæ astitit a dextris

Deitas participata quomodo imitatur Deitatē p essentiam.

Maria Dea fuit.

c in 1. c. epist. ad Gal.

d Trage. de Christo patiēte.

e lib. 4. Orth. f. c. 7.

Dei in vestitu deaurato circundata varietate virtutum? in cuius capite corona stellarum duodecim fructuum Spiritus sancti, duodecim donorum?

Sancti sunt Saluatores.

Proprium nomen Dei est Saluator. *a* Ego sum, ego sum ait Deus & non est absque me Saluator. Tamen Saluatoris nomine gaudebant multi: Pharao *b* nomen Patriarchæ Ioseph, vertit & uocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. *c* Filijs Israel qui clamauerunt ad Dominum, suscitauit eis Saluatorem & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleb. *d* Ioachaz Regi Israel deprecanti in afflictione Syrorum, dedit Dominus Saluatorem Israeli, & liberatus est de manu Regis Syriæ. Non desunt & in nouo testamento Saluatores. Qui enim conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluauit animam eius. Saluator igitur erit. Non ad eum tamen modum vt Deus, Ille enim Saluator est, quia totũ mundum a fame liberat, Ioseph autem Ægyptum: ille est Saluator, quia omnium inimicorum capita conterens, perpetuam facit pacem, Othoniel vero Moabitas subuertens quadraginta annorum quietem a bello obtinuit; Ioachaz autem Syros tantum. Ille est Saluator quia lumine proprio & virtute propria peccatores reducit ad statum libertatis; isti quia doctrina & persuasione vel orationibus, manus porrigunt illis & more Angelorum de carcere obscuro vitiorum educunt. Et adhuc Hæretici damnabunt Germanum Patriarcham Constantinopolitanum *e* ita Deiparę confitentem? Potens est ad salutem tuum auxilium; Is qui affligitur ad te confugit: qui iniuria afficitur, ad te accurrit; qui est rebus asperis, & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium. Adhuc succensebunt Ildephonso, *f* qui illam reparationem vitæ, eo quia vitam sæculis attulit. Indignabuntur Bernardo, *g* qui Mariam reparatricem parentum, purificationem posterorum, restauratricem sæculorum, eo quod illa protulit eum qui erexit cadentem Adamum; illa profudit fontem qui lauit genus humanum; illa genuit verbum in quo restaurata sunt omnia, siue in Cœlis, siue quæ in terris sunt. Adhuc indignabuntur Ephrem Sanctissimo *h* qui Virginem salutem vniuersorum; Adhuc deridebunt Ecclesiam quæ cum Ephremo & alijs Patribus, Mariam spem Christianorum Sanctissimã, spem desperatorum,

Maria saluatrix seu salus vniuersorũ.

a Isai. 43.
b Gen. 41
c Iudic. 3
d 4. Reg. 13.
e in orat. de Zona Deip.
f ser. 1. de assump.
g hom. 2. super missus & ep. 174.
h orat. de laud. Mariæ.

studiosorum lumen, clausorum liberatricem salubertimam, orphanorum susceptionem, adiutricem destitutorum, vexatorum portum, subsidium obsessorum, redemptionem captiuorum ægrotantium exultationem cognominat? Et adhuc horrebit illorum animus, dum a Andreas Cretensis eam propitiatorium vniuersi mundi, eo quod Deus Saluator in ea quieuit: dum b Ambrosius c & Bernardus eam virgam Moysi, eo quod caput serpentis contriuit: dum d Damascenus & e Andreas Hierosolymitanus Mariam, Sacram & animatam viuentis Dei arcam, eo quod per illam ab aquis inferni mundus vniuersus saluatus sit nominant? An non illa magis debet vocari Causa salutis quam Ioseph? cũ illa non Aegypto sed toti mundo: non corporeum sed Cœleste granũ & Panem Angelorum non conseruauit sed germinauit; non a fame corporis sed animæ liberauit? illa non Moabitas non Syros, sed Demones prostrauit, vicit, calcaneo cõtriuit? ita vt audito Mariæ nomine fugiant, nec tantum vt olim aduersus nos audeant? Illa pacem non 80 aut 40. aut mille annorum sed perpetuam genuit. Illa non vnum aut duos aut mille, sed infinitos peccatores ab errore viæ suæ, orationum suarum vi & efficacia conuertit. Illa præcium generis humani redditum creditori, ex sui vteri thesauro dedit. Cur ergo voces præconum Ecclesiæ prohibetis? Cur ora clamantium obturatis, qui agnoscunt illam esse Causam nostræ salutis, & salutem vniuersorum?

a de dormit. Deipare. b lib. 10. epist. 81. c hom. 2. super missus. d hom. de dormit. Deip. e in salut. Angel.

Antithesis Mariæ & Ioseph

Isai. 52.

Proprium est Deo merentes solari. Ego ego ipse consolabor vos. Vnde & Dominus noster Spiritum Sanctum Paraclitum nominauit. & Paulus, Deum, consolationis vocauit Deum. Tamen ipse Paulus monebat, Consolamini inuicem. Non eo tamen modo quo Deus ille solatur. Quia ille omnem tristitiam aufert, bonis & gaudio replendo, homines autem, vel quia compatiendo & persuadendo, vel quia bonum aliquod particulare conferendo solantur. Cur ergo Beatissima Virgo non debet appellari cum Ephrem, f lætitia sanctorum? cum g Methodio gaudium nostrum ineffabile? h cum Nazianzeno gaudium mortalium? cum i Damasceno vnicum nobis in terra solatium, vnicum molestiarum leuamen, omnium dolorum cordis medicamentum? cum k Bernardo, consolatio infirmorum, dulcedo animarum credentium;

Sancti sunt Paracleti.

f orat. de laud. Mariæ. g orat. in hipopãt. h in Christo patiẽt. i in him. de dorm. Deip. & orat. k in Salue Regina.

Maria est lætitia nostra.

tium; cum illa sit mater misericordiæ, quæ compatitur & adiuuat, & bonis replet suis afflictos, quæ gaudium sæculorum portauit? Et vt de alijs quoque Sanctis dicamus.

Sācti sūt Patres. Iusserat Christus *a* Patrem inquit nolite vobis vocare super terram; nihilominus ipse, Abraham Patrem vocat *b* Attendite inquit ad Abraam Patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos, *c* Mortuus quoq. diues Abraam patrem clamat. Pater Abraam miserere mei. Paulus quoque aliorum se Patrem fecit Etsi inquit multos pedagogos habeatis, non multos tamen Patres, ego enim vos per Euangelium genui. Iure etiam optimo sanctissima Virgo Mater salutis, & misericordiæ a Bernardo *d* Mater viuentium ab Epiphanio, Chrysologo & Augustino, Mater gentium, Mater pulchræ dilectionis a Cyrillo & Ildephonso, Mater pulchritudinis, & mater sanctæ spei ab Ephremo, eo quod adoptauerit nos in filios censetur.

a Mat. 23 b Isai. 51. c Luc. 16

Maria est Mater uiuentium.

d ser. 2. de aduentu. & ser. 2. Dom. 1. post Epiphan.

Rursus magister noster Christus est, qui ita se vocari iubet. Nolite vocari Rabbi, vnus enim est magister vester: neque tamen peccant, qui cum Paulo & se & alios Doctores si hunc dignitatis gradum assecuti, sintfidenter appellant. Alios ait dedit Doctores, alios Euangelistas in opus ministerij. Quocirca non peccauit Augustinus, si Virginem Beatam magistrā gentium, non peccauit & Idiota, qui Mariam magistram illuminatricem Apostolorum, a qua multa didicerunt Apostoli cognominarunt.

Sācti sūt magistri.

Mar. fuit magistra gentium.

Isai. 51.

Christus Petra erat, vt clare Apostolus pronunciat. Tamen non solum cum Petro, hoc nomen vult sibi esse commune, sed etiam cum Abraam de quo dixit: Attendite ad petram, vnde excisi estis: & statim seipsum explicans ait. Attendite ad Abraā Patrem vestrum. Voluit etiam commune esse Virgini. Maria *e* Ireneo & *f* Damasceno est lapis abscisus sine manibus, ex quo mons, maximus filius Dei excreuit. Maria *g* Cirillo & *h* Methodio martyri, Margarita est Cęlestis regni & Orbis terrarum prætiosa. *i* Chrysippo specimē gēmæ omnes pretium excedentis *k* Damasceno lapis inextinguibilis. Nemo bonus dicebat Saluator *l* nisi solus Deus. attamen non negauit, *m* quin bonus homo de bono thesauro suo proferat bona. Non negauit Beatam Virginē esse bonā, fuit enim gratia plena. Dei opus proprium est redimere. ipse enim redimet Israel ex omnibus iniqui-

Sancti, Petra sunt uocati.

Maria est lapis abscisus.

Sancti, redemptores, & capita. Pastores. fūdamēta, lumina mundi.

e li. 2. ad uers. heres. c. 28. f carm. de annunc. g hom. 6. in Nesto. h orat. de hipop. i ser. de S. Deip. k orat. de dormit. Deip. l Mat. 19. m Math. 12.

iniquitatibus eius, Attamen Apostolis hoc concessit. Quorum remiseritis peccata remittentur eis. Christus est caput Ecclesię. ipsum enim dedit Deus caput Ecclesiæ, ex quo corpus per nexus & coniunctiones subministratū & cōstructū crescit, in augmētū Dei. Vocat & sanctos capita. Optimates, inquit Amos, capita populorū. Sauli & hæc dignitas cōmunicatur. Cum esses inquit paruulus in oculis tuis, caput in tribubus factus es. Christus est pastor. Ego sū pastor bonus. Sunt & sancti. In die illa inquit Deus, suscitabo illis pastorem seruum meum Dauid fidelem. Cum apparuerit princeps pastorum, aiebat Petrus, percipietis immarcessibilem æternæ gloriæ coronam. Fundamentum Ecclesiæ est Christus. Fundamentum nemo aliud potest ponere, præter id quod est positum quod est Christus Iesus. Sunt & sancti. Estis ciues sanctorum, non iam hospites & aduenæ, estis domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorū & prophetarum. Murus Ciuitatis Ecclesiæ a Ioanne visus est habens fundamenta duodecim. Christus est lux mundi. Sunt & sancti, vos estis lux mundi. Est & Virgo. Pulchra enim est vt luna, electa vt sol apud [a] Ildephonsum, Lampas [b] ardentissima apud Bernardum, [c] Lucerna inextincti luminis, eo quod ex ea lux illuminans mundum, Christus ortus est, eo quod splendore vitæ suæ mundum illuminarit apud Cyrillum. Dimissor culparum est Christus, qui audacter dicebat Remittuntur tibi peccata tua. Sunt & sancti. vt Paulus sibi attribuens dixit. Nam & ego donaui si quid donaui, propter vos in persona Christi. Vindex malorū est Christus. sunt & sancti. gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.

Amos. 2. 1. Reg. 15. Ezec. 34. 1. Pet. 2. Eph. 2. Math. 5. a ser. 4. de assumpt. b ser. 2. de assumpt. c Ciril. hom. 6. in aest.

Mar. lux mundi. Sancti dimittunt culpas. uindices sunt malorū, Iudices mūdi portę Cęlestes, gaudium nostrum.

Ostiarius Cœli est Christus vt semetipsū nominat apud Ioanne. Sūt & sācti. Tibi dabo claues regni Cœlorū. Iudex mundi totius, est Christus, sunt quoque & sancti. sedebitis super sedes duodecim iudicātes duodecim trib. Israel. Gaudiū & corona nostra est Christus. sunt & sancti, gaudiū & corona, scripsit Paulus Thesalonicēsib. mea vos estis in Dño. Ego sum ostiū fatetur Christus. Augustinus tamen sanctos appellat portas, quia per ipsos intramus ad regnum Dei, & cū per ipsos intramus p Christū intramus [d] Methodio quoq; martyri, sanctissima Virgo est porta Cœli [e] Ruperto autem & [f] Ildephonso est ianua

d orat. in hipop. Dom. e ser. 1. de assumpt. f lib. 1. de gloria & honore filii.

Maria est porta Cęli. Sancti recipiūt ad beatitudinem.

ianua Cœlestis. Opus Dei est pios in æterna tabernacula transferre: Et tamen Christus docet de nonnullis, qui in hac vita, diuitum benignitate subleuati illos ad Cœlos transtulerunt. Facite ait, vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiāt vos in æterna tabernacula. tamē[a] Fulgentius Mariam, scalam cœlestem; tamen[b] Augustinus &[c] Damascenus, Virginem pontem ad vitam & scalam Iacob ad Cœlos pertingentem, per quam nos sursum subleuat, esse docuerunt. Vnus est apud Paulum mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: nec tamen idem veretur scribere. Lex propter transgressores scripta est, ordinata per Angelos, in manu mediatoris Moysi. Moyses quoque gloriatur, quod fuerit sequester & medius inter Deum & Israel. Maria quoque Aduocata nostra vt[d] Basilio; mediatrix nostra vt[e] Epiphanio;[f] mediatrix salutis, vt Bernardo; mediatrix pacifica inter summa & infima vt Chrysologo placuit, nuncupari potest. Ego dilecto meo & dilectus meus mihi. Non est tam inuidus sponsus meus, vt mihi sua denegaret; nō est fracta amicitia inter me & illum, omnia habemus cōmunia. Desideratis maiora epitheta? Vultis ampliores titulos? Quid si illam Paradisum voluptatis & deliciarum, & immortalitatis, paradisum rationalem, cum Ephremo & Chrys.eo quod germinauerit lignum vitæ Christū, vocabimus? Si domum sapientię quā sapientia ingenita fabricauit excisis columnis septē, septē donis Spiritus sācti, siue septem virtutibus fide, spe, charitate, prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia fulciuit cum Hieronymo? Si propter hæc, eximium vniuersi Orbis terrarum decus & ornamentum, cum Damasceno? Si sacrarium totius Diuinitatis cum Damiano, Fæderis archā cum Ambr. Tronum Salomonis cū Richardo, solium gloriæ Dei cum Ildephonso, Cathedram Cherubicam cum Esichio, Templum Diuinæ gloriæ ornatissimum cum Andrea Hierosolymitano; eo quod in tabernaculo eius, ille qui eam creauerat requieuit, quid dicent? Quid tantis Patribus oggannient? quid Spiritui sancto ore illorum, Sanctam Virginem collaudanti obijcient? Accusent miseri Ambrosium, qui Virginem vellus Gedeonis, quia sine corruptione concepit filium; Esichium qui Mariam hortum cōclusum, fontem signatum propter virginitatem eius perpetuam. Chrysippum

Maria est pons ad vitam & scala Iacob.

Sācti mediatores.

Maria mediatrix.

Encomia Patrū illustrissima in Mariam.

[a] ser. de laud. Mariæ.
[b] ser. 2. in Nat. Do.
[c] in hom. de assūp.
[d] hom. in Mamant. mart.
[e] hom. de laud. Mariæ.
[f] serm. signū mag.
orat. de laud. Mariæ. orat. de annūc. Marię.

sippum qui rubum ardentem incombustum, propterea quia non fuit absorpta a Diuinitatis maiestate in habitante; Ildephonsum qui lilium inter spinas & speculũ sine macula, propter summam puritatem, Mariã appellauit, & vocauit. Suggillent perditi Damianum, qui Mariam turrim eburneam, propter fortitudinem aduersus omnes insultus Sathanæ; Bedam, qui stellam stellarum, propter maximum gratiæ fulgorem; Rupertum, qui auroram consurgentem, eo quia finem nocti veteris legis attulerit; Epiphanium, qui candelabrum aureum, eo quod oleo misericordiæ repleta luceat & ardeat omnibus; Methodium, qui cysternam Bethleemiticã; Ildephonsum, qui puteum aquarum viuentium, eo quod aquam illam quam Christus dabat Christum ipsum e seipsa genuit, Mariam nuncupauit. Explodant infęlices Arnobium, qui Mariam terram Domini benedictam; Bernardum, qui terram germinantem saluatorem; Augustinum, qui terram de qua veritas orta est; Ephrem, qui tellurem sanctam ex qua nouus Adam formatus est; Ildephonsum, qui stellam Iacob ex qua sol iustitię prodijt, agnominauit Mariam. Conspuant totam Antiquitatem Sanctorum Patrum, quorum alij Mariam Deiparam. Oleum effusum. Palmam exaltatam in Gades. Virgulã fumi ex aromatib. Virgam florentem Aaronis. Cedrum exaltatã in Libano; Alij sororem & sponsam Dei, Columbam puram & omni Angelico exercitu formosiorem, formam Dei, forcipem carbonis ardentis, Fontem lucis omnem hominem illuminantis, Thuribulum aureum, Vas auri solidum ornatum omni lapide prætioso & alijs quæ alibi citauimus, infinitis encomijs Beatissimam Dei genitricem laudarunt, celebrarunt, & cõdecorarunt; Rati quod honor matris est honor filij: certi quod amicorum communia sunt omnia: persuasi quod in Deum nec inuidia, nec durities animi cadere potest; scientes quod bonum Diuinum sui est diffusiuum, & qui maiora .s. seipsum in filium dedit Virgini, & minora quoque qualia sunt encomia & nomina ista, cum non sine mysterio, non vana iactationẽ Mariæ conueniant; præstitit. Quorum nos vestigia sequuti. ad honorem (vos concludendo cum Iustiniano alloquor) huius Virginis pręcinamus in confessione. Deum veneremus in Matre, & matrem honoremus in filio, vtrique vota nostra fideliter resolua-

ſoluamus, quatenus genitrice interpellante pro nobis, vincamus mundum, Diabolum ſuperemus, tentationibus renitamur, conſequamur gratiam, adipiſcamur coronam atque in regnum introeamus æternum. Vniuerſa autem hęc vt facilius conſequamur tu o B. Deigenitrix, virgo fęcunda, cęli porta, delinquentium ſpes, pro nobis interuenire digneris: non te repellet qui naſci voluit ex te, honorauit te, requieuit in te, cui ille factus eſt tibi & tu illi, per infinita ſæculorum Sæcula Amen.

(*)

AD

AD TE CLAMAMVS

Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Ioan. 16. c.

CONCIO DECIMASEPTIMA.

In qua necessitas & vtilitas orationis, Luthero suadetur.

EO insanię deuenit vęsana impietas, hostium sponsæ Christi Iesu Ecclesiæ; vt non sufficiat illis oues sãguine Saluatoris nostri Dei redẽptas ab ipsis aũt velere veritatis spoliatas, diris opinionum venenatarum vibicibus mactare, læthalibus errorum fanaticorum plagis fauciare; verum & remedia salutaria illisque appositissima prorsus repellere atque amouere.
Luc.10. Illi enim dum Baptismum abrogant; quid aliud nisi ablutionem labis originalis reprobantes, cruentis vulneribus laceros, semimortuos inter tot hostium myriadas, vel cum homine illo in Hiericontis solitudine iacere, atque emori permittunt? Isti dum pænitentiam impugnant, quid obsecro nisi secundam post in fœlix naufragium tabulam, alteram hominis regenerationem, peccati vt aiunt actualis voluntarie perpetrati medicinam propulsantes; in profunda peccatorum uoragine, malis omnibus scaturire, perpetuum dissidium cum anima, & corpore, cum spiritibus Beatis, cum Deo opt. cum uniuerso terrarum orbe, atrocem pugnam habere volunt? Alij dũ contra Diuinissima Symbola fidei nostræ Corpus & Sanguinẽ Christi impijssime blaterãt, quid aliud nisi viaticũ nostræ peregrinationis, refectionem animarum nostrarum, subcineriitium illum panem, quem Angelus magni consilij dederat, è faucibus nostris plusquam crudeliter eripientes, fame famelicas animas

Hæretici occidunt animas.

Remedia peccatorum hæretici abrogant.

Sap.5.

3.Re.19.

sub

ſub hac vmbra iuniperi in deſerto mundo, perire exoptant?

Oratio-nes exclu dunt hæretici.

Alij demum dum orationes, lachrymas, obſecrationes, ſuſpiria, oblationes, ſingultus, & deludunt, quid niſi ſacram anchoram, tutiſſimum omnium calamitatum refugium, præſentiſſimũ omniũ malorũ antidotũ propellũt, excludũt exterminant? Quo quid funeſtius eſſe poteſt? Ad ſananda enim vlcera animæ noſtræ nihil ſalubrius; ad impetrandam gratiam Diuinam nihil efficacius; ad uitam promerendam cæleſtem, ad diluenda peccata, abluendam animam, dona gratiarum a Patre luminum deſcendentia abunde haurienda, nihil commodius aut adinueniri aut excogitari, oratione, poteſt.

Deus omnia operatur per cãs medias quicquid ad homines pertinet.

¶ Neminẽ veſtrum reperiri æſtimo, qui ambigat ſupremum rerum cunctarum Plaſtem, effectus præſcientiæ ſuæ ſe ſolo abſq; adminiculo alterius efficere poſſe; tamen quo eius & bonitatis & ſapientiæ maior ratio eluceſceret; ita diſpoſuit effectus & executiones ſuæ uoluntatis, vt non modo quod fiant, ſed quibus ex cauſis quoque, & quo ordine proueniant ordinauerit. Præſcierat olim Deus plaſma ſuum e faucibus Sathanæ erepturum; inuerſam in eo rerum ſcænam reparaturum; illud cum ſeipſo reconciliaturum, Aſt non ſola voluntate, ſed morte acerbiſſima Filij ſui intercedente. Per mortem enim ipſius liberati ſumus. Rom. 3.
Iuſtificati gratis, ait Paulus, per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Præuiderat multos ad agnitionẽ ſui, & ad Filij fidem eſſe peruenturos: ſed prædicatione Apoſtolorum. Euntes inquit in Math. ultimo.
mundũ, docete omnes gentes baptizantes eos in nom. &c. Hæc dicit Dominus. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad Iſai. 49.
populos exaltabo ſignum meum, Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, ſcilicet baiulantes in brachijs & vlnis populos ſuos ad te: & dices, ego ſterilis & non pariens, & quis mihi genuit iſtos? ego trãſmigrata & captiua, & iſtos quis enutriuit? ego deſtituta & deſolata, & iſti ubi hic erant? Reges erant nutritij tui, afferentes filios tuos in vlnis. Re-

ginæ nutrices tuæ filias tuas super humeros portantes. Vitam
Math. 18. æternam omnibus se daturum dispofuerat; Ast prauia obser
uatione mandatorum Dei. Nota est omnibus adolescentis il-
lius interrogatio. Magister bone, quid boni faciam vt habeam
uitam æternam? Respondit ei Iesus. Si vis ad uitam ingredi,
serua mandata. Non homicidium facies. Non adulterabis.
Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Hono-
ra patrem tuum & matrem tuam. Diliges proximum tuum
sicut teipsum. Plurima dona salutifera ad uitam & tempo-
raneam & supercælestem nobis dare prædestinauerat; non ta-
men sine cultu Religionis; non tamen absque orationum pia-
rum studio, ea nos assequi uoluit. Petite, & accipietis pulsate Dona sua
& aperietur uobis. Omnis enim qui petit accipit, & pulsan- Deus tri-
ti aperietur. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit buit ho-
Gen. 15. uobis. Quis enim Rebeccam sterilem, post tot Diuinas pro minibus
missiones concepturam hæsitasset? nisi tamen Isaac pius ille sed per o-
Patriarcha pro ea supplicasset, nequaquam conceptura aliquã rationem
Gen. 21. do fuisset. Habuit Isaac promissiones. In Isaac vocabitur ti
& 26. bi semen. Benedicentur in semine tuo omnes gentes ter-
Gen. 25. ræ, eo quod obedierit Abraam voci meæ & custodierit
præcepta & mandata mea. Depræcatus est tamen Dominum
pro vxore sua, eo quod esset sterilis, Qui exaudiuit eum, &
dedit conceptum Rebeccæ. Supplicauit; quia sic promissio-
nes implendas putauit. Quis populum Israeliticum post tot
Exod. 3. Diuina oracula hostes superare dubitasset? Dixi ut educam
Gen. 15. vos (ait Deus ad seniores Israel,) de afflictione Aegypti in ter-
ram Chananæi, & Hethæi, & Amorræi, & Pherezæi, & He
uæi & Iebusæi, ad terram fluentem lacte & melle. Leua oculos
tuos in directum & vide a loco in quo nunc es ad Aquilonem,
& meridiem, ad orientem & occidentem: omnem terram quã
conspicis tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Ini-
micos vestros conteram sub pedibus vestris: Nisi tamen Moy-
ses ille sacer exorasset, nunquam tot inimicis præualere po-
Exod. 17. tuisset, Dum enim leuaret Moyses manus, vincebat Israel, sin au
tem paululũ remisisset, superabat Amalec. Quis Dauidem post
Psal. 88. tantas pollicitationes e manibus Sauli liberandũ diffidisset? In
ueni Dauid seruum meũ, oleo sancto unxi eũ, manus mea auxi
liabitur ei, & brachiũ meũ cõfortabit eũ, nihil proficiet inimi-
cus,

cus in eo,& filius iniquitatis nõ apponet nocere ei. Cócidã a fa cie ipsius inimicos eius,& odientes eum in fugã cõuertam. Attamen id orationis præsidio. Inuoca me præcepit Dominus,in die tribulationis,eripiam te & honorificabis me. Oramus .n. (vt sanctus ille Aquinates reliquit) non vt Diuinam dispositio nem,quod nobis turpiter ingerit Lutherus immutemus; sed vt id quod Deus per orationes sanctorum esse implendum dispo- suit impetremus; vt .s. mereamur accipere quod nobis Deus omnipotẽs ante sæcula pro misit donare. Nunc mihi cum fœdi fragro Luthero agendũ ẽ. Docuerat is frequenter procaci lo- quacitate sua,orationes nobis non vtiles & ideo abrogãdas ab oris nr̃is,&ex lõgo vsu,diuturnaq; cõsuetudine exterminãdas: hac vel potissimũ rõne,ut ipse stramineus (qui paruulo impetu tentationũ confractus,in tot & tãta delapsus est scelera,vt simi lem nec esse,nec fuisse,nec futurum esse tot criminum autho- rem credi indubitato possit.) straminea. Proclamat ille; Præ- destinationem summi illius Opificis,nullo modo supernatura li,multo minus naturali immutari posse. Si etenim (loquitur ille) Rerum vniuersarum sator, me aliquo bono potiturum æterna præcientia decreuit,eum etsi orationibus non urgeam meis,præstiturum animo firmo & stabili confido. Si vero con trarium præordinauit, centies si supplicem millenasque præ- ces fundam, ipsius prædestinationem mutare non possum. Ad id enim me asserendum;ad hanc opinionem totis amplexi bus complectendam,& grauissimorum Philosophorum sen- tentia,& Catholica fides impellit. Deus siquidem, vt omnis potentiæ,ita omnis mutabilitatis expers est. ¶ Firmissimũ equi dem argumentum; non quemlibet militem sed ipsummet A- chillem nobis opponit,nos cum illo dimicandum vt aliquan- do Goliat Philisteus populum Israeliticum,plenis buccis aper toque ore inuitat. Quid ais,bone boni nuncij prędicator,vel inique potius errorum calidissime & impientissime promulga tor? Rerum vniuersorum sator, me aliquo bono potiturum si æterna præscientia decreuit, eum etsi orationibus non vrgeam meis,præstiturum animo firmo & stabili confido? Decreuit il- le nos saluos quod est summum bonum, fieri: decreuit ad agnitionem sui peruenire:id tamen absoluta potentia; id non mediantibus causis secundis, nullo modo voluit. Quorsum enim

Ps. 49

22. æ. q. 82.

Lutheri procax lingua de oratione.

Actio cũ Luthero de oratione.

enim mandatorum obseruationem? quorsum Sanctissimæ voluntatis, quæ est Sãctificatio nostra promulgationem nobis palam fieri uoluit? Quorsum nomen suum prædicari, & mandauit & voluit? Sine præceptis nos saluare, sine nominis sui prędicatione notum se facere, aut non potuit aut noluit? Certe potuit. quia eum Omnipotentem Cælum, terra, astra, mare, & quicquid in eis, sub eis, & super ea est, te quoq; non negante, rebus ipsis non sermonibus asserunt. Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius. Dominus virtutum. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Omnia quæcunq; voluit fecit in Cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Non voluisse autem sed summo potius affectu voluisse, verba Doctoris Gentium Pauli. (Omnes nos inquit vult saluos fieri & ad agnitionem sui nominis peruenire;) labores, curæ, sollicitudines, sudor sanguineus, flagra, opprobria, ad extremum Crux ipsa, mors certissima ipsius protestantur. Quod si ea nobis quæ vt potuit sic voluit, non tamen absque medio & medio tam inenarrabili atq; admirabili, seipsum illud constituendo elargitus est: alia nobis absoluta virtute sua non mediantibus causis largietur? Sunt promissiones quibus nos tanquam placidissimus consolator solatur: eas tamen absque petitionibus impleri minime promittit. Qui petit, inquit, accipit; qui quærit inuenit & pulsanti aperietur. Promissa non accipit qui non petit: quærenda non inuenit qui non quærit: illuc quo peruenire debet, nisi pulsauerit ianuis clausis intrare non potest. Non quia Dominus non possit, uel non velit, sed quia ea media quæ ipse præordinauit & destinauit, negligit & prætermittit. Orationis igitur & obsecrationis vsus ad promissa Diuina in nobis implenda, tutissimum & certissimum atq; infallibile medium est. Præstare nempe obsecrantem, aiebat doctissimus Cardinalis Caietanus, non id infert, ut aliquid velit aut malit immutabilis Deus; sed vt opera nostra fiat, quod alias factum non fuisset; sed ut accommodæ causæ efficiendis adhibeantur rebus. secundarum quippe causarum leges qui norunt non ideo negant vanas esse, quod summi opificis potentiam augeant, aut voluntatem mutent; sed quia statutus ordo seruatur, quia effectus cognatas etiam habent causas, Quia a summo bono descendunt consono gradu rerum perfectio-

[Margin: Exod. 15. Psal. 23.]

[Margin: in orat. de ui cultus Diui ni.]

[Margin: Caietani de cooperatione humana, iudiciũ.]

fectiones. Ita namque sapientia attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Proinde, ait qui seruorum Dei orationes cæterosque supernæ vitæ gratia susceptos labores despiciunt, & causare nihil contendunt: defendant uana esse singula hominum studia, accusent auidos agricolas, arguant solicitos negociatores, milites, omnium artium opifices, & varijs literarum disciplinis operam dantes, damnent ipsam denique naturam, quæ sicut ad vitæ status gloriæque commoda possidenda, laborandum esse suggerit; sic ad fœlicitatem habendam orandum esse docuit. fidelissimo naturæ testimonio, omnium nationum, omnium prorsus sæculorum ritu comprobante.

Lutheri superbia, & præsumptio.

Orationibus, inquit Lutherus, & si non vrgeam meis, præstiturum animo firmo & stabili confido. Orationem profecto, ut superbi hominis sic superbam; hominis vt super se ambulantis, & ea quæ super illum mirabilia fuerint concalcare cupientis, sic elatam atque præsumptuosam audite. Eum etsi non obsecrem, præstiturum animo firmo & stabili confido. A quo hoc chyrographum tibi serue fidelis a Domino delatum? Cuius personæ, Patris ne an filij, an Spiritus Sancti digitto subscriptum, nobis in testimonium tuæ istius orationis adfers? Quo nam tempore in Auditorio illo Diuino arcanorum auscultator; vel quod dicam mirabilius, sapientissimus consultor fuisti? Quonam tempore promissionem eam, quod sis amore dignus a Domino accepisti? Profecto te tacente, te turpissime obmutescente; vnde hæc sumpseris, & ex quo hauseris ego conijcere & palam facere possum. Is tibi hoc chyrographum detulit, qui te de domo Dei abstulit: Is tibi hoc subscripsit, qui te in domo Domini tui dilectum & prælectum olim, scelera multa perpetrare fecit: Is tibi arcani illius Diuini consilia aperuit; qui tecum vt ip se asseris modium salis comedit. Huic tu tamen mendaci, delatorum eorum authori, animo firmo & stabili confidens, tibi hæc polliceris? Vnde hic infractus animus? mens stabilis, firma fiducia? Quo Spiritu Diuino instigante? Non virtutem ego Theologicam illam quæ spes vulgo dicitur, sed superbam præsumptionem quæ nefandum vitium est, non pullulantem tãtum sed resultantem conspicio. Non mea, inquis, præsumptio, non tam firma PGL130.

ma

ma ſpes ad firmiter ſperandum, ſed grauiſſimorum Philoſophorum coniuncta fidei Catholicæ ſententia impellit. O peracutum Philoſophum. ſcilicet. amiciſſimum & aſtrictiſſimũ huius ſectatorem. Quam peracutus ſis Philoſophus, quam eidem amiciſſimus; ſectatores tui te moderni, qui nihil aliud quam purum putumque Dei verbum vt ipſi aſſerunt, ſic ab alijs afferi poſtulant: Qui rationes quibus ad veritatem cognoſcendam prius adducuntur, poſtmodum conuincuntur, cum ijs qui eas adferunt ſpernentes (Philoſophia inquiunt mecum o bone Pater non verbo Dei agis) abigunt; declarant ac demonſtrant. Grauiſſimorum Philoſophorum ſententia. Quaſi vero Philoſophi, medias cauſas, vt verbis illorum vtar, ab efficientia Dei & cuiuſcunque agentis excludant. Quorum perpetua ſententia eſt, ex voce acutiſſimi Philoſophi & Cardinalis ſanctitate inſignis, prolata. Omnipotens Deus & ſi ſolus quæcunque facta infectaue ſimul non implicant efficere poteſt; quemadmodum tamen diffundendæ bonitatis ſuæ gratia, res omnes quæcunque ſint, exiſtentia donauit: ita res fere cunctas, omni relegata inuidia, ad ſupremam Deitatis participationem aſciuit, dum agendi eis virtutes liberali largitione conceſſit, & tanto fædere ſecundas cauſas ſibi deuinxit, vt nec illius immenſitas quantulamcunque efficaciam abſorbendo conſumeret, aut præueniendo impediret; nec harum interuentus illius ad vltima quæque aditum obſtrueret. Illapſus enim quidam Diuini numinis adeo intime fit, vt Cœlum ac terras, campoſque linquentes, lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra Spiritus intus alat, totamque infuſam per artus Mens agitet molem, & magno ſe corpore fundat. Diſtribuit quoq; ea lege totam agentium ſeriem, in tres ordines, corruptibilium ſcilicet, Cœleſtium, & immaterialium: vt & inferior ſuperiori obtemperet, atque extra quin potius ſupra omnes, ipſe totius Orbis princeps totius bonitatis fons, origo, cuſtodia, conſummatio, moderator præſideat. ¶ Fides inquit Catholica. Quæ Catholica? Vitebergenſis? videlicet. Quid eſt eſſe Catholicũ, quam vniuerſale? quid Vitebergenſe, quam particulare? Particulare vniuerſale. vniuerſale, particulare inſulſa tua & aſtuta oratione ad ſubtilius decipiẽdũ agnominas. Fides Catholica, inquis adhuc, Deũ vt oĩs potẽtiæ ita oĩs mutabilita

Hæretici rationes ſpernunt.

Caietan' vbi ſupra.

Bonitas Diuina in hoc elucet quod homines ſuos cooperantes efficit.

Lutheri calumnia & ſimulatio.

tis expertem (quod nos nec inficiamur, nec inficiari quéquam permittimus) asserit. Inde tamen te colligere posse, Orationes abrogandas omnimode negamus. & consequens tuum id, vt falsi falsum quoque protestamur. In contrarium.n. videlicet non exterminandas sed in frequenti vsu obsecrationes habédas; edocta in primis veteris testaméti exemplis, in quo multis orationibus multos inuigilasse patet: post, ipsiusmet authoris Noui testamenti, huiusmodi monitis & actionibus (erat enim pernotans in oratione) cuius omnis actio nostra est instructio, Christi Iesu Saluatoris nostri inflammata; demum tot adhortationibus Apostolorum Petri, Pauli, Iacobi, & aliorum accensa Ecclesia, toto Orbe diffusa; docet, monet, atque fieri id statutis temporibus magna cum solennitate, varijs ac multis ad populum id vt feruentius exequantur, incitandú cerimonijs; toto conatu vult & præcipit. Edocta est primo veteris testamenti exemplis in quo multis orationibus multi inuigilauere. a Abel primus inuocauit Dominum. b Noe secutus obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis. c Orat & Abraam. Domine quid dabis mihi? ego vadam absque liberis. d Isaac depræcatur Dominum pro vxore sua eo quod esset sterilis. e Supplicauit Iacob. Deus Patris mei Abraam, & Deus Patris mei Isaac, erue me de manus fratris mei Esau, quia valde eum timeo. f Semen Patriarcharum populus Israel, clamauerunt ad Dominum cum tribularentur & de necessitatibus eorum liberauit eos. vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Aegyptiorum. g Obsecrat Iosue. Heu Dñe quid voluisti traducere populú istú Iordané fluuiú, vt traderes nos in manu Amorrei & perderes? Vita Dauidis nihil aliud visa est, quam perpetua & sépiterna oratio. Volens hic silentio innoluo Iosiam sanctum, Salomonem sapientem, Ezechiam iustum, Machabeos fortes, Danielem mirabilem, Infantes innocuos, Susanam castam. qui supplicationibus suis quæ & quanta miracula operati sint, vetus instrumentum pleno ore proclamat. Omnium enim erat ista vox communis. h Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te. Inflam-

Orandi antiquitas.

a. Gen. 4. b. Gen. 8. c Gen. 15 d Gen. 25 e Gen. 32 f Exod. 3. g Iosu. 7. h 2. Paral. 20.

flammata est demum exemplo Saluatoris. Qui per noctabat
a Ioã.11. sæpe in orationibus, qui ascendit in montem solus orare. Suscitabat Lazarum quatriduanũ, a sed primum lachrymatur, fre-
b Ioan·6. mit in semetipso, eleuat sursum oculos & dicit. Pater gratias
c Mat.26 ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper
d Luc. 6. me audis, sed propter populum qui circumstat dixi. Multipli-
e li. 5. in Luc.c. 6. cat panes in manibus suis; b prius tamen gratias agit & bene
f super Ioã.tract. 104. dicit. Calicem passionis bibiturus est; c sed primo cum angore clamat. Pater mi. Pater mi, vis vt bibam illum, fiat voluntas
g Rom. tua. Episcopos seu Apostolos consecraturus est. d verum prius in oratione noctem ducit insomnem. Vbi nolite insidiatrices aperire aures ò hæretici, (monet e Ambrosius) vt putetis filium Dei quasi infirmum rogare, vt impetret quod implere non possit. Potestatis.n. actor, obedieñtiæ Magister, ad præcepta virtutis suo nos informat exẽplo. Ita se, ait Aug. f Patri exhibere voluit præcatorem, vt meminisset nostrum se esse Doctorem. Edocta est demum exemplo Sanctissimæ Virginis Deiparæ, quæ cum vitam suam cultui Diuino ab infantilibus consecrasset annis, ab ipsis pene incunabulis, hoc vnũ pre cæteris meditabatur, vt orationum cathena Deo sese colligare posset. Aspexerunt sacrati Salomonis templi Leuitæ, puellam teneram adhuc, in templo a parentibus relictam, alias quæ ibidem ad ætatem nubilem addictæ erant, studio pietatis anteire. Vidit S. Simeon Sacerdos Virginem beatã, inflamato animo cælestia petere, suauissimosque sepe sæpius cum Deo miscere sermones. Viderunt Pontifices summi, Mariam per quindecim altissimos gradus ad sancta Sanctorum nocte & die penetrantem, & sacrificium laudis, & orationum suffitus mirificos supremo Auctori oferentem. Audiuit & Gabriel Archangelus cælestis connubij pronubus, futuram Deiparam in suo lárario incensas preces cum lachrymis Deo porrigentem. Miserere tandem populo tuo (aiebat forte) Deus opt. Inclina tandem aures tuas, ad pauperum gemitus, ne despexeris Patriarcharum & Prophetharum, & S. Patrum ploratus. O quando aspicies afflictionem generis humani? Quando propitiatus nobis portas coelorum æreas confringes? Quo tempore pluuiam salutis, & rorem opratissimum, illud oleum & balsamum in arentem terram profundes? Quis mihi tribuet vt vellus non Gedeonis sed

Orationes B. Virg. Mariæ.

Dauidicum, cœlesti aspersum latice aspiciam? Quando tandem terra nostra dabit fructum suum? putas erumpet virgula Iesse, floris speciosissimi mater? Exurge tandem & ne repellas infinem. Inflammata demum est exemplis Apostolorum. Petri, quem sudariolum semper gestasse in vita, propter lachrymarum imbrem ab oculis per orationis tempus defluentem, constanter omnes asserunt. Pauli, cuius illæ adhortationes, Orate pro inuicem ut saluemini. Obsecro per Dominum Iesum Christum & per charitatem Sancti spiritus, ut adiuuetis me in orationibus vestris, pro me ad Deum: ut obsequij mei oblatio accepta fiat: ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa. Iacobi Hierosolymorum primi Episcopi & Apostolorum Prothomatyris, quem callum obduxisse genibus propter frequentem orationem, fama est. Bartholomæi quem centum vicibus genua flectere in orationibus; plurimi adnotarunt. Ioannis Euangelistæ, qui præmissa oratione & inuocatione S. Trinitatis, veneno hausto, nihil contagij persensit. Aliorum Apostolorum & Primitiuæ Ecclesiæ Sanctorum, qui orationibus, febres curabant; cæcos illuminabant; claudos erigebant; leprosos mundabant, Dæmones eijciebant; super flumina sicco vestigio deambulabant: peccatorum veniã implorabant; Deum hominibus conciliabant; Cœlos aperiebant: fertilitatem donabant; mortuos ad vitam reuocabant, Ita vt Cassianus primus obseruator & scriptor, diligentissimus primorum sanctorum Patrum; hæc verba ex sententia illorum dixerit. Oratio posita est per quam ira Dei suspenditur; venia procuratur; pœna refugitur; præmiorum largitas impetratur; cum Deo loquitur cum iudice fabulatur; præsentem sibi facit, quem videre non præualet. Oratio, ut alter non minus doctus quam Sanctus vir, Climacus, reliquit; secundum qualitatem suam coniunctio atque vnio est hominum & Dei; secundum actionem vero, cõstantia mundi: reconciliatio Dei: lachrymarum mater earumque item filia: peccatorum propiatio: tentationum pons: tribulationum interpositus paries: bellorum confractio: Angelorum opus: in corporearum omnium virtutum cibus: futura lætitia: infinita operatio; virtutum fons: gratiarum ministra; profectus inuisibilis: nutrimentum animæ: mentis illuminatio: desperationis amputatio: fidei demonstratio: iræ imminutio

In vitis illorum.

Oratio.

Orationis encomia.

Grad. 28.

tio: speculum profectus: mensuratum indicium; status insinuatio: futurorum reuelatio: flentibus clementiæ significatio.

Velim ex te scire Luthere (dicito mihi p tuã te salutem obtestor.) An te profiteris salutis humane auidum nec ne? inimicum reparationis nostræ nec ne? Persuasum habeo te velle affirmare, nihil tibi magis in vita optandum, nihil desiderandum, nihil magis amplectendum salute animarum, & iustificatione fidelium. Quod autem (rursus te appello o perfide) potest esse maius peccati remedium, pulchrius animæ ornamentum, commodior vitæ Cœlestis promerendæ modus, oratione? Siue etenim, vt suadebat Chrysostomus, quis meditatur frenum inijcere iracundiæ; siue quis cupit ab inuidentiæ lue purus esse, siue quis cum mansuetudine familiaritatem habere vult; siue quis studet amplecti honorabilem coniugij castimoniam: quis virginitatis amore tenetur: siue quis denique aliud quippiam quod ad recte viuendum spectat, facere studet. annon duce præcatione obstrinebit? an non oratione communitus consequetur? Neque enim fieri potest, non potest fieri inquam, vt qui postulant a Deo pudicitiam, iustitiam, mansuetudinem, castitatem, benignitatem, id quod petunt non assequantur. Petite inquit Dominus, & dabitur vobis, quærite, & inuenientis, pulsate & aperietur vobis. Quem autem fugit quod Solis, Lunę, stellarumq. lumen, quod Cœli temperiem ac variam alimentorum copiam, quod opes, quod vitam denique, quod innumera alia bona cuncta ex ęquo mortalibus iustis pariter & impijs, sola immensa bonitate illectus largitur Deus? Quod si illos nec rogantes, nec obsecrantes, tanta quotidie misericordia prosequitur, quantis bonis consequens est fruituros eos, qui omnem vitã orationibus vacarũt? An non longe maiorib. potientur? Nõ opulentiora percipiẽt? Quid autem, dicito mihi o impie Luther, potest inueniri sanctius, his qui cum Deo commercium habent? quid porro iustius? quid ornatius? quid sapientius? Si etenim, ita argumentur Chrysostomus, qui cum sapientibus viris colloqui solent, adeo transformatur, vt illorum prudentiam referant, quid dicere conuenit de his qui cũm Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes? Quanta sapientia, quanta virtute, quanta bonita, quanta sobrietate, quanta morum ęquitate, re-

Orationis utilitas.

In orat. de orãdo Deum.

tate, replet illos obsecratio? Oratio siquidem duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat: oratio fundamentum fidei spei & charitatis fomentum: oratio Sancta columna Sanctarum virtutum est: Deitatis scala: Angelorum cognata; animę armatura: flagellum hostium, turris inuincibilis, portus salutis, oratio totius vitę Christianę perfectio atque complementum. Oratio est a scala Iacob; b Incensum in odorem suauitatis Diuinę, c fumus iecoris piscium eijciens Dæmones, d gladius Moysi sine effusione fundés sanguinem Amalech. e clauus Iael transfigens tempora Sisaræ. f virga Moysi tot miraculorum effectrix. g Sonus cytharæ colligans iniquo spiritus. Ne autem vos verbis tantum videar detinere. Dicebat Cassianus. *Oratione ira Dei suspenditur.* h Recordamini Moysis, dum populus ille peccauerat peccatum maximum, & irritauerat Deű. Quid fecit? Quo placauit iram Diuinam? Obsecro inquit Domine, peccauit iste populus peccatum maximum, feceruntque sibi Deus aureos Aut dimitteris hanc noxam, aut si non facis dele me de libro quem scripsisti. *Oratio est bellorum confractio;* i dum Moyses precabatur vincebat Israel. *Angelorum cibus.* Angeli enim perpetuo & indefesso clamore k Sanctus. S. S. Deo omnipotenti proclamant & incensa illa ex thuribulis suis ad thronum Agni semper fumigant. *Mentis illuminatio* l. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Salomoni m per orationem datum erat, vt nemo in sapientia similis ei fuerit, nec futurus sit. Quia postulasti verbum hoc sapientiæ, ait Deus, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens.

Oratio Desperationis amputatio. Filius ille n. prodigus testat. Pater peccaui, non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. *Fidei demonstratio:* Orationes tuæ & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen & accersi Simonem Petrum, hic dicet tibi quid te oporteat facere. *Mensurarum insinuatio* Cęlestis Ecclesiæ, Ezechieli p prophetæ. *Futurorum reuelatio* q. Ioanni Euangelistæ. *Oratione febres curantur* r Paulus intrauit ad Publij Patré febrib. & disenteria vexatum

Allegorię orationis

Orationis mirabiles effectus cum explicatione diffusa encomiorum suprapositorum.

a Gen. 28. b ps. 8. c Tobi. 17. d Exod. 17. e Iudic. 4. f Exod. 7. g 1. Reg. 16. h Exod. 32. i Exod. 17. k Isai. 6. l Iacob. 1. m 3. Reg. 3. n Luc. 15. o Act. 10. p Ezech. 40. q Apoc. 4. &c. r Act. 28.

a in vita ratum, & cum orasset & imposuisset ei manus saluauit eum.
B. Hiac. *Caeci illuminantur*. b Clarissimũ est miraculum Hyacinthi
b Act. 3. duos caecos oratione illustrantis. *Claudi eriguntur* b In no-
c Mat. 17 mine Iesu Christi Nazareni, surge et ambula vt dixit Petrus sta
d in vita tim cõsolidatae sũt bases eius & plantae. *Daemones eijciuntur*. c
ipsius. Hoc genus daemoniorum non eijcitur nisi per ieiunium & orationem. *Oratione aquarum impetus sicco pede calcatur*. Notissimum est, d Hyacinthum illum plusquam Eliseum, tribus vicibus furentes gurgites aquarum siccis vestigijs, vestigijs relictis super Vandalum & Boristhenẽ, vna cũ fratribus transijsse. *Oratio caelos aperit*. Cum orasset Stephanus & inuocasset Dominum, intendens in Coelum uidit gloriam Dei & Iesum stantem a dextris virtutis Dei. *Oratio mortuos ad uitam reuocat*. Eiectis omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit. Tabitha surge, quae aperuit oculos suos & viso Petro resedit. Oratione (vt in vnum collegit Caietanus) terra aperta est & deglutiuit Dathan, & operta congregatione Abyron rursus clausa est. Iordanis vnda perpetem suum meatum retorsit. Aer mensibus sex & annis tribus serenitatem seruauit. Ignis a combustione castrorum cessauit. Oratione grando tonitrua pluuia, muscae, ranae locustę fugatae sunt. Rebeccha a sterilitate soluta. Maria a lepra mundata. Excaecati & rursus illuminati Syri. Ezechiae tenquini adiuncti sunt anni. Vita functi pueri reuixerunt. Oratione Moyses Amalechytarum profligationem, Samson extremum robur, Salomon sapientiam, Daniel visorum reuelationem, Hester Assueri gratiam, Mardocheus populi liberationem, Susanna intentatae mortis vltionem obtinuit. Oratione Sol commoratus in Cęlo longiorem triumphanti populo diem praestitit, Solis recessus in decimum pertransitae uitae gradum, Isaię vaticinio testis affuit. Oratione immanissimus draco, cui permissum est animas seducere, in angustum deserti carcerem deiectus est, Daemonum genus Apostolicae authoritati resistens eiicitur. Angelus Domini centum octoginta quinque virorum millia interemit, Michael Iudęis pręsidium tulit. Gabriel Danielem solatur. Raphael Tobiae lachrymis affuit. Sed quid per creaturas vagor? Creator nempe ipse humillimi famuli sui oratione detentum se fatetur. Dimitte inquit me, ut irascatur furor meus.

Rursus

Amicorum equidem proprium est, eorum quibus cum amicitiæ dandæ necessitudinis vinculis constricti sunt, bonum commonstrare honestum, promouere iucundum, dilatare atque amplificare vtile. Hic profecto non modo non commonstrat sed obscurat, sed amouet; non dilatat sed hoc quod dilatatum est coarctat, & in summas angustias redigit, atque comprimit: uerum ut ea quæ amici sunt negligit, sic quoque id quod maxime pro nobis est, sibijpsi non constat, Protheoque ipso mutabilior est. Profitetur se esse perauidum humanæ reparationis, res eum, perauidum perditionis, magis quam digito declarat. Oratio iusti, inquit Ecclesiasticus, Cœlos penetrat, aera rumpit, non consolabitur donec Deus respiciat; Hãc dum tolit, id quod Cœlos petat, quod causam pro nobis agat quod nos cum Deo concilíet; quod angustias, calamitates, necessitates nostras summo rerum Opifici deportet; hostili manu impugnat & eijcit. Sed finem iam controuersiæ nostræ huius cum eo dum facio. vobiscum .N. mihi nunc oratio est. sermo meus ad vos dirigitur. Audistis rei quæ hac mea sermocinatione tentabatur, necessitatem, fructus & commoda quæ in nos conferat intellexistis; errorem insulsum animicidę istius perspexistis. nihil aliud restat, nisi falsum & ab oĩ vero alienũ, quod oculis vidistis & manib. contrectastis, deuitetis. Id quod necessarium cognostis, & perutile didicistis, toto mentis nisu amplectamini. Habet aliquis vestrum vulnera, ne differat; habet vlcera, ne procrastinet: medicinam hanc salutarem quærat; antidotum hoc saluberrimum postulet. Si quis vestrum vult prauas affectiones conculcare, vanas cogitationum muscas effugare, astutias Sathanæ depræhendere, eius fallacias deuitare, vacet orationi, inhient deprecationi. Si quis vestrum vult in vita spirituali sese exercere, carnis curam in desiderijs non agere, per laboris & afflictionis viam incedere, patiẽter aduersa tolerare, tentationes & tribulationes superare, cor suũ virili Spiritu, constanti proposito in Dei beneplacito stabilire. de in si vitia extirpare, virtutibus ornari, atria Cęli lucidissima conscendere; vaccet orationi, studeat obsecrationi. Petite & ac. qu. & inu. &c. Quod nobis concedere digneris Christe Iesu qui viuis in sęculorum sæcula Amen.

D. Bonauentura.

AD

AD TE CLAMAMVS EXVLES FILII.

Omnis vir orans aut Prophetans velato capite, deturpat caput ſuum. 1. Cor. 11.

CONCIO DECIMAOCTAVA.

In qua & quid & quomodò orandum ſit, ad imitationem illius. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, docetur.

Allegoria cur Moſaicus ſacerdos cooperto capite orabat.

PRAECATORES Noui teſtamenti, quonam modo a veteris Legis ſupplicantibus differant; qui Exodum Moyſi diligenter legit, atque cum Pauli propoſita ſententia trutinauit, facile diſcrimen agnoſcere poteſt. Dum enim Deus vocato ad ſe Moyſe in montem, edoceret illum facere ſibi ſanctuarium, in quo habitaret in medio Iſraelis; Fabricare archam teſtimonij, in qua reponeret Tabulas legis, Manna ſuauiſſimum, & virgam florentem, Dum monſtraret qualem veſtitum faceret, Aaroni fratri ſuo in gloriam & decorem: poſtquam rationalis & ſuper humeralis & thiaræ & laminę menſuraret materiam, aurum, hyacinthum, purpurã, lapides & pretioſos, Inter alia præcepit talem veſtem conſui. Facies inquit & tunicam ſuper humeralis totam Hyacinthinam; in cuius medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut ſolet in extremis veſtium partibus fieri, ne facile rumpatur. Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium Domini, & non moriatur. Orantes igitur in veteri teſtamento habebant, dum orabant capitio caput ſuum coopertum: in noua autem Lege aperto capite ſuplicare debent. *Omnis enim vir ornans*, ait Paulus, *velato capite, deturpat* Exod. 28

turpat caput suum. Et hoc est primum & maximum discrimen, inter præcatores noui & antiqui testamenti. Quod illi, si orant velato capite, deturpant caput suum: isti autem si orant discooperto, periculum est ne moriantur. Admirationem forte risui coniunctam peperit vobis, hæc mea distinctio? Dicitis enim forsitan inter vos in cordibus vestris. Quænam hæc est differentia orare in capitio, & discooperto capite? Quæ tam grauis pœna transgressoribus; vt si Mosaicus sacerdos oret sine illa veste cum capitio coniuncta, moriatur? si vero gratiæ Legis supplex, oret cooperto capite, deturpet caput suũ? An non vos Fratres religionis, velato capite Deum obsecratis? An non capitia portatis? An non in capitijs Psalmos, qui
in hexā. lib.6. sunt primæ orationes; Psalmus enim vt Basilius notauit, dæmones fugat, angelos ad adiutorium salutis inuitat, scutum est in nocturnis terroribus, diurnorum requies laborum, cautela pueris, iuuenibus ornamentum, solamen senibus, desertas faciens habitari vrbes, sobrietatem docet, incipientium primum efficitur elementum, profitentibus incrementum, perfectis stabile firmamentum: An non inquam has salutares orationes simul & alias in capitijs, decantatis, atque dicitis? Quis tamen audet dicere quod deturpetis caput vestrum.? An vero etiam nos simul vobiscum, dum ad Sancta Sanctorum templa in hyemis frigoribus, velato capite accedimus, mortis sententiam meremur? Quod est hoc discrimen, orare cooperto & discooperto capite? Quod mysterium? quale secretum? Quid docet? quid continet? quomodo diuidit Sacerdotem Moysi a nobis orantibus? Maximum mysterium; profundum secretũ; primum vt iam dixi discrimen inter præcatores Nouæ & Antiquæ legis, Quod illi velato, isti denudato capite orare debent. Omnis.n. vir orans velato capite deturpat caput suũ. ¶ Et primum quidem mysteriũ est. Quid nos orare debeamus. Quod .s. non terrestria vt illi sed Cœlestia. Scitum est a quocunq; vestrum, Antiquos Patres, terræ non Cœli cultores fuisse, illis in
Deut.28 beatitudinem non Cęli bona sublimia, sed terrę promissa fuisse. Si, inquit Moyses, audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, faciet te Deus excelsiorem cunctis gentibus, venientque super te vniuersæ benedictiones istæ. Benedictus tu in ciuitate & benedictus in agro. Benedictus primum Secretũ. velati capitis.

dictus

dictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum greges armentorum tuorum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Dabit Dominus inimicos tuos consurgentes aduersus te, corruētes in conspectu tuo. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: & fœnerabis gentibus multis, & ipse a nullo fœnus accipies. Breuiter, omnes illorum benedictiones conclusit Psalmographus. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius, Quod ergo præmium eorum? Labores inquit manuum tuarum, quia manducabis. Beatus es, & bene tibi erit. Qua beatitudine? Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur hō qui timet Dñum. Videamus an nō idem polliceatur Deus, Patriarchis sanctissimis. Abraamo Patriarchæ dū ei pciperet. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris sui ait, & faciam te in gentē magnā & semini tuo dabo terram hanc. Isaac peregrinanti in Palestinam, similiter quoque dixit. Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraam Patri tuo; & multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cœli. Idem Isaac cum nullam aliam benedictionem hæreditario iure obtineret. dum moriturus Iacobo benedixisset ait. Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini & olei. Venisset aūt Esau eiulans & dicens. Nunquid reseruasti & mihi benedictionem? Respondit Isaac. Dominū tuum illum constitui, & omnes fratres illius seruituti subiugaui, frumento & vino & oleo stabiliui eum; & tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? ac si dixisset. Alia non habui a Deo: terram mihi dedit Deus, terram illi reliqui; Benedictionem terrenorum habui, hanc illi donaui. Tibi quid vltra faciam?

Deus quomodo apparebat Patribus antiquis.

Terrā igitur cū suis bonis respiciebāt; de terrenis cogitabāt; terrena præcabātur; de Cęlestib. nihil audierāt. Deus cum illis apparebat, ponebat tenebras latibulum suum, tonitrua ciebat; micabant fulgura; nebulæ densissimæ implebant montes, propitiatoria, tabernacula, templum. Totus mōs fumabat Synai, eò quod descēdisset Dominus Deus super eum in igne, & ascēderet ex eo fumus quasi ex fornace: eratque oīs mons terribilis.

Cęlestia sua bona, vmbraculis, vel cortinis siue alis Cherubinorum & Seraphinorũ velabat. neque Moysi tã anxie depræcanti. ostẽde mihi faciẽ tuã, concedere voluit. videbat enim tantum posteriora Dei. Quia ergo uelatum caput a Cęlestium vsu, & contemplatione habebant, & ideo non pro Cęlestibus sed pro terrenis supplicabant. Regnum Cęlorum tantũ a tẽporib. Ioannis vim patitur, & nullus alius nisi violenti rapiunt illud.

Christus nobis aperuit cęlũ & illud intueri p̃cepit.

Math. 11 Nobis Cęlum Elias noster Christus aperuit, Clauserat enim illud malitia sua Prothoparens noster, vsque ad Baptismum Christi. Nobis Cęlum promisit. Pęnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum Cœlorum. Nobis terrena contemnere iussit, Vade vende vniuersa quæ habes, & da pauperibus & habebis mercedem in Cœlo. Nobis thesaurizare non in terra vbi fures furantur, aut tineæ demolliuntur, sed in Cœlis præcepit. Nobis interdixit solicitudinem corporalium, & terrenorum. Ne solliciti sitis corpori vestro quid induamini, Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, hæc enim omnia gentes inquirunt. Nobis iussit. Quærite primum regnum Dei, iam deponite capitia vestra, iam intueamini Cęlum non terram; modo vir orans velato capite, nullam curam habens Cœlestium, aspiciens terram more iumentorũ, & more gentium aliarum, deturpat caput suum. Modo.n. non oleo impinguanda sunt capita vestra, sed balsama gratię. non vino luxuriante inebriabimini, sed charitate fragrante & extaticos faciente. Non pane triticeo, sed pane Angelorum & pane Cœlesti saturabimini: Non terræ sed Cœli Ciues efficiemini, Capita igitur vestra ad Cœlum attollite. Iam enim non estis hospites & aduenæ, sed estis Ciues Sanctorum & domestici Dei. Modo non gentes sed Angeli vobis seruient; non nationes populorum sed dæmones corruent in conspectu vestro. Non præcemini abundantiam frumenti, vini, & olei, non subactionem inimicorum, non repletionem horreorum, hæc enim gentes inquirunt. Oret velato capite Aaron qui nihil scit de Cęlo; qui est agricola & colonus terræ, oret in capitio ne moriatur, postquam ipse in se sententiã tulit. Non loquatur nobis Dñus, ne forte moriamur. loquere tu nobis & audiemus. Vir orans velato capite, orans

Antithesis præmiorum antiquæ & nouæ legis.

pro terrenis non pro Cęlestibus, deturpat caput suum. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. *Quid* petieritis, non Quantum, non Quale, non Agere, non pati. *Si quid petieritis, dabit vobis*, si enim quantum vel quale petieritis, si velato capite seu velamentum capitis oraueritis; deturpabitis caput vestrum. ¶ Quæ verba quia maximam energiam habent, latius excutienda sunt. Apud illos qui secreta naturæ rimantur per suasum est, toxicum non esse substantiam, non esse quid sed quale seu qualitatem. Nec temere. Cum enim iuxta placita Philosophorum, substantia quatenus substantia alteri substantiæ contraria non sit; contrarium autem rei est omne illud quod corrumpit; corrumpit vero venenũ; venenum nequit esse substantia, sed adiacens qualitas substantiæ. Petere igr ista temporalia, quæ non sunt quid solidũ, sed fluxum, mobile & corruptibile, quæ sunt qualitates adiectæ; (hæc enim inquit Saluator quæ spectãt ad corpus adijcientur vobis) petere adiecta est petere a Deo venenum; est supplicare a Deo calicem toxico repletum; est obsecrare vt parum mellis veneno oblitum vobis porrigat. Quod si venisset ad te tuus filius, eiulatu assiduo deprecans, fletu continuo & lachrymis defluentibus exorans. Pater mi vel mater mea, da mihi bibere illud araneatum venenum, illud viperæ vel draconis toxicum; & nesciret ille quid esset an esset salubre vel mortiferum. Quis vestrum esset tam ferus vt daret ei? propinaretis ne ei venenum cui salutem & vitam optatis? porrigeretis ne ei mortem quem semper viuere cupitis? Qui ista faceret, nescio, an homo vel dæmon esset, Dum ista terrena optamus venenum optamus; dum velato capite oramus deturpamus, occidimus, cadauer efficimus caput nostrum. Si quale nõ quid petieritis patrẽ meũ, non dabit vobis. Sunt quædam beneficia dicebat Seneca, nocitura impetrãtibus, quæ nõ dare sed negare beneficium est. Aestimablmus vtique vtilitatem potius quam voluntatem petentium, nam exhortari in pernitiem rogantium sæua bonitas est; quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam inuitos nolentesque seruare; ita rogantibus pestifera largiri, blandum & ineffabile odium est. Pecuniam, inquit iste Ethnicus, non dabo quã numeratdum adulteræ sciam, ne in societate turpis facti aut consilij inueniar, imo si potero reuocabo, ne possit quandoque dicere, Ille aman-

Quid & Quale qd denotãt.

Petere tẽporalia ẽ petere uenenum.

Senecę de beneficiis dãdis sententia Pulcherrima.

do me

do me occidit. Gladium furenti non dabo, quo sciam alterum mortem allaturum, imo si potero reuocabo, ne dicat quandoque, Ille me amando occidit. Sic & Christus ait, si quale non-
1.Timot. quid petieritis, non dabit, si nocituru videbit, ne dicere quando que possitis; Deus amando me occidit. Si petieritis quale diuitiarum non dabit, Qui enim volunt diuites fieri huius sæculi, in laqueum & insidias incidunt Diaboli, in tentationem & desideria multa, & inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt a fide & inseruerunt se doloribus multis. Quid ni incidunt in laqueos & insidias Diaboli? Diuitiæ non sunt laqueus Diaboli? Quid nō mali Dæmō diuitijs immiscuit? In diuitidjs fastus, superbia luxuries, auaritia, rapinæ, curæ diuersæ, Dei & animæ salutis obliuio. Optime spinarū nomine illas designauit Chrs: qua cū que.n. ex parte tangantur, cruentant manus & vulnera infigūt. Si ex parte acquirendi tanguntur? cruentant, crescit.n. amor nūmi, quantum ipsa pecunia crescit. Quib. curis anguntur auari? quibus doloribus crucientur? quid non concupiscant? non rapiant? quos labores, noctibus etiam insomnes perferant, quis explicare queat? Si ex parte possidendi tanguntur, vulnera infigunt. Diues enim vt Innocētius vere dixit, in superfluitate dissoluitur, & iactantia effrenatur, currit ad libitum & corruit ad illicitum, & fiunt instrumenta pœnarum quæ fuerant oblectamēta culparum. si enim iste diuitijs careret, non resolueretur in luxum, non epularetur quotidie splendide, non indueretur purpura & bysso. si ille non esset diues, non strueret insidias alteri, non inimicitias perpetuas subiret, non consereret rixas, non contentiones perennes texeret, non iura naturæ ac præcepta Dei & omnia prorsus violaret, Tolle pecuniarum studium & omnia mala sublata sunt, conquiescit bellum, cessabit pugna, inimicitię in gratiam redeunt, Tolle meum & tuum non tam meum per iustitiam quam per auaritiæ sitim; pauper ille non eiulabit; pupillus ille non clamabit vindictam; vidua afflicta non petet tribunalia. Tolle diuitiarum non vsum, sed malum vsum, ille non deseruiet ebrietati, atque delitijs, aliorum cædem ac pernitiem non mollietur, tyrannidem alteri non consciscet, sequetur iustitiam, pietatem, fidem, dilectionē

Diuitiæ nō petendæ.

Mala diuitiarū?

pætientiam, mansuetudinem, amorem Dei, suiipsius salutem. Si vero ex parte amittendi tanguntur diuitiæ, cruciant & vulnera infigunt, & non tantum sed & iugulum petunt, demergunt in perpetuum interitum & perditionem Quod non solum Paulus, verum & ille Ethnicus philosophus (qui omnibus suis substantijs congestis in vnam massam auri, in profundum maris gurgitem demersit) cognouit. Ite, inquit, in profundum maris fallaces diuitiæ, ne ego potius mergar a vobis. Vtinam vel etiam nos si non effectum saltem affectum eiusmodi habeamus ad diuitias. Fas quidem est vt ait Chrysostomus pecunijs vti sicut oportet; licet per ipsas regnum Cœleste possidere; eis in visum pauperum erogatis nostrorum remedia peccatorum, & gratiam Dei promereri? Ast effici seruum diuitiarum, vt non tu illis sed illæ tibi imperent in dispẽdiũ animę tuę; Ast abuti diuitijs, est demergi in perditionem. Non reprehenditur diues quod terrã coluerit, vel fructus in horrea cõgregauit, sed quod fiduciam vitæ in illis posuerit, nec pauperib. erogauerit. Nos omnia ista nouimus. Nouimus decretum Christi. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem in regnum Dei. Scimus quod nos e vita transeuntes non valent comitari, Diues enim cum dormierit non sumet secum omnia, neque descendet cum eo in sepulchrum gloria eius. Persuasum habemus quod vulnera quæ nobis infigunt nusquam deserunt nos; hic diuites sumus, plurimaque sub nostra potestate habemus, illic in altero sęculo (quod perpetua meditatione versare deberemus) nudi, deserti, destituti; hic omnibus delitijs affluentes, illic miseriarum cumulum sustinentes; hic vino ingurgitati, illic ne guttam aquę implorantes. Et adhuc velato capite orabimus? Adhuc diuitiarum, quale pręcabimur? Adhuc terrena cum tanta anxietate, postulabimus? Si quid non quale petieritis, dabit vobis, Quale non dabit vobis imo prohibebit, ne forte quandoque dicatis, Deus me amando, me occidit. Sufficit vobis orasse cum Salomone. Diuitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. vel vt ego pręscripsi. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non pro crastino; sed non prętermisso. Fiat voluntas tua. Domine si cognoscis mihi hoc & illud esse proficuum: si illud mihi non est mortiferum, si non deturpat caput

&

& dignitatem meam; si non interponit inter me & te velamen si me non mergit ad interitum sed eleuat, sed promouet ad vitam, ad immortalitatem; da nobis hodie, fiat voluntas tua. si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. ¶ Si quale honoris & dignitatis terrenę petieritis, non dabit uobis, uenenum enim est. Aerugo mentis est appetētia dignitatum, si in his suprema spes vitæ præsentis locetur: Appotentia dignitatum aiebat Bernardus, secretum uirus pestis occulta, doli artifex, liuoris parens, tinea sanctitatis, excęcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, ex medicina languorem generans. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Statim ut ambitiosus, addidit Innocentius, promotus est ad honorem, in superbiam extollitur & in iactantiam effrenatur. Non curat prodesse sed gloriatur pręesse; pręsumit se meliorem quia cernit se superiorem; priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos, comites cōtemnit antiquos; vultum auertit ceruicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur; sublimia meditatur; subesse non patitur, præesse molitur; pręceps & audax; gloriosus & arrogans, grauis & importunus. Primatum qui desiderat in terra, inueniet confusionē in Cœlo, & inter seruos Christi non computabitur, qui de primatu tractauerit. Primatum qui appetit, curas & solicitudines & anxietatem spiritus optat, vt ille a veritate Christiana alienus, voluens suum diadema aiebat. O nobile pannum, si sciuissem quantis implicitum me oportebat esse; nec in via proiectū accepissem. Quī appetit dignitatem, maiorē casum appetit, sicut.n. leuius est dę plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate; quia ruina quæ de alto fit grauiori casu colliditur. Vnde Angelus quia de altissimo Cęli throno cecidit, collisus est vt assurgere nunquā possit. Homo quoq., licet non ita grauē, per appetitum honoris ruinam perpessus est, si igitur quale dignitatis terrenæ, si superiorem esse cunctis gentibus, si velato capite vt Iudæi oraueritis, deturpabitis, allidetis ad petram capita vestra Toxicum est, non dabit vobis. Nescitis.n. quid petitis. non potestis bibere calicem hunc. Sufficiat vobis orasse. Pater fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Adueniat in me regnum tuum, ut anima mea corpori meo dominetur, et imperet, illud suæ uoluntati coerceat, subijciat, ne concupiscat versus animam, ne

Honores & dignitates sęculi non expeten.

Ambitiosorū mores.

Math.

reluctetur sed obtemperet Adueniat in me regnum tuum, regnū Christi sanguine & passione, Christi crucis claue reseratum. A te nihil opto in terra, quia hic deficit cor meum. cupio dissolui & esse tecum in regno tuo, cupio audire vocem illam tuam dulcissimam. venite benedicti Patris mei percipite regnū, quod vobis paratum est ab origine mundi. Si petieritis, Quale ornamentorum & luxus corporis, non dabit vobis, Exterior .n. superfluitas interioris vanitatis indicium est, notauit Bernardus, Vanū cor vanitatis notitiā ingerit corpori, Mollia indumenta animi mollitiē indicāt: nō tātū curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutib. serico & purpura induti, Christum syncere induere non possunt, auro & margaritis adornati & monilibus, ornaméta mentis & corporis perdiderunt. Si orauetitis velamentū diuidens vos a Christo, a Deo, ab ornanda anima; non dabit vobis, Orate sanctificetur nomen tuum in nobis, ablue peccatis maculatam animam, adorna virtutibus, impone capiti meo galeā salutis, spei cycladem fidei impone mihi; charitatis aurea veste me indue, torqué prudétię circunda gutturi meo, Hyacinthinis calceis cōtéptus mundano rū & amoris Cœlestiū me calcea, Bysso mundissima castitatis me circumcinge, monilia obedientiæ, humilitatis, fortitudinis & pietatis gémas pretiosas donorū spiritus tui mihi appéde, lapidé illū ꝑtiosū calculū qué nemo nouit nisi cui dederis, gratiæ fulgentis & radiantis fronti animæ meæ affige. Ego sum limus, & puluis; Hyacinthus & purpura & byssus in limo putrescunt, aurū & argétū, lapides & gémæ in luto sordescunt; adulterare nolo natiuū meū decoré; hoc vnū oro sanctificetur in me nomé tuū, sanctus sim vt tu quoq; sanctus & immaculatus es. Si petieritis Quale subactionis inimici tui non dabit vobis, Dimittite. & dimittemini. Orate pro persequétib. vos, sicut & Christus orauit, Pater dimitte illis qa nesciūt quid faciunt. Orate. dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus nostris debitorib. Scientes vt Cyprianus reliquit, impetrari nō posse ꝙ pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. In quacunq; .n. mésura mési fueritis in ea remetietur vobis, Et qui seruus post dimissum sibi a Domino omne debit ̄, conseruo suo noluit ipse dimittere, in carceré relegatur. Et quemadmodū inquies fieri ista possibile est?

Allegoria vestitus.

Luxus nō est præcā dus.

Vindicta inimicorum non implorā.

hom. 18. sup. Mat. est? Respondet Chrysostomus, elegantissime. Vidisti ait hominē Deū fieri, & eousque pro tua descendere salute, tantaq. propter te esse perpessū; & adhuc inquiris & dubitas, quemadmodū possibile sit iniurias donare conseruis? Non audisti eum in patibulo dicentem. Pater dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt? Non audisti Paulum dicentem. Christus Iesus qui mortuus est qui & resurrexit, qui & sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Non vides quia, & post crucem & post resurrectionem Iudæis interfectoribus suos Apostolos miserit, bona illis innumera portantes, sed ab eis mala innumera passuros? At tu plurimum læsus es? verum quod tale tandem perpessus es, quale tuus imo omnium Dominus? vinctus loris, verberatus flagellis, palmis percussus, consputus a seruis, ad mortem vsq. deductus & mortem omni genere mortis turpiorem, & post hoc beneficia illis mille contulerat: Sin autem omnino nimis læsus es; idcirco nihilominus beneficium refer nocenti; vt & tibi facias maiorem coronam, & fratrem periculo grauissimi languoris absoluas. Nam & medici quando iniurijs & calcatibus ceduntur furentium, tunc illorum magis magisq. miserentur: & tu igitur de inimicis eandem teneto sententiam sicque vtere cupientibus; illi namque sunt maxime ægroti omnemque violentiam sustinentes. Nam & cum aliquos a Dæmone actos videmus sæpe collachrymamur; non autem agimus, vt eadem patiantur vel etiam nos ipsi eadem patiamur; Hoc etiam in eorum quos diximus ratione seruemus; Illorum n. similes sunt iracundi, imo illis longe miseriores qui vtique scienter insaniunt. Orate igitur pro calumniantibus & persequentibus vos. Orate vt inimicorū spiritualiū phalāges vobis subijciantur, & ante faciē vestram corruant. Ne nos permittas induci in tentationem. & ista dabit vobis. Si petieritis, Qualc impletionis desideriorum vestrorum, quæ non sunt secundum Deum; quæ repugnant rationi & Diuinæ voluntati; q̄ impediunt bonū animarum vestrarum, non dabit vobis. Deturparetis enim cupita vesta. In nullū enim de sæuit ignis inferni nisi in propriam voluntatem. Cesset voluntas propria & infernus non erit. Propria etenim voluntas Deum impugnat, & aduersus eum extollitur. Ipsa est q̄ Paradisū spoliat, infernū ditat, sanguinē Xp̄i euacuat, &

Dimittēdum proximis.

...ibus O ...up

Iracundi miserabiliores ob fetlis.

Volūtas propria vt impleatur nō est orandi.

ditioni Diaboli mundum subiugat, si oraueritis velato capite non denudato ab omni vestro velle; non subiecto voluntati diuinæ, nihil dabit vobis, ne dicere possitis, Deus me amādo, meā voluntatem implendo, me occidit. Orate, fiat voluntas tua sicut in cęlo & in terra. illa quæ noscis mihi profutura concede. quæ nocitura remoue, denega. quæ voluntati tuæ renitentia prohibe. & dabit vobis. Pręclare Augustinus in hanc sententiam, quid non debeamus orare reliquit. Si inquit Deū propterea inuocas vt veniat ad te pecunia; vt veniat ad te hæreditas, vt veniat ad te sæcularis dignitas; illa inuocas quæ vis vt veniant ad te? Sed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum, Deus bonus est? si det quod uis? Quid si male vis, Non erit tibi magis non dando misericors? Aeger multa petit a medico, non dat medicus, Non exaudiet ad voluntatem vt exaudiat ad salutem. Ergo medicum tuum pone Deum, pete ab eo salutem & salus tua ipse erit. ¶ At dicitis forte, Docuisti nos quid non sit orandum: quid vero præcari a Deo debemus. Docet ipsemet Saluator quid a Deo petendum. Si quid petieritis. Quid, stabile firmum, salubre, perpetuum, Cœleste, Beatum, Cœlum & Beatitudo sunt a Deo compellanda, Orate inquit vt gaudium uestrum plenum sit: hoc enim est quid, quod orare nos uult: gaudium uero nostrum plenum non in terris sed in Cœlis est. Illic enim obliuioni traduntur angustiæ priores, illic abstergit Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, illic nullus luctus neque clamor sed nec ullus dolor, ibi lætitia sempiterna super capita Beatorum, lætitia sine tristitia & gloria absq; ignominia: eò quod illic est sanitas absq; infirmitate, iuuentus sine senectute, satietas sine fastidio: hic non satiatur oculus uisu, nec auris auditu, sed ibi impletur in bonis desiderium nostrum, illic libertas sine seruitute, pulchritudo absque deformitate, fulgebunt enim iusti sicut sol in regno Dei; illic impassibilitas sine mortis pauore, præcipitabit namque mortem in sempiternum; Illic abundantia sine indigentia, nihil enim exterius quod appetatur, nihil interius quod fastidiatur. Illic pax absque perturbatione: securitas sine timore; cognitio absque ignorantia: mors sine liuore Ibi ut Augustinus asserit, quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur

Super Ps. 85.

Orandū, quid.

Ioan 16.

derabitur quod non aderit, oē quod ibi erit & bonum erit, Ibi vacabimus & videbimus, videbim⁹ & amabimus, amabimus laudabimus esse qđ erit in fine sine fine. Quæ lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit illa supernę Ciuitatis quāta sint gaudia? Angelorū choris interesse, cum Beatis. spiritib. glorię conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, in circum scriptum lumen videre, nullo mortis dolore affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

Psal. 4. Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatē & quæritis, qd imploratis vanitatem? Quid dignitates? quid Reges qui mō sunt & cras esse desistunt? Quid diuites? qđ splendida ædificia? Non ne vanitas? Quis magis expertus istorum quam Salomon? Quis magis illorum periculū fecit, quā ille qui dixerat in corde suo. vadā atq; delitijs affluā & fruar bonis, & vidi quod hoc esset vanitas. Magnificaui opera mea & ædificaui mihi domos & plantaui vineas, feci hortos & pomeria, piscinas aquarum, argentum & aurum congregaui mihi, feci mihi cantores & cantatrices, greges & armenta possedi, supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt, omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum quin oī voluptate frueretur, & vidi quod hoc esset vanitas vanitatū & oīa vanitas. Vt quid ergo diligitis mēdaciū & q̄ritis a Deo vanitatē? vt quid adhuc velato capite oratis? Denū date caput & eleuate vos ad Cœlum, Orate vt gaudium vestrum plenum sit. Supplicate Adueniat regnum tuum. Compellate vt Moyses, Ostende mihi faciem tuam, & sufficit mihi. Oret Israelis sacerdos velato capite; deprecetur terrena, fructus terrenos exoret. Si quis vestrum velato capite orauerit, deturpabit caput suum. Primum quęrite Regnum Dei, vobis adijcientur omnia necessaria. *Si quid*, *Quid*, non Quale, nō venenum nō nociferum petieritis patrē vestrum, dabit vobis. Scitis ergo iam quid sit a vobis orandum. Qūo autem orandum.

Ecclesiast. 2.

Omnia vanitas.

Saluator docuit, tribus modis orandum esse. dum dixit, 1 petieritis, 2 patrem, 3 in nomine meo. Paulus hæc tria in suo velato velamine compræhendit. Omnis vir orans velato capite, deturpat caput suum. Deus in veteri lege præscripserat Moysi, quantis v icib. indui debebat summus Pōtifex veste illā Hyacinthina, coniuncta cum capitio. Tantum .s. quando ingrēditur

secundū mysteriū velati capitis.

ditur & egreditur sanctuarium in cõspectu Domini, semel autem in anno ingrediebatur & non plus in illud, vt manifestum est ex Exodo & Leuitico. semel tantum in anno veste illa induebatur. Quia vero præcatores noui testamenti, non vna vice sed semper orare debeant. Quia nobis oratio perpetua esse debet. ita ut Hieronymus docebat Eustochium Virginem, nec cib. sumendus sit sine oratione præmissa, neque prius recedendum de mẽsa nisi prius referatur Creatori gratia. Noctib. bis terque surgẽdum ad orationẽ, egredientes de cubili armandi sunt oratione, regredientib. de platea oratio priusquam sessio occurrere debet, nec prius corpusculum requiescat quam anima pascatur oratione, ad omnem actum, ad omnẽ incessum manus pingat crucem, mens eiaculet orationem. Quia nos sine intermissione orare vt Paulus monebat conuenit, deturpat caput suum qui orat velato capite, Qui ad instar sacerdotis Antiqui vna vice tantũ, Domino supplicat. Sine intermissione orate, Christus.n. magister qui docuit nos orare, non vna tantum, sed tribus uicibus repetiuit illum sermonem. Pater mi si possibile est, trãseat à me calix iste: plurib. noctibus erat pernoctans in oratione. Quid vero eius discipuli? Quid Iacobus, cuius genua callo obducta esse a perseuerantia orandi hystoriæ referunt? Quid Bartholomeus, qui centũ uicib. qualibet nocte genua flexisse in oratione scribitur? Quid primitiuæ Ecclesiæ Apostoli, ut acciperent Spiritum sanctum? An non erant perseuerantes in oratione cum Maria matre Iesu? Qui ignem e silice excutere uult, non semel tantum percutit, sed quousque ignem excutiat. sic ille qui ignem amoris Diuini, lumẽ gratiæ, & cætera bona spiritualia siue corporalia a Petra quæ est Christus, oratione sua extorquere uult: non unã sed plures iaculatorias orationes emittat necesse est. Tenẽdus est iste Angelus magni cõsilij & usq; ad aurorã, nec dimittẽdus donec benedixerit: luctandũ est præcib. cum illo, quousque benedictionẽ a te concupitã tibi derelinquat: Tenendus est iste propheta imo prophetarũ inspirator, nec dimittẽdus quousq, si habes filiũ animã tuã mortuã, a sepulchro uitiorũ resuscitare uelit, donec sese puero tuo per commiserationem commensuret atque coaptet, lapidem duritiei cordis amoueat, soluat uincula captiuitatis tuæ & dicat pcepto suo. Tibi dico surge. Iam enim hora est de somno surgere, tempus est uitam ducere

non

Perseuerãter orãdum.

Allusio ad Iacobum luctantẽ cũ Angelo. & uiduã Elisæi.

non corporis, non carnis sed spiritus. Sine intermissione orate. *si quid petieritis*, petere.n.est instâter & perseueranter ab aliquo quippiam implorare. Si quid petieritis patrē in nomine meo dabit vobis, omnis vir orans velato capite, deturpat caput suum.

Alter modus orandi est cum charitate filiali, & hoc mõstrauit Christus, dum orare iussit Patrem, *si quid petieritis Patrem* Hoc etiam alibi docuit, dū præcationē incipere præcepit. Orantes sic dicetis. Pater noster qui es in cęlis. Hoc ēt Paulus insinuauit in hoc velato capite. Quo velato si quis orauerit, deturpat caput suum. Quæ nomina sibi Deus imposuisset in Antiqua lege, plusquā notū, est, dū illa sæpius personabat. Ego sū Dñs. Ego Dominus, zelotes, Deus iustus, Deus exercituum, Magnus atq; tęrribilis, & cui nullus resistere potest, vindicās iniqtatē Patrū in filijs, Vrsus insidians, (alter lamētabatur,) factus est mihi Dominus, leo in abscondito, Ego inquit quasi leæna Ephraim & quasi catulus leonis domui Iuda. ego, ego capiā & vadam, tollā & nō est qui eruat. Omnia terroris plena, nihil aliud nisi vt Helias vidit, dum Dominus transijt, Spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio. Sic & isti sacerdotes, dum ingrediebantur sanctuarium, quia Deum non Patrem amātem sed Deū vindicantem, Deum iustum se nominabat; capitio operiebant caput suum a facie terroris Domini. Sed in noua lege ubi Domini quasi oblitus est; ubi amoris omnia plena sunt; vbi ex dilectione sua nobis filiū donauit; ubi nos adoptauit in filios in suo filio; vbi Patrē se vocari pręcepit: non iam in capitio, non in spiritu timoris seruilis, nō vt Dominum sed vt Patrem cum amore, cum charitate, sine macula peccati, sine offensa rogare debemus. Si vnus ex illis vineæ cultorib. adoptatis in filios Dei, qui filiū & hęredem occiderant, cuius sanguine plenas manus habebant, venisset ad Deum & supplicaret aliquid. dicito mihi, ille, vt filius an vero vt reus oraret? Certe nō vt filius, quia filij naturalis sanguine, commaculatas habet manus. Quid tū imploraret? Non illud bonum quod præcatur, sed potius vindictam sempiternam. Sic & illi qui vitijs suis iterum crucifigunt Christum; attamen perfricta fronte veniunt ante cōspectum Dei depræcantes, Panem nostrum da nobis hodie. Non vt filji Patrem sed vt rei iudicem compellant. Dicito mihi, quomodo tu qui lu-

xurie

Marginalia: 3 Secretū velati capit. — Orare debemus vt filij Patrē, non ut rei iudicem. — Osee 5. — 3. Reg. 19 — Terribilis Deus in ueteri lege amabilis in noua.

xurie tua filium Dei crucifigis, audes dicere Pater noster? Quomodo tu qui omni vitiorum genere cõspurcatus es, Filij nomé tibi vendicare præsumis? Quomodo tu qui odio Dei continuo tabescis, qui præcepta Dei ad omnem libitum tuum transgredetis, qui uoluntati Diuinę in omnib. renitis. faciem tuã ad Deũ attollis? bonum depræcaris? Igne dilectionis in thuribulo cordis nostri, succendendum est hoc incẽsum vt ascendat in conspectu Domini. Cum extẽderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam. Quare? Manus n. vestrę plenę sũt sanguine. Velatum habetis caput, iniquitates vestrę diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret. Manus vestræ pollutæ sũt sanguine, & digiti vestri iniquitate, Quid ergo agendum? Lauamini, mundi estote. Num ait, pergite ad fontes, ad balnea, ad stagna, ad flumina? Nihil horum dixit. Sed quid? auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis meis. Quiescite agere peruerse. Dissoluite colligationes impietatis, soluite fasciculos deprimentes, auferte velamina seruilia. Tunc inuocabitis & Dominus exaudiet, clamabitis & dicet. Ecce adsum. Si quid petieritis Patrem non Dominum, ut filij obsequentes Paternę voluntati non contrafacientes illi vt serui; si vt filij dilecti, non odiosi, petieritis patrem cum amore non timore seruili, dabit vobis. Omnis vir orans modo velato capite, deturpat caput suum.

Allegoria Aaronis. *Isai. 1.* *Isai. 59.* *Isai. 1. & 58.*

Alter modus orandi est, In nomine Christi. Hunc etiam Paulus tetigit in sua abstrusa sententia. Scire debetis quod cuiusque rei principium & originem appellamus nomine Capitis: sicut quia vir est principium mulieris, viri autem Christus, Christi autem Deus; Christi, secundum Paulum, caput est Deus, Christus autem viri, vir autem est mulieris caput. Quodnam caput seu principium sacerdotum veteris legis? Non alius nisi Aaron primus summus sacerdos, ille qui murmurauit cum Maria sorore contra Moysen, ille qui fecit vitulum Israeli, ille qui idololatrare fecit Israelem, ille qui diffidebat de potentia & promissis Diuinis, ille qui ex incredulitate dixit. Num poterimus, vobis excutere aquam de petra hac? Aaron qui erat in peccatis conceptus & natus, peccatorum multitudine pollutus, nihil meritorij faciens pro populis; a quo nulla scintilla seu gutta gratia-

4. Secretum uelatur capitis. *Orandũ in nomine Christi.* *Primus sacerdos Legis Aaron.*

rum

tum defluebat & redũdabat in Israelem, Qui neq; sibi remissionem illius pęnæ pro peccato infidelitatis, neq; populo pro idololatria obtinere potuit. Quodnam caput seu principium est sacerdotum noui testamenti? Christus, ille qui ante Luciferum ex vtero Paterno, & in tempore ex virgineo intacto, sine peccato genitus, Sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech, immaculatus, impollutus, innocens segregatus a peccato-
Hebr. 7. rib. & excelsior Cęlis factus, Qui non habet necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Ille de cuius vertice vnguēta gratiarum profluxerunt vsq; ad extremam orā Orbis terrarum. Sicut vnguentum illud corruptibile descendebat de capite, vsq; ad barbam barbam Aaron. & vsq; in orā vestimenti eius. Quia igitur principium Sacerdotum Antiquæ legis, fuit peccator, punitus a Deo, (In pęnam n. delicti non vidit terram promissionis) ne Deus prouocetur ad indignationem, si per nomen eius aliquid petatur, iubet portare Sacerdoti Capitium, quo operiat caput suum, non denudet verecundiora Patris sui, ne moriatur. Quare nullū videbitis in sacris litteris orātem, in nomine Aaronis Quia vero principiū sacrificantiū Nouæ legis est caput Christus; maledictus nit nouæ legis qui coo perto isto Capite orat. Deturpat caput suū, quasi nō esset dignū ut in nomine eius donetur ei aliquid; qui velate illo, qui non in nomine eius orat. Modus ergo orandi denudato capite, modus supplicandi est in nomine Iesu Saluatoris nostri. Si quid petieris patrem in nomine meo dabit vobis. Quid. n. denegare potest Pater, cum in nomine filij eius salutaria petimus? Si propter Dauidis merita quæ Ezechias orando commemorauerat, liberauit
4. Re. 19. Hierusalē ab obsidione, & trucidauit tātum populum inimicū Si propter fidem Abraham, propter mansuetudinem Isaac & patientiam Iacob per quam orāuerat Moyses, Recordare Abraā
Exod. 32 Isaac & Iacob seruorum tuorum quib. iurasti per temetipsum, placatus est Deus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. Quid in nomine sui vnigeniti filij, quo nullum alium magis diligit, non concedet ? non donabit ? Quare Ecclesia licet uideatur quandoq; (quod etiam nobis Hæreticorum inscitia obijcit) alios Sanctos & pręcipue Beatissimam virginem proponere Deo, ut propter illos facilius impetremus; hoc tamen non est in nomine sanctorum petere. Non. n. dicimus

mus in nomine Mariæ, in nomine Pauli, sed propter merita Mariæ, propter Paulum seruum tuum. In nomine Iesu quem Paulus prędicauit, quem virgo genuit petimus. Ecclesia inquam huiusmodi minime oblita, omnes orationes Deo offert in húc modum. Per Dominum nostrum, non propter Dominum nostrum vt de sanctis, sed per Dominum nostrum Iesum Christum. Scimus ergo quid & quomodo orãdum sit. nihil aliud remanet nisi vt doctrinam hanc immo pectore reconditam reuoluentes, oretis sed salutaria non nocitura: orate sed quid non quale sed Cœlestia non terrena. Qui enim orat velato capito suo a Cęlestibus, deturpat caput suum. orate sed perseueranter, sine intermissione, Orate sed ut filij Patrem innocentes, non ut serui cathenis vitiorum constricti Dominum. Orate sed non velato capite vestro, sed in nomine Christi. licet quandoq; propter merita Sanctissimę virginis & aliorum Beatorum & dabit vobis. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Omnis n. vir orans velato capite deturpat caput suum. A qua turpitudine Saluator noster Christe qui caput nostrum aureum existis influxu gratiæ tuæ liberare & præseruare digneris. Amen.

(*)

AD TE CLAMAMVS

Facies altare de lignis ſetim,& veſties illud auro puriſſimo: & depræcabitur Aaron ſuper cornua eius, in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. Exod. 29. c.

CONCIO DECIMANONA.

In qua Cultus Beatiſſimæ uirginis tertia pars quæ eſt Inuocatio, a Vigilantij ſequacibus defenditur.

GRAECVM atque vi coactum, video a vobis, qui vna mecum de Cultu Beatæ Virginis recte æſtimatis, iudicari, quod acturus de Inuocatione Deiparæ Mariæ, illam Altare Thymiamatis, ſuper quo depræcari & placare Deum poſſimus appellarim; Idololatricum vero ab illis qui Copronymum,& Vigilantium ſequuti, Inuocationem Deigenitricis, vt piam, ſalutarem, & vſu ſempiterno Eccleſiarum comprobatam, quaſi impiam, inſalutarem, Diuino honori detrahentem repudiarunt, atque è mentib. hominum euulſerunt & reiecerunt. Quid enim (forte tali cogitationum fluctu agitati in corde veſtro ratiocinamini) virgini cum Altari? Quid virgini cum auro? Quid nobis orantibus, cum Aaron? Altare illud erat factum de lignis; Beata virgo ex ſemine Adami. Altare illud veſtitum auro puriſſimo; B. V. pelle & carnibus, ait cum Iobo, veſtiſti me, oſſibus & neruis, non tabulis ligneis vt altare, compegiſti me. Altare

erat

erat insensibile & inanimatum; virgo autem dicebat, uitam & misericordiam tribuisti mihi. Facies quoque ait Deus super altare coronam aureolam per gyrum: nihil tale de Maria legimus, ut diademate quandoq; coronata fuerit. Adolebit thymiama sempiternum coram Domino super eo Aaron: Quis ista audiuit aut concipere potuit de Maria, ut in ea incensum Deo suauissimum adureretur? Depræcabitur super eo Aaron, & placabit super eo in generationibus vestris: Hic consurgit atq; debachatur Copronymus Constantinus Leonis Isaurici filius Orbis Imperator. Ille qui ad sacri fontis lauacrum depor tatus, in illum (signum futuræ impietatis) stercus excreuit. Ille qui gloriosæ virginis quam Christus in domicilium sibi elegit, & quam alijs rebus creatis imo Cherubinis ipsis superiorem & celsiorem effecit, nomen multis modis ab Ecclesia exterminare studuit. Is orationes & intercessiones virgini oblatas ne nominare quidem vult, cum dicit nemini eam posse opitulari. Indicit Copronymus, inquit Nicephorus, ne quis intercessionem imploret Mariæ, quod nihil auxiliari possit, neque mater Dei deinceps nominetur. Et quidem crumena accepta in manu, plena auri eaque omnibus monstrata interrogabat. Quanti ualeret? illis respondentibus: quod magno. Auro effuso rursus interrogabat. Quanti valeret? & respondebant. Quod nihilo. Tum ille. Eodem modo, inquit, etiam Maria (non enim eam Domini matrem appellare dignabatur miser.) donec Christum intra se habuit honorata fuit; ex quo vero illum est enixa, nihil differt a reliquis mulieribus. In eandem sententiam scripsit Glycas, ac omni blasphemia id maius esse censet, quod de Matre Domini ferret legem' sceleratissimus Imperator, ne quis illius intercessionem imploraret. Nec desunt etiam modo. ò miseram, & vere deplorandam hanc nostram ætatem, qui multis iam sæculis extinctos Copronymi cineres, in flammam, summa cum ignominia, & conuitijs in virginem; suprema cum populi Christiani offensione atque pernicie excitarunt. Inuocationem Mariæ hypocrisim, superstitionem & idololatriam decernentes. Antesignanus omnium Lutherus rem ipsam loqui asserit, quod publica, ait, persuasione Beata virgo prorsus in locum Christi successerit. Hanc enim inquit inuocarunt

Copronym' interdicit inuocationē B.V.

Theostericus in orat. funebri in Sanctum Nicet3. & suidas lib. 18. Ecclesia. hyst.

Copronymi blasphemia.

4. parte Anualiū de Copr.

in Apologia Confessionis.

Lutheri de inuocatione Mariæ sententia.

in postil. circa fest. Annunc. Virg. uocauerunt homines huius misericordiæ confisi sunt, per hanc voluerunt placare Christum, quasi is non esset propitiator, sed tantum horrendus iudex & vltor. Hanc Papistæ Deam constituunt, omnipotentiã ei in Cœlo & in terra attribuunt, quasi ipsius hæc propria sint. Magis profecit in impietate Caluinus, qui vetus illud Ecclesiæ canticum, quo etiam Bernardus guttas lactis a Virgineo pectore impetrauit. Monstra te esse Matrem, suggilans talem sententiam in nos protulit. Quod nos talem in Cęlis Deiparam constituamus, quæ sibi potestatem seruet Christo filio imperandi, & nescio quod imperiũ exercendi. Conuellit quoque illud Canticum; sub tuum præsidium. vociferatur, nos maioresque nostros a Christo ad Mariam defecisse, perinde ac si matri tantam potentiam quantam filio ascribamus; neque tam Deum quam Mariam inuocare soleamus. Vnde quasi ex præmissarum Lutheri & Caluini efficacia, [a] Selneccerus, [b] Melanchton, [c] Heerbrandus, [d] Bullingerus, [e] Brentius, [f] Roterodamus concludunt. Mariæ inuocationem quæ fit in Ecclesia esse idololatriã, & tetrum errorem. Asperior Erasmus cæteris, inauditum, (horret animus, & lingua ipsa tremet eloqui) de Maria figmentum proponit, quasi Glauco plutoni epistolam scripserit in hæc verba. Quod Lutherum secutus strenue suades, supernacaneum esse inuocare Diuos; a me quidem isto nomine bonam magnamque inijsti gratiam scito. Nam ante hac, tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab vna postulantur omnia, quasi filius meus semper infans esset; quia talis fingitur pingiturque in sinu meo &c. Sic habet subscriptio. Beata Virgo, mea manu subscripsi. Initium vero. Maria mater Iesu, Glaucopluto. Finis demum. Hæc te scire volui. Tu cogita quid modo respondendum censeas: nam mihi plane res cordi est. Ex Aede nostra lapidea Calend. Augusti. Anno filij mei passi. 1. 5. 2. 4. Quid ergo dicitis forsitan, Virginem Mariam Altaris nomine, super quo depræcari & placare Deũ possimus dignatus es? Quid Mariæ cum altari? Quæ conuenientia & similitudo Altaris cum Maria? Permaxima equidem. Altare illud effectum erat de lignis setim incorruptibilibus; Beatæ Virginis corpus & anima, quandonam per peccatum fuerunt corrupta? Qualis vermis inferni illam aliquando arrosit?

Marginal notes (left): in 2. cap. Ioan. — a in disposit. Euãg. de fest. sanc. circa Annun. Vir. — b in cõsil. de vitãn. superst. — c in disp. de hęreticis sint ne puniẽdi. — d in 2. c. Ioan. — e in Euã. 2. Dominic. post Epiphã. — f in Dialogo de peregrinatione, religionis ergo. & in collogo. Naufragii.

Marginal notes (right): Bernard quid implorauit oran. mõstra te esse martẽ. — Caluin cum aliis hæreticis quid de inuocatione Marię dicat. — Erasmi horrenda fictio de B. Virg. — Maria altare aureum.

atrosit? Cuinam fermento peccati totam massam humani generis corrumpenti, commixta fuit? Tota pulchra fuit & sine macula. In Mariam, aiebat Bernardus, copiosior Sanctificationis gratia descendit quam in alios sanctos, quæ non solũ eius sanctificaret ortum, sed & vitam deinceps ab omni peccato custodiret immunem. Quo enim peccaret quæ liberũ arbitriũ confirmatum habuit in gratia, vt pote quæ gratiæ plenitudinem recepit? Quomodo corrumperetur vitio, cuius manus distilauerant myrrham primam, & mortificationis carnis, & incorruptionis Virginalis? Ad tantum fulgorem fidei, quo illustratum habuit intellectum, quomodo infidelitatem admittere potuit? Ad tantam charitatis flammam, quę ardebat in eius affectu, quomodo frigesceret in Deum? Quomodo frigus Petri olim amantis sed abnegantis & apostatantis pateretur? Ad tantam tranquillitatem potentiarum, quomodo turbatio & confusio peccati? Fuit incorruptibilis & intacta a peccato. Verum obtigit ei & altera incorruptibilitas, dum corona aurea imposita est super caput eius in Regno Cœlesti, Dum motus sui quo ferebatur in Deum coronidem, super omnes Beatorum Spiritum ordines accepit. Dum simul cum anima & corpore immortalitatis & impassibilitatis gloriosa veste, vt aureo diademate ornata est? Dum Christus Iesus filius eius, transfigurauit corpus humilitatis eius, configuratum corpori claritatis suæ. Dum Angelicis comitatus choris, Altare hoc aureum, introduxit in Sancta sanctorum, in quæ ille prior introierat, Cælestia, & statuit coram propitiatorio .s. semetipso, ante thronum Diuinæ maiestatis. Tunc facta est incorruptibilis; illic enim vbi collocata est Maria, neque puluis & cinis, neque vermis demolliens, neque gladius aut flamma conficiens accedere potest. Ab illo sanctuario præcipitauit, & deiecit Dominus mortem in sempiternum. Forte hanc mirandã analogiam inter B. Virginem & Altare, intuitus fuerat Ambrosius, qui primus sanctam Deiparam (alludens ad illud Psalmoagraphi. Et introibo ad Altare Dei) Altare Thymamatis nuncupauit. Corpus, inquit, Virginis Dei templum est. Animus quid est? qui tanquam membrorum cineribus excitatis, Sacerdotis æterni redopertus manu; vaporem Diuinũ exhalat, nisi Altare? Congrue igitur B. Virgo

lib. 2. q. Virginide

go Altare nominatur. De illo autem quid dicemus. *& depræcabitur Aarō super illo, & placabit super eo in generationibus vestris*. Admittenda est igitur inuocatio Mariæ? Fundendæ sunt præces ad Mariam? Quid ni? Cum ipsa sit Altare ante conspectum sanctæ Trinitatis collocatum, super quo exaudire, & placari, & dona largiri promiserit Deus. Si .n. voluntatem timentium se in terra faciet; si depræcationem eorum, qui in isto mortali corpore varijs infirmitatibus circundati peregrinantur exaudiet: cur non voluntatem diligentium se in Cœlis faciet, & depræcationem eorum, cum nihil Diuinæ voluntati repugnās orent, cur non exaudiet? Maria supra omnes Cœlites diligit Deum. Maria est Mater misericordiæ, & est Mater viuentiū, quomodo præces ipsius pro nobis fusas repellet? Quamobrem nos illi supplicare vt nostras miserias offerat Altissimo, & pro nobis depræcetur, nō debemus? Superstitio & idolatria est, aiūt hæretici, prohibita per literas Mariæ datas Glaucopluto. O blasphemum os; non cauterij adustione, vt faciebat pijssimus Rex ille Ludouicus, qui Deum & sanctissimā virginē cū reliquo sanctorum cętu blasphæmātibus cauterij notam pręcipiebat inuri; sed vltimo exterminio puniendum. Os grandes loquens blasphemias, in exilium non insulę Pathmos, non ad extremos Garamantes, sed ad extremam oram inferni relegandum. Vbi pro suaui cibo, impleatur sulphure; pro dulci potu inebrietur pice & absinthio; pro cantu, fletu & eiulatu & stridore dentium tabescat, vbi mordeat linguam suam, quam toties in conuitia sanctæ Deiparæ, in mendacia horrenda, in offensionem atque perniciem populorum, vt aspis venenosa acuerat atque resoluerat. *Superstitio est* inquit *& idololatria, per literas Mariæ datas Glauco pluto prohibita*. Si Glauco Plutum eglaucum atrum Plutonem, illum scilicet Sathanam, qui præceptor Lutheri fuit, a quo tot & tantos errores in illa nocte infausta, dum docentis colloquio vsus est, accepit, & ex cuius thesauro, improbis spolijs hæresum cerebrum suum impleuit: Si illum Glauco Plutum quis ex vobis intelligit, qui nuper s. Anno Dominicæ incarnationis 1596. mense Ianua. in superioris Germaniæ patribus, in Ecclesia (ex qua p oē scelus sacerdotem Catholicum pepulistis) quadam suis incantantionibus vestras fascinauit aures, & ex suggesto post multas susurratio-

Maria inuocanda.

Glauco pluto Erasmigs.

in quad. epist. Coloniæ apud Birchmannum impressa. an. 1596

nes vobis aspectātib. & pauentibus euolans, fœtore intolerando nares omniū vestrum & mentes impleuit. Cur in horrendū hoc figmentum prorupistis? vt Virginem immaculatam quæ viuens calcaneo suo caput Glauco Plutonis contriuerat, quæ perpetuas inimicitias cum illo habauerat; quæ de supremo Cœli vertice illum per suum filium exturbauerat quæ translata ad Cœlorum gloriam è suis sedibus, e corporib. scilicet humanis, ab illo sibi mancipatis & obsessis eijcere non desistit; Cur Reginam Angelorum, Matrem Dei, commertium cum Dæmone, familiaritatem cum spiritu nequam ducere, ementitis vocibus plusquam impie insimulatis? Quæ conuentio lucis ad tenebras? Mariæ cum Belial? O ter atque quater nostros Principes stupidos, qui in istos improbæ mentis homines, Sanctam Virginem fruentem Cœlestibus gaudijs, in infernum ad conuiuendum & conuersandum cum Glauco dæmonibus, extrudentes, non animaduertunt. Quasi nullu s reperiẽ Ludouicus, his, his nostris infelicissimis sæculis, qui honorem Mariæ prophanatum, si non gladio vindicet vel saltem edictis seuerissimis inhibeat. Omnia illis licent apud nos, omnia impune dicere, omnia effutire, contra omnia blatterare; sit etiam vel in Deum ipsum non tantum in sanctos, non tantum contra Ecclesiam, contra caput eius; Et quasi nullus est qui vel in seipso contremiscens, Cultus & honoris violati, instaurandi & defendendi curam gerat.

Si vero non Dæmoni, sed aliquo ex discipulis eius Glauco plutoni, vestro seductori non Doctori, hasce literas destinauit: cum iuxta subscriptionem sint datæ, non de Cœlesti, sed de lapidea domo. Indicate oro vbinam sit hæc lapidea domus? vbi Consistorium suum virgo collocauit? Cuiusnam manu hę literæ scriptæ? per quem Angelorum ad vos delatæ? Ergone Sancta Virgo post gloriosum laborum suorum terminum, in lapidea domo præmium recipit? Ergo lapidea domus, est sedes sublimior Cherubica cathedra? Rursus. An non optime nouimus, quod illa sit quæ cunctas hæreses interemit in vniuerso mūdo, quomodo ergo vobis modo adhæsit? Demum cum illa sit, quæ videntem omnia Deum plus cæteris videntib. videat, & multo plura quam alia creata in Deo comprębēdat. Quomodo orat? *Tu cogita quid modo respondendum censeas*, *Nam*

Nam plane mihi res cordi est. Sed omnia sunt nęniæ, omnia figmenta, omnia impietates infernalibus flammis exurendæ: Superstitio & idololatria est, inquiunt, inuocare Virginem. eo quod virgo in locum Christi successit. dum ab ea vna omnia petuntur. Videte per Deum, quot verba, tot calumniæ, Superstitio, & idolatria est inuocare virginem. Sed quare? Eo quod (aiunt) virgo in locum Christi successit. Dum vero quærimus. Quomodo successit in locum Christi? Dicunt. Quia ab vna, omnia postulantur.

Dixi, quot esse verba, tot calumnias. Imprimis.n. falsum est, quod ab vna. Non.n. a Maria imploramus, misericordiam Dei non a Maria remissionem peccatorum: non a Maria beatitudinem sempiternam præcamur. Didicimus.n. optime non tam primo, a Doctore Angelico quam a Concilio Toletano octauo, & ab vsu Ecclesiæ Catholicæ, quod Oratio Deo porrigitur quasi per ipsum implenda: quia omnes nostræ orationes ordinari debent ad gratiam & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, secundum illud. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Oratio vero ad Sanctos dirigitur a nobis, quasi per ipsos impetranda; non vt per eos Deus petitiones nostras cognoscat, sed vt eorum præcibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Quod Ecclesia vsu suo approbauit & monstrauit in solennibus supplicationibus, quas Litamias vocant. quid Deo, quid vero Sanctæ Virgini tribuendum sit; dum aliter Deum vnum in substantia, Trinum in personis, qui est Creator omnium, & aliter Mariam inuocat. Ad Deum enim ita loquitur, Pater de Cœlis Deus, miserere nobis, Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus sancte Deus, miserere nobis, Ad Virginem autem vbi ventum est, non misericordiam, sed intercessionem tantum ab illa postulat dicēs Sācta Maria ora pro nobis. Sācta Dei genitrix, ora pro nobis. Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis. Hic idem modus orandi seruatur ab Ecclesia Orientali. dum in Lythurgia sua hunc in modum sacerdos orat. Vt Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vno animo omnes fideles digne glorificemus, obsecremus vnitatem Diuinitatis in tribus subsistentē hypostasibus; non confusam, sed simplicem, indiuiduam, & inaccessam, per quam redimimur

A Maria nihil petimus sed ꝑ Mariā.

22. Quæ. 83. a. 4.

Modus et Antiquitas orandi Mariā.

In Lythurg. Græca translata e Cretēsi codice a Theologo Genebrardo.

a supplicij igne. Matrem tuam Christe, quæ te in carne sine semine peperit; quæ & virgo verè etiam post partum mansit incorrupta, tibi adducimus in intercessionem Domine misericordissime. Lapsuum veniam largire cunctis, qui ei inclamant. Aue sit vere thesaurus vitæ. Et rursus expedita præcatione. Sancta Trias salua nos omnes: Sacerdos subijcit nouam precationem. Matrem tuam adducit tibi in supplicationem populus, vt te glorificemus qui è sepulchro nobis effulsisti. Idem modus seruatus est ab Ecclesia Hierosolymitana, vt in Lyturgia vetustissima quæ multorum veterum iudicio Iacobum Apostolum & fratrem Domini habet authorem patet: vbi sacerdos inquit. Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, Benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei & semper Virginis Mariæ, ac omnium sanctorum & iustorum, vt præcibus atque intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur In Missa quoque Aethiopica, ea etiam peruetusta quam Canonem vniuersalem vocant, Sacerdos alloquitur virginem in hunc modum, Lætare Domina quia salutem sanctam deprægamur, ò Virgo in omni tempore, Mater Dei & Christi; offer sursum & in altum orationem nostram apud electum filium tuum, vt remittantur peccata nostra, Lętare Domina quia peperisti nobis lumen verum, Iesum Christum Dominum nostrum. Ora pro nobis apud eum, vt misereatur animæ nostræ. Ora pro nobis in conspectu throni filij tui Iesu Christi; Lætare immaculata, vere Regina, Lætare gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emanuelem. Neque ab vniuersali consensu aliarum Ecclesiarum dissentit Ambrosiana Mediolanensis vetustissima, quæ 49. Archiepiscopos suos, in Cathalogo Sanctorum numerauit. In vigilia enim Assumptionis, sacerdos etiam vsque ad nostra tempora, iuxta ritum suum (alio enim non Romano ritu celebrant Diuina officia) hoc pacto orat. Et in huius diei veneranda fæstiuitate gaudere, in qua sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum; cuius intercessione quæsumus vt mortem euadere possimus animarum.

Clarum

perspicuum est igitur cuiq. Ecclesiã vniuersalem a Christo ad Mariã nunq̃ defecisse: clarũ igitur vel cæco cuilibet esse potest, quod mera calũnia nobis inijciatur ab Aduersarijs, vt omnia ab vna sola Maria postulemus, Non enim ab vna sed per vnã, Non per vnam solam, sed etiam per filium, Orans enim aliquis super hoc altari Thymiamatis, orat in sanguine agni immaculati, qui oblatus est pro peccato. Orantes, Concede nos famulos tuos, intercessione gloriosa Beatæ Mariæ a præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. adiungimus, in sanguine dicentes. Per Christum Dominum nostrum. Non ab vna sola omnia petuntur. Quis enim vel stupidus dixit. Sancta Maria, sanctificetur in me nomen tuum? Quis vnquam orauit, Sancta Maria Regina Cœli, adueniat in me Regnum tuum? Quis petijt aliquando, Sancta Dei Genitrix Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? vel Sancta Virgo Virginum, Dimitte nobis debita nostra? Dicimus quidem, Libera nos a malo: supplicamus succurre, adiuua, refoue, refrigera refocilla, sed intercedendo pro nobis; non ab vna sed per vnam sed non solam, omnia præcamur. Quod si & hoc quoque quod per vnam non ab vna postulamus, idololatriam dicitis; non nobis hoc vitium imputate sed Spiritui sancto. Ab eo enim scripturam sacram dictante, hoc didicimus. Dum vidimus Moysen, per Patriarchas postulantem. *Quiescat ira tua & esto placabilis super malitia populi tui. Recordare Abraam, Isaac, & Iacob seruorum tuorum quibus iurasti per temetipsum dicens &c.* Audiuimus Azariam in fornace ignis Babylonici, cum socijs suis per eosdem Patres Sanctos orantem. *Ne quęsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraam dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel Sanctum tuum* Audiuimus Deum ipsum obtestantem. *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Aspeximus Oniam summum Sacerdotem virum bonum & benignum, quia puero in virtutibus exercitatus fuerat, manus in Cœlos protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Apparuit nobis & alter ętate & gloria mirabilis & magni decoris,

[Margin: Exod. 32; Sanctorum inuocatio in scripturis.; Daniel. 3; 4. Reg. 19; 2. Mach. 15.]

toris, de quo ab Onia didicimus illum esse Hieremiam Prophetam Dei. *Hic est* inquit *fratrum amator & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate*. Demum ipsos Angelos intuiti sumus orantes pro Israele. *Domine* inquit Angelus *exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es. iste iam septuagesimus annus est?* Alterum etiam Angelum sanctum audiuit Daniel, nescio, inquit, cui loquentem. *Vsque quo visio & iuge sacrificium, & peccatum desolationis quæ facta est, & sanctuarium & fortitudo conculcabitur*. In qua oratione fatetur postmodum idem coram Daniele, quod Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. Scimus quoque Deum patienti Iobo præcepisse, vt vocet aliquem si sit qui illi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuerteretur. Quia vt Eliu alloquens amicos Iobi, consolatur eum. *Si inquit fuerit pro eo Angelus loquens vnus de milibus, miserebitur eius & dicet, Libera eum, non descendat ad corruptionem, inueni in quo ei propitier. Deprecabitur Deum & placabilis illi erit*: Dauid etiam fatetur se *leuasse oculos suos ad montes vnde veniat auxilium illi*. Montes non quidem terrenos sed illos Cęlestes, terreni enim nihil auxiliari possunt. Quare si etiam nos per merita Sanctissimæ Virginis aliquid poscimus: si ad sanctam sanctorum; si ad reginam Angelorum conuertimur, si *super hoc altari* siue *sr per hoc* non ab hoc altari aliquid præcamur. Si a ad montem illum sublimem Mariam, exaltatam super omnes vertices montium Diuinorum cum b Ruperto hanc orationem peroramus. O Beata Maria, mons montium, Virgo virginum, Sancta Sanctorum, ad omnes quidem montes aromatum conuertimur, & vocamus vt respondeant nobis. Sed ad te præcipue conuertimur, ad te præ cæteris oculos nostros leuamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum vteri tui Sacramentum, & illum qui animam tuam pertransiuit gladium, obtine vt videamus ipsam illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum & ex dilecto dilectum, simulq; dilectionem amborum s. Patrem & filium & Spiritum Sanctum. Si inquam hæc & alia oramus, & secundum censuram

Zach. 1.

Dan. 8.

Sanctos inuocare Deus pręcipit.

Iob. 5. & 33.

Mysteriũ

a Greg. in lib. Regũ b li. 7. super Cantica.

ram vestram idololatriæ crimen hoc est ; non nobis hoc imputate sed Deo. Deus enim seduxit nos, & seducti sumus, Deus nobis ista præcepit, scriptura sacra monstrauit, Angeli hoc ipsum nos suo exemplo docuerunt, mortui Oniæ & Hieremiæ nos instruxerunt. Deus sua voluntate id comprobauit ; illos igitur idololatriæ insimulate. Quod an faciatis? vos ipsi videritis. Orandũ est igitur sup hoc altari sacratissimo. Petendum est non ab hoc, sed per hoc altare; & placabitur Deus in omnibus quæ supplicauerimus.

Superstitio est, inquit Lutherus, per Mariam placare Christum, quasi is non esset propitiator, sed tantum horrendus iudex & vltor: superstitiosa, igitur, fuit fide plena mulier Chananæa, quæ per discipulos Christi, Christum propitiatorem pro filia sua interpellat: superstitiosus Centurio de quo Christus ipse fatetur, quod non inuenerit talem fidem in Israel, qui per Iudæos pro puero suo, Saluatori misericordissimo supplicauit: superstitiosi & Apostoli, qui pro Chananea orarunt: superstitiosi & Iudæi, qui pro Centurione dixerunt. Dignus est vt illi hoc beneficium tribuas, vt puerum eius sanes. Supestitiosus & Bernardus, qui vestro cauillo iam ante annos circiter quingentos respondit, Fidelis, inquit, plane & potens mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus ; sed Diuinam in eo maiestatem homines reuerentur, Deus autem noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei? Opus est itaque mediatore, ad mediatorem istum, nec alius nobis vtilior quam Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus, pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris & mulieribus propinauit. Recurre igitur ad Mariam ; pura siquidem humanitas in ea. nec dubius dixerim. Exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtique Matrem filius, & exaudiet filium Pater. Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet ; sed tibi vehiculum voluit prouidere. Forte enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussimus. Ideo

Maria propitiatrix ad propitiatorẽ Christũ.

Ser. de B. Virg. & de Nat. Maria.

modicum illud quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Quid modo amplius oblatrabitis? Quodnam telum contra nos assumetis? Adhuc ne nos superstitioni deditos dicetis? Inuocationem Virginis Mariæ superstitionem agnominabitis?

Superstitio est inuocare illum qui nescit, nō uult, non potest adiuuare.

Aiunt isti. Hoc nobis minime sufficit. Superstitio est inuocare, illam quæ nescit quid nobiscum agatur; quæ non vult nos adiuuare; quæ etiam si vellet non potest. Videtis hic nouos Anabaptistas. Beatissimæ Virginis animam nescio in quibus vmbris latitantem, seu sub altari Dei cum animabus occisorum quiescentem, & a Deifico cōspectu separatā asserentes?

Concedimus tibi ò Luthere, & vobis omnibus quibus cultus Virginis superstitio est: superstitionem esse inuocare illum, qui nescit quid nobiscum agatur; qui neque vult, neque potest nos adiuuare. Audetis ne aliquid tale de Virgine oggannire? Sicne impudenti ore summè Beatam, summè miseram constituetis? Itane Matrem misericordiæ plenam charitate, crudelitate plenam censebitis? Siccine Reginam Cœlorum Angelis superiorem, impotentiorem Angelis iudicabitis? Et vt iste quoque scrupulus è uestris animis eijciatur.

Beati in Deo omnia uident.

Constituamus hic (volo vobis demonstrare, quod omnia quę infra ipsam sunt, optimè norit Beata Virgo) aliquod speculum, ita magnum & lucidum, & ad tantam eminentiam eleuatum, quod omnia illa quæcunque sunt vel erunt vel erant præsentes; Quod in eo resplendeat, quæ sunt substantiæ intellectuales, siue illæ quæ sunt a corporib. secretæ, siue illæ q̄ sunt corpori terreno alligatæ; Quod in eo refulgeat quid vnaquaque illarum agat quid cogitet, quo se vertat, quo abundet, quid patiatur, quid necesse habet, quid optat, quid vult habere; Quod ille desideret remissionem peccatorum, ille liberationem a captiuitate, ille effugium a naufragio, ille cupiat perfectionem vitæ spiritualis, alteri vero actiua magis placet, quod illum paupertas præmit, illum angustia Spiritus conturbat, hunc alienum iugum seruile excruciat, ille infirmitate laborat continua, hic exhalat animā. Ponamus quod omnia siue bona, siue mala,

Sancti intuentur quid nobiscum agitur.

siue perfectiones, siue defectus rerum, illud lucidissimum speculum præsentet oculis; oculus autem sit adeo perspicax, vt omnia illa contueri queat. An non sciet quid huic, vel illi necessum sit? Quanam re ille & alter indiget? Quidnam desideret? Quid cupiat? Deus est speculum limpidissimum; Diuina sapientia est candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, omnia in semetipso per suam essentiam repræsentans: & quod Lazarus mendicus ante fores diuitis iaceat vlceribus plenus; & quod filia illa male a Dæmonio vexatur; & quod ille paralysi soluitur; ille hydropisi tumescit; iste filiquis porcorum vescitur; de altero periculum est mortis: quod pro hac necessitate iste, alter pro altera Deo supplicat; quod iste tali bono potiri, alter altero velit in summa; omnia in Diuina essentia resplendentia sunt tanquam in speculo. Beata autem virgo supra omnia creata propius ad Deum accessit, & longe perfectiore lumine gloriæ, quod perfectionem visionem gloriæ efficit, quam Seraphini perfusa est. Iam non in ænigmate, sed facie ad faciem videt; iam cognoscit Deum sicut & cognita est. Quid igitur non videt in Deo? Quid iam ignorare potest, eorum quæ sunt infra ipsam? Quid latere eam potest, eorum quę circa nos aguntur? Quid oremus? quo indigeamus? Quod si tantum concessum fuerat Elisæo Prophetæ, vt absens cognouerit, quæ Giesi discipulus eius fecerat, cum a Naaman Syro munera accepisset: Quod omnia verba quæcunque locutus esset in conclaui suo Syriæ Rex cognita habuerit; nec illud ignorauerit, missum esse a Rege Israel, qui caput suum præcideret. Si tantum Petro collatum est, quod sciuerit Ananiam, & Saphirã, de pretio agri fraudasse. Si in hac vita, (ita argumentatur Eucherius,) vbi hominum mirabilium Prophetia, ita comparanda est illi vitæ, quasi paruuli ad iuuenem; vidit tamen Elisæus accipientem munera seruum suum, vbi ipse non erat. Ita ne cum venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, sed incorruptibile nihil impediet; illa Sancta Deipara ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad suum seruum videndum non indiguit, indigebit? Si Diues sepultus in inferno, quid circa suos fratres, quos reliquerat in hoc mundo ageretur non ignorabat; illa quæ in summo Cœli Throno collocata est, ignorabit

Marginal notes: Sap. 7. — Maria oĩa scit quæ circa nos aguntur. — Sancti vident absentia. — 4. Reg. 6. — 4. Reg. 3. — Act. 5. — in lib. 4. Reg. 10. cap.

abit quid agant? Quid a se præcentur filij sui; corruptibile corpus hoc ad huc circumferentes? Si Zozomeno credimus qui Eulogium asserit,ea quæ etiam in corde recondita habebat aliquis inspicientem; quod etiam de Ioanne Heremita memoriæ tradidit Augustinus. Quid Regina sanctorum omnium? An non eadem cogitata nostra cognoscet? Angeli non modo sciunt quid in hoc sæculo degentes præcentur; verum etiam preces eorum Deo offerunt, vt Tobiæ Raphael testatus est, Quid de Regina Angelorum? Quid de illa quæ non modo similis Angelis vt alij, de quibus scriptura dicit. Erunt sicut Angeli Dei; sed Angelos puritate & Beatitudinis gradu præcessit. censendum? Forte ignorabit desideria nostra & orationes nostras? Quid est, inquit Gregorius, quod ibi nesciat, ubi videntem omnia uidet? Quid est quod ibi nesciat, (ait Dyonisius ante Gregorium,) ubi fontem scientiæ Deum videt? Quid est quod ignoret, quæ clarius & perfectius quam alia creatura, speculum illud sine macula sua carne vestitum, contemplatur? Cognoscit igitur sanctissima virgo, quę circa nos suos paruulos occurrunt; uidet quid nobiscum agatur; Nouit præces ad se exporrectas; scit cogitatus nostros, nostras necessitates, & nostros defectus. Non erit igitur superstitio, ut orantes præcentur super hoc Altari Thymiamatus; ut orantes præcentur, Beatam Virginem.

lib.6. ca. 28.

lib. de cura agen. p mort. ca.17.

li.4. Dialo. c. 32.

c.11. Cęlest. hierarch.

Iam vero vt de voluntate quoque dicamus: Dixeram alibi, quod charitas Christi fidelium vera illa non simulata, non in solo velle bonum alicui, sed in facere illud bonum desideratum alteri consistit. Operatur enim magna si est; si autem operari renuit, amor non est, vt quidam Sanctorum Patrum ait. Ardet ne charitate in Cœlis Beata virgo erga nos? Si id pernegabitis? manifeste Paulo contradicitis, qui in illo Encomiastico capitulo, de charitate sic docuit: Siue prophetiæ euacuabuntur; siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur; charitas nunquam excidit. Prophetiæ in Cœlorum regno euacuabuntur, non enim obscure, neque iam in ænigmate, oẽs Prophetarum more cognoscent. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Scientia quoque illa imperfecta destruetur; quia non iam ut apes de florib. ut modo

1. Cor. 13.

Charitas nunquã excidit.

scientiam

Hier. 31. ſcietiā a reb. ſenſui obiectis colligemus, ſed in lumine Diuino, uidebimus lumen, Deū ipſum. Linguæ etiam illic, non quidē laudantium Deum, ſed docentium alios, ceſſabunt; Non docebit enim vir vltra proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens. Cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me, a maximo vſque ad minimum. Charitas vero nunquam excidet, immo perficietur in ſua Patria, ex qua proceſſit. Hic enim amare incipimus, illic conſummamus. Beata igitur Virgo charitate flagrat in Cœlis: Altare hoc Diuinum, hic primum fuerat deauratum totum aurea charitate: verum, illic quaſi in aurum amoris conuerſum eſt. Quid enim æſtimatis, quo affectu modo Filium diligat? Quo ardore in illum feratur? Hic dum peregrinabatur in corpore, licet plagis liuidum, vulneribus cōciſum, & ut Iſaias delineauit, deſpectum & nouiſſimum virorum, cuius quaſi abſconditus vultus erat, cui non erat ſpecies neque decor, quem & reputauimus leproſum; attamen tanto amore proſecuta eſt, quod nullius amor amori eius poterat exæquari. Quid in amœniſſima Cœlorum domo, ubi plagæ & liuiditates illius in ſummum decorem; vbi corruptibile, induit incorruptionē; ubi animale factū eſt ſpirituale; vbi obſcurū factū eſt clariſſimū; ubi magis quam nix veſtimenta eius dealbata ſunt; ubi facies eius plus reſplendnit ſole; ubi methamorphoſim mirabiliorem & perfectionem quam in transfiguratione, dum Petrus vix non inſaniebat præ amoris flamma, egit: Quo amore, qua charitate, ardet? Si Petrus tantum ſuccenſus fuit, quod vnum oculum in illius pulchritudinem defixit, quid illa, quæ pleno affectu, ambobus oculis, (intellectus & corporis,) guſtat quod ſitiuit, & videt ad volūtatē quod concupiuit? Nos vero qua charitate poſtmodum complectatur, quę Mater miſericordiæ, & Mater viuentiū eſt? Ineffabile reputo. Si enim tantum in huius peregrinationis tempore miſeris compaſſa eſt: Si tanta viſcera miſericordiæ geſtauit, vt ab illius præcibus Filius ſuus, neceſſitatem patientibus ſubuenire cæpit, in illis præclaris nuptijs, vbi Beata Deipara ſupplicauit, vinum non habent: forte iſta ubera, & hęc viſcera miſericordiæ, reliquit in ſepulchro? Minime gentium. Aſſumpſit ſecum cum anima & corpore miſericordiam. Quod hic fœliciter cœpit, illic perficit fœliciter: ſupplicare hic pro nobis

Maria vult nos adiuuare

Allegoria Sex hidriç implentur etiā nūc a Christo oratione B.V.

bis filio suo cœpit, supplicare illic nunquam desistit. Deficiente uino consolationis, in hac possessione volubili (Chana enim Galileæ, idem est, quod possessio volubilitatis) mundi istius sitientibus bona in his nuptijs, ad quas tantopere properantes, ad cœnam quoque cælestem accedere recusant stulti homines: deficiente vino, & nunc Beatissima virgo assidens lateri Diuino, illi supplicat. vinum non habent. *Vinum non habent*. 1 Ille non habet vinum contritionis lachrymarum; conuerte illius petreum cor in stagna aquarum, vt vitia suæ animæ eluere possit. 2 Ille non habet vinum deuotionis, aridum est cor eius ad Diuina; infunde illi amorē quo rapiatur in Cælum, & terrena vt venenum æstimet; 3 Illum febri exæstuatum sitis enecat; infunde illi vinum sanitatis. 4 Vinum nō habet consolationis alter, eo quod in angustia positus est, ab inimico afflictus, a morbo contractus, a fortuna spoliatus; vinum tuum lętificet cor illius. 5. Alter clamat. Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum, egrediar vt videam si floruissent vineę; introduc illum in cellam vinariam, inebrietur ab vbertate domus tuę, 6. Alter aliquam aliam sitim habet, vinum non hēt; tu fons indeficiētis suauitatis, torrente voluptatis tuæ pota eū. Oratione eius nūc ēt implent sex hydriæ aridæ, in Ecclesia positę, vino gratiarū. Si.n.dū hic viueret, (licet mihi hic, uti verbis Bernardi de Petro loquentis) miserta est peccatorib. & orauit pro eis, nūc tanto amplius quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Filium, quia Beata illa Patria, charitatem eius non mutauit sed augmentauit. Imo potius mouit sibi viscera misericordiæ, quum ante fontem misericordiæ adstitit. Non quia ita Deificata, (addit Damianus) ideo nostrę humanitatis oblita est: scit in quo discrimine nos reliquerit, ubi iaceant, ubi & quantum delinquant serui sui. Non conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci, quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura. Non ita memoratur iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeat, neque ita est impassibilis, ut sit incompassibilis. Naturam nostram habet non aliam; & iustum est vt de rore tantæ pietatis diffusius infundamur. De potestate, in sequenti erit sermo. Cum igitur & sciat quid nobiscum agatur, & velit nos adiuuare. quin sicut Mater distenta lacte habens vbera, quærit ipsa

serm. 1. de Nat. M.

filium

filium ut illam tanto bono exoneret. Adhuc audebitis insimulare Beatam Virginem scriptitantem. Istorum improbis (vt vos pias & Sanctas orationes dicitis) tantum non enecabar præcibus. Adhuc superstitionis nos accusabitis, quod scientem & volentem imploramus? Quod per hoc altare depræcamur? Superstitiosus igitur fuit Iacobus in sua Lyturgia dicens, *vt præcibus eius & intercessionibus misericordiam consequamur.* Superstitiosa Ecclesia Aethiopica, Ecclesia Orientalis Græca, Ecclesia Hierosolymitana, & Ecclesia Ambrosiana. Superstitiosus [a] Nazianzenus Deiparæ suplicās *Maria sis mihi propria.* Superstitiosus Ephrem [b] Mariam alloquens. Esto, inquit, nostra conciliatrix & aduocata in hora iudicij, libera nos a futuro igne & tenebris. Tu namque es spes apud Deum Christianorum. Date igitur legem Gregorio Magno, [c] ne Mariam Christianorum propugnatricem & Dominam appellet. Suggillate Gregorium Turonensem. [d] qui Mariam sine labore suis proferre auxilium docet. Flagellate Germanum Patriarcham [e] ita Virginem affantem. Potens est ad salutem auxilium tuum. Is qui affligitur ad confugit; qui iniuria afficitur ad te accurrit; qui est rebus asperis & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium. Damnate Gregorium Nicomediensem Archiepiscopum, Mariæ ista dicentem. Te Christianorum multitudo murum habet firmissimū, te fideles Reges qui arma tenent valida, per te consequuntur trophæa victoriæ; præbe manum laborantibus, opem fer eis qui agitantur tempestatibus, seda bellorum fluctus. Verberate Bernardum [f] illius eximium cultorem, hanc misericordiæ matrem extollentem, & de ea loquentem. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. Explodite Cyprianum Virgini supplicantem, & Ambrosium ita suas præces concludentem. Vt mea sit efficax oratio, Beatæ Mariæ suffragia imploro. Reijcite Fulbertum Carnothensem & Augustinum Hypponensem, ita ad hoc Altare orantes. Sancta Maria Admitte pijssima nostras præces, intra Sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, sit impetrabile quod fideli mente poscimus, Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa

Sancti inuocarunt Mariam.

[a] in Chr[i]sto patiente.
[b] in ser. de laud. Mariæ.
[c] in epist. insertaSynod. Nic. 2. act. 4.
[d] in li. de gloria martyrū. c. 10.
[e] in orat. de zona Deip.
[f] hom. 2. super missus.
in orat. ante sacrum.
ser. de Annunciat.

excusa quod timemus. Fingite vniuersas Ecclesias tamdiu in tenebris iacuisse, & superstitionis seu idololatriæ sordibus immersas fuisse somniate, quamdiu has voces repetierunt. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ Amen. Vniuersam scripturam sanctorum inuocationem vt piam & salutorem iunentem, conspuite: Deum ipsum idololatram & superstitiosum, qui sanctos implorare iubet, constitute. Quod si eousque audacia vestra procedet; vos Glauco Plutones atris dæmonibus peiores monstrabitis; Non ad quos Maria scribere atque ab errorum magistris edoceri dignabitur: sed quibus tantorum scelerum pœnas si non resipueritis; si illud quod sancta Materdocet & obseruat Ecclesia, non audieritis, impetrabit.

Melius erat ò Luthere illam amplecti doctrinam quam etiam, si non simulator calidus eras pronunciasti scripto quodam. a *De intercessione*, aiebas, *Diuorum, cum tota Christianorum Ecclesia sentio & iudico, pios sanctos a nobis esse honorandos & inuocandos. Quis enim potest contradicere his, quæ adhuc hodierna die mirabiliter & visibiliter apud Diuorum corpora, & sepulchra operatur Deus? Hoc tamen fateor me dixisse; non esse Christiani hominis, Diuorum suffragia, magis pro temporalibus, quam spiritualibus rebus & commodis inuocare. Proinde sic Sancti inuocandi sunt, vt Deus per illos inuocetur, sicut in Psalmo legimus. memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sic sanctus Moyses in præcationibus suis, adfert Deo, Abraam, Isaac, Iacob; quemadmodum & Ecclesia, hæc omnia suo exemplo pulchre docet.* Et alibi. Ad hoc. inquit, Sanctis vteris, ad quod proximo tuo. Quemadmodum enim proximo dicis. Ora pro me Deum, ita de illis dicere potes. Diue Petre, ora pro me. Non peccas, si eis vt pro te orēt instes. Satius erat Erasme vt quod Lauretanæ Virgini quondam, & voce prompseras, & calamo scripseras; *Vnicum* illam appellans, *Cæli decus, certissimum terræ præsidium, præpotentem nostram Dominam, Augustam Cæli terrarumque Reginam, huius nostri pelagi stellam, terræ nostræ Lunam, imo spem vnicam nostrarum calamitatum; quæ quidem inter Cælites vna tantum vel meritis, vel gratia, vel authoritate polleat; vt sola iudicis iram possit restinguere.* Satius inquam erat

Versipelles hæretici circa inuocādos sanctos.

a Lutherus in purgatione quorūdā articulorum.

in pos. circa Euan. de Ioan. Bapt.

in Liturgia virginis Lauretanæ. & in Pęane Virg. Matri dicendo.

Erasmi ad Virginem oratio. & de Maria sātentia.

erat vt iſta tua olim ſcripta agnoſcens, non verſipellis eſſes. Satius erat illam vt ante ſalutare, dum illam compellabas, Salue inclyta Regum progenies, ſacerdotum decus, Patriarcharum gloria, Cœlitum triumphus, inferorum formido, Chriſtianorum & ſpes & ſolatium. DIVINITATI PROXIMA ES, *ne illic nobis deeſſes Aduocata; plurimum apud eum vales, vt eſſes cuius precibus & authoritati, in nos iram ſuam poſſet domare*. Certa es fiducia mea, en ego tuis pronus aduoluor pedibus, illis quibus etiam Cœlites ipſi ſeſe ſubſternunt; pręſentes tuo nomini ſupplices tendo manus; ſuccurre quæſo mea ſeruatrix, mea ſalus, meum vnicum certiſſimumque perfugium, Maria; præfulge ſtella ſalutaris caliganti, dirige errantem, aſpira laboranti, confirma vacillantem, fulci nutantem; adſis periclitanti; ſerua meam dulce decus animulam, hanc quæ ſeſe tibi quanta eſt nuncupat. Per oĩum qui in te ſpes fixere ſuas vota; obſecro obteſtorq; Virgo intemerata, peccatoris huius patrocinĩu apud filiũ ſuſcipe, eius irã quã mei flagitijs excitaui deprecare. Has voces ſæpe ſæpius a te ſcriptas te repetere cõgtuebat.

Hæretic aſſtruũt inuocationem Sanctorũ

Quod ſi eorum aliquando pœnituiſti, odio excitatus vt tu ais Romanæ Eccleſiæ; ſi tibi eius Matris diſplicuit ſententia; tuorum Glaucoplutorum, tuæ farinæ hominum vel decretum nõ abijcere, teque in Cultu Beatæ Virginis olim deuoto retinere ſufficiebat. Legiſti quid Lutherus tuus ſeductor ſcripſerit, a GeorgioSpalatino. Non fuit mens mea vnquam, venerationem Sanctorum eſſe ſuperſtitioſam, neque inuocationes vitioſas pro cauſis vel corporaliſſimis. Hoc.n. ſapiunt hæretici noſtri Pichardi & Bohemi. Vos aũt cæteri, quos ante numeraui, legiſtis Bucerum ſequacem Lutheri, qui de ſanctis Patribus inuocantibus Sanctos, hæc protulit. Intellexerunt ſancti Patres ẽt Diuos qui iam apud Chriſtũ viuunt, pro nobis intercedere, & hoc pacto interceſſionem meritaque eorum reſpici a Deo orauerunt. Legiſtis & Camerarium decernẽtem. Pium affectum erga ſanctos & vota communium præcũ, nõ poſſe, ait, vt opinor damnari; *quum neque aduerſetur doctrinę veritatis Cęleſtis, & exempla vetuſtatis extent*. Legiſtis & Oecolampadium qui reliquit; quod ſancti in Cœlis ſua charitate flagrantes, non deſinunt pro nobis intercedere. Nihil ergo mali ſi hoc

a in epiſt. An. 1518 dat. & in reſponſio ne ad cõ dẽnationem Louanienſiũ. in cap. 8. epiſt. ad Roman. in lib. de piis Eccleſię præcibus. in 6. tomum operũ Chryſ.

petamus

AD TE CLAMAMVS

Medicina omnium in festinatione nebulæ Ecclesiast. 43. cap.

CONCIO VIGESIMA.

In qua B. Virginem posse multa ad salutem nostram necessaria operari, refutando relicta Hæreticorum dicta in præmissa Concione, ostenditur.

OMNIPOTENS virtus Diuina, & si in omnibus ipsius effectis maximè elucescat, in eo tamen non minus, quod creaturas atque multo magis rationales, & eo amplius, Amicos suos mirandorum operatores efficit. Commune placitum Phylosophorum est: Vnumquodque agens tunc temporis censendum esse perfectum, dum simile sibi, non modo in esse, sed & in virtute effectiue producit. Multa sunt a Deo effecta; quæ aliorum sunt causa, quibus tamen non communicarunt tantum posse, vt alia procreare valeant. Sol enim generat aurum & argentum, in abstrusis terræ visceribus: aurum tamen illud & argentum, aliud siue aurum siue quippiam in rerum natura generare nequeunt. Artifex fabricat domum, domus tamen illa aliud ędificiũ fabricare non potest; Deus Opifex omnium, tum maxime omnipotentiam suam demonstrauit, dum plasma suum in tam præaltum gradum eleuauit; vt aliorum principium, non modo iuxta ordinem a se rebus præfixum, sed etiam secundum extraordinarium, qui captum & facultatem multorum excedit, esse possit. Quocirca licet magnum sit, vt ille virtute sua omnia producat, producta conseruet, conser-

Omnipotentia Diuina in quo eluceat.

Y uata

dico vobis qui credit in me, opera quæ ipse facio & ipse faciet, & maiora horum faciet; dicebat, Christum non ea tantum posse quæ faciebat ipse miracula: propter quę dixerat mihi credite, sed & longe maiora per excessum ostendit. Non enim maiora his posse se, sed quod mirabilius est, se alijs dare posse maiorum potestatem profitetur. Mirabile est, quod ipse mirabilia verbo suo omnia perficiat: Mirabilius est, quod credenti omnia sunt, ut ipse testabatur, possibilia. Mirabilius est quod creaturæ, quæ est vt nebula ante oculos eius, tantam virtutem conferat, vt sit medicina omnium in festinatione ipsius. Medicina omnium in festinatione nebulæ. Sed quid ô Diuine Sacerdos, nostro solatio reliquisti? *Medicina omnium est in festinatione nebulæ*? Quęnam est hæc medicina, in festinatione nebulæ? Si nebulam accepisti, illam quæ in superiori parte aeris, ex aquæ & pulueris concretione generatur; quomodo medicina omnium est ex festinatione illius? Si ex aqua ab illa defluente? Quemnã infirmitate laborantem, aqua pluuiæ sanauit? Cuius leprã mũdauit? cuius febricitãtis ardorẽ refrigerauit? cuius vlcera cicatrice obduxit? Si ex puluere? puluis & cinis oculis iniecti, excæcant non illuminant; puluere mortuus aspersus, corrumpitur non viuificatur: puluerem terrę, quisnam medicus in sua pharmaca admiscuit? Quomodo ergo medicina omnium in festinatione nebulę? Si diem obscurum & atrum, ex nebularum multitudine intellexisti? Sententia omnium medicorum est, diem illum esse infaustum ęgrotis, esse ineptum medicaminibus recipiendis. Quod si medicinam omnium inuoluisti secreto, in festinatione nebulę illius, quam in spiritu videat Helias, ascendere ex gurgite maris operientis faciem vniuersę terre; in qua posuerat Altissimus, (vt Iob cum Psalte prophetarunt,) latibulum suum. Si Diuino afflatus spiramine, nubem illam non obscuram, sed lucidam lumine fidei & gratię, ignitam charitate, præeuntem populum Israel, & vniuersa creata dignitate & sublimitate; subsecutam ab Angelo illo magno, qui virtute Diuina in hanc nubem obumbrante, descendit atque ex nube, nube carnis se circumtegens ad nos exiuit. Si virginem Sanctissimam Mariam intelligis, vt *in festinatione illius*, siue olim ex vtero materno ad mundum; siue modo de excelsa Cęlorũ domo, ad suos fideles seruulos, curãdos, pręgé-

Hom. 73 sup Ioan. c.14.

Nebulę festinatio ē medicina omnium

Iob. 22. & Ps. 17.

Allusio ad columnã nubis quæ præcessit Israelem.

Maria nubis.

do, liberando, & seruandos, *sit medicina omnium*? Ecce Copronymus contradicit, Maria inquit est vt crumena quæ postquã aurum; sæculorum pretium Christum profudit, nihil valet, nihil potest; Medicina omnium nulla est in festinatione illius; Ecce Lutherus calumniatur, nos ei omnipotentiam vt Deę cuidã in Cœlo & in terra attribuere; Ecce Marbachius ait a Mariam in nullo vnquam fuisse ministram Ecclesiæ. Quare neque scriptura meminit, alicuius miraculi ab illa facti atque perpetrati. Quomodo igitur (dicit ille) vel ipsa per se, vel Christus per ipsam miracula edere potest? Quomodo medicina est omnium in festinatione nebulæ? Si vero miracula post mortem patrasse illam contendis. b Caluinus, hæc miracula, confirmationem superstitionis affirmat c, Beza, Sathanę hanc operam ministerumq. iniquitatis appellat, d Illiricus impudens, ea signa fraude nostra conficta; ad stultam superstitionem omnium refert: e Hetbrandus, hæc miracula nõ ad Virginẽ sed ad Deũ huius sęculi refert: eo qd, inquit, a Deo vero ad idola quę fabricarunt Papistæ, & figmenta cordis humani, imo ad Diabolũ ipsum adducunt; eò φ, inquit, Euangeliũ euertunt; eo φ solus Deus, inquit, mirabilia facit, vt Dauid decantauit. Quomodo ergo asseris; medicinam esse omnium, in festinatione nebulæ Virginis Marię? Respondere potest Ecclesiasticus, verissimũ esse illud quod protulerat; *Nubem* hanc, Beatam Virginem posse non quidem vt Deus virtute propria, sed oratione, (vt statim in limine Lutherum conficiamus) *mederi in sua festinatione*, omnibus qui morbo aliquo affecti sunt. Mederi autem non Sathanę opera; non vt a Deo vero ad Diabolum, imo vt à Diabolo ad Deum, virtute Diuina adducat. Mederi non vt ista sint figmenta, fraude hominum conficta, sed vt potentia sibi a Filio participata, verè non chymericè, vt totus mundus, excepto angulo Hęreticorum agnouit; vt illi qui experientia sua in se didicerunt plenis buccis fassi sunt.

Hæreticorum de miraculis Marię iudicium.

a in li. de miraculis cont. Eisegreniũ.

b in harmon. Euang. 6. lib. institut. Christiana ca. 4. sect. 16.

d in Cat. mendaciorũ Papisticorũ.

c in Thesibus hiperaspist.

Et vt certus limes sit nostræ huius contentionis: Tria ve video asserta habent Hæretici, de miraculis B. Virginis, quæ suo ordine a nobis refellenda sunt. Ac primum quidem est Marbachij & Copronymi, dicentium, Mariam esse sicut crumenam vacuam, post partum filij, quæ nihilo valet vltra; tum deinde, quia Mariæ non est collata potestas faciendi miracula,

Tria dicta Hæreticorũ de de miraculis B. Virg.

Punctum quod Nõ potest. refellitur.

cula, vt poteilli quęnunquam fuit ministra Ecclesiæ; Quarę inquit neque scriptura meminit alicuius miraculi ab illa perpetrati. O peracutos atq. sublimes Theologos. studiosos illius indagatores. Dicito mihi (te in primis Copronymę appello,) sitne talis necessitas, vt ille qui miracula patrare debet, semper in ventre suo habeat Deum conceptum, nec ne? Si asseris, ita connexa esse inuicem hæc duo, miraculorum. factio cum Verbo Diuino gestando in vtero; vt qui miracula agit, necessum sit, vt sit Mater vel Pater Dei secundum carnem: Moyses quomodo virgam in serpentem, & serpentem in virgam conuertit? Quomodo manui candidæ sola impositione illius in sinum, lepram induxit? Quomodo Apostoli dæmones eijciebant, linguis loquebantur nouis; serpentes in manibus portabant? mortiferum bibebant & nihil eis nocebat? semicinctitijs infirmitates sanabant? vmbra sua mirabilia operabantur? cum neque Moyses nec Apostolorum aliquis, pater vel Mater Christi erat; cum nullus eorum carnem, vt Maria Christo, dederit? Cur ergo illis saluator noster, potestatem tantam elargitus est? Euntes inquiens, prædicate, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite, gratiam gratis accepistis, gratis date. Maria igitur tantum valet, dum gestabat Christum in vtero, quantum & modo cum illum enixa est. Maria non est vt crumena vacuata auro. Aurū.n.fulgorē suū nūquā relīquit in crumena; aurum postquam effusum est ex crumena, crumenæ nihil conferens, illā nihilo constante reddit; tamen aurum illud ignitum Christus, vbi illabitur, animam deaurans fulgidam reddit, animæ confert donorum largitatem. Deaurauit & Mariam; visa est etenim a Dauide, Regina hæc preclara, in vestitu deaurato circumdata varietate gratiarum. Contulit illi fidei maiorem, quam alicui credentium assensionem: Fidei autem attribuitur a Saluatore nostro operatio miraculorum; eo quia ordinata est ad fidei confirmationem, vel quia procedit ex Dei omnipotentia, cui fides innitur. Amen dico vobis, aiebat Christus ad discipulos. Si habueritis fidem sicut granum sinapis; dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Propter fidem Centurionis, puer illius paraliticus; sanus effectus est. Propter fidem Emoroissa quæ flu-

Miraculorū opifices nō est necesse vt Deum gestent in vētre.

Math. 10.

Maria nō est crumena vacua.

Miraculorum opus attribuitę fidei.

Math. 18.

xum sanguinis patiebat duodecim annis salua facta est. cōfide inquit filia, fides te saluam fecit. Propter fidem Marthæ, Lazarum resuscitat Christus. Propter fidem sororis eius Magdalenæ, eidem peccatrici dimittit peccata: vt vidit fidem quorundam baiulantium vnum paraliticum; dixit ad illum Remittuntur tibi peccata tua; surge & ambula. Propter incredulitatem Apostolorum, non potuit eijci Sathanas a quodam filio lunatico, qui sæpe cadebat in ignem & crebro in aquam. Dum enim accesserant discipuli ad Iesum secreto, & interrogauerant. Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus. Propter incredulitatem vestram. Maria autem fide excessit omnes credentes, Maria igitur excessit omnes miraculorum effectores potentia miraculorum. Quamobrem non immerito ab Andrea Cretensi, miraculorum effectrix potentissima, nuncupata est. Quid contra ista opponis scelestissime Imperator? Adhuc a reliquis mulieribus Mariam nihil distare, effutire perges? Adhuc Maria tibi nihil poterit, quæ fide fideles omnes vicit? Adhuc crumenæ vacuę instar erit tibi Maria? Crumenæ instar, (pergit blasphemus Copronymus) vacuæ reputo adhuc Mariam. Fidem; maximam opem conferre ad miracula perpetranda ex tuo ore didici. Maria fidem modo non habet: Fidem enim mortales, immortales vero qui non in ænigmate, sed facie ad faciem contemplantur Dei essentiam, qualis etiam est Maria, visionem claram non obumbratam fidei possident. Maria igitur est vt crumena vacua fide; non est medicina omnium in festinatione huius nebulæ; nihil perficere potest miraculorum. Subtilem oppositionem, fortissimum argumentum; sed quod vel vno flatu Spiritus sancti auctoris sacrarum literarum exsufflari potest. Velim a te edoceri Copronyme. Adhibes aliquam fidem scripturis an non? Vt video; magnam authoritatem apud te obtinent. Scripturarum autem sacrarum hystoria, an non recenset mortuos fide vacuos, miracula egisse? Videamus libros Regum, vbi narrant mortem Helisæi prophetæ. Mortuus est, ait Helisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer

[Margin: in 1. ea com. de dormit Deip.]

[Margin: Fide vacui miracula patrarunt.]

cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos. Volens hic prætereo quæ ab Ecclesiasticæ hystoriæ scriptore Nycephoro, a Iosepho in Antiquitatibus Iudæorum, ab Egesypo & Epiphanio, alijsque multis probatissimis viris, de ossibus Hieremiæ, & Isaię, & Ezechielis Prophetarũ scripta sunt; quæ miracula illustria multo tempore facerent. Heliseum tantum adduxi, ne infìciandi relinquatur locus. Heliseus erat mortuus; vt tu dicis Copronyme, (quod neque nos pernegamus) mortui non habent fidem, multo magis neque ossa mortua sunt inter credentium numerum adscribenda. Heliseus fuit vt crumena vacua fide; miraculum tamen, & maximum operatus est. Sic & Maria licet iam supra fidelium credentium cætum exaltata sit, non tamen est crumena vacua gratia miraculorum; multo plura quam putrida ossa prophetæ in terris relicta, illa a dextris Dei assidens patrare valet. Si & enim tantæ virtutis fuit cadauer, in quo olim vt in proprio domicilio duplex spiritus Eliæ, duplicatus in Helisæo requieuit: quantæ efficaciæ putandum est remansisse Mariam, in qua non creatura sed Creator omnium Deus; in qua non spiritus aliquis gratiæ creatæ munere ornatus, sed Spiritus Sanctus distributor gratiarum, corporaliter operatus est; sed Deus ipse in persona propria mãsit, sed verbũ Dei filius, collator potestatis miraculorum, ex ea, & in ea carnem assumpsit? An non maiora dona, ampliorem sanctitatẽ, maximam gratiam ad ea, & alia multo plura operanda Mariæ contulit? Si Angelorum choros (vt Ecclesiæ, & Patrum fides docet) & meritis & sanctitate & beatitudine trancessit; virtutes autem Cœlestes miraculorum effectrices, a Dyonisio Magno atque Gregorio appellatæ sunt. Cur non & illa miraculorum effectrix potentissima vocari & esse debet? Quandoquidem illa creata, quæ magis perfruuntur beata visione; atque in sublimiorem thronum conscenderunt, possident imo perfectius, ea omnia quæ inferiorem gradum sortita sunt? Fides, inquit, est operatrix miraculorum. Si addidisses; sed non tantum; optime dixisses. Non tantum enim fides, sed & oratio perficit miracula. Hoc, inquit Iesus, genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione & ieiunio. Suscitaturus ipsemet Christus fœtidum Lazarum,

4. Reg. 13.

Mortui miracula operant.

Oratio miraculorum effectrix. licet videret fidem Marthæ, orationem tamen præmisit: & eleuatis sursum oculis dixit. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi; vt credāt quia tu me misisti. Oratione præmissa Petrus, claudum erigit in pedes. Ponens genua sua in oratione, orauit, & conuersus deinde ad corpus Dorcæ dixit: Tabitha surge. Beata autem Virgo etsi non habeat fidem in Cœlorum Patria, ex charitate tamen

Maria curat res mortaliū feruente, magis quam aliquis sanctorum Hieremias vel Onias orat pro nobis. Nullus post eius filium, (dicebat Germanus Patriarcha,) ita generis humani curam gerit, sicut Maria. Nullus ita nos defendit in nostris afflictionibus, sicut Maria. Nullus tam citò præueniens nos ab irruentibus liberat tentationibus, vt Maria. Nullus adeo pugnat in supplicationibus pro peccatoribus, sicut Maria. Qui affligitur ad illam confugit, qui iniuria afficitur ad illam accurrit; qui est rebus asperis & aduersis implicatus, Mariæ inuocat auxilium. Magis igitur quam aliquis alius sanctorum supplicando, maiora miracula quam aliquis alius operatur. Lubet hic abscribere auream doctrinam Angelici Doctoris, de modo quo Sancti miracula patrare consueuerunt. Impossibile est, ait, quod principium operandi miracula, sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Sed sicut mens prophetæ mouetur ex inspiratione Diuina, ad aliquid supernaturaliter cognoscendum; ita mēs miracula facientis, mouetur ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi; quod Deus sua virtute facit. Quod quandoquè fit præcedente oratione, sicut cum Petrus Tabitham mortuam suscitauit. Quandoque etiam non præcedente manifesta oratione, sed Deo ad nutum hominis operante, sicut Petrus Ananiā & Saphyrā mentientes, morti increpando tradidit. Vnde Greg. dicit in secundo Dialogorū, quod Sancti aliquando ex potestate miracula exhibent; aliquando ex postulatione. Nunc ad Mariam redeuntes. Si peccatorum orationibus tribuit Deus, vt per inuocationem nominis eius, ad testificandam veritatem fidei, vel Ecclesiæ, vel sanctitatis Diuinæ, Dæmones eijciant, & virtutes multas efficiant. sicut ipse Christus testatus est, de quibusdam recensens; Quod multi in die iudicij dicent mihi. Domine, Domine, non ne in nomine tuo pro-

[Margin notes: in ho. de zona & fasciis Deip. — miracula quo sācti operātur. — 2. 2. qu. 178. art. 1.]

pheta-

phetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Orationes Mariæ, quæ est & fuit pulchra sine macula peccati, quæ extra statum peccatorum segregata viuit; quæ nihil nisi conforme Diuinæ voluntati precatur, erunt impotentiores? non dæmonia ab obsessis expellent? non virtutes magnas & multas exhibebũt? non medebũtur omni infirmitatem patientis? Medicina omniũ in festinatione nebulæ. — Maria opifex miraculorũ.

Sed dicet Marbachius: Maria non erat ministra Ecclesiæ; & ideo neque scriptura meminit, alicuius miraculi ab ea facti. Verum est quidem, quod non fuit ministra Ecclesiæ; verum est quod nullibi Gentium, verbum Dei prædicauit; non enim habuit vsum sapientiæ, vt docet D. Thomas, quantum ad docendum. Quia hoc non conueniebat sexui muliebri, secundum illud Pauli. Docere mulieri non permitto. Verum est quod miraculorum vsus, sibi non competebat dum viueret; quia tunc temporis confirmãda erat doctrina Christi miraculis; & ideo soli Christo & eius discipulis, qui erant bajuli doctrinæ Christi, conueniebat facere miracula. Propter quod etiam de Ioanne Baptista dicitur, quod signum fecit nullum, vt scilicet Christo omnes intenderent. Verum est quod nullum miraculum in vita sua fecit, ad confirmationem fidei, quam non annunciabat. Verum est, quod scriptura sacra nullius miraculi ab ea facti meminit. Sed quod miraculorum gratiam, quæ gratiæ plenitudinem accepit, & quæ fuit propinquissima Christo secundum humanitatem, non habuerit; id tu Marbachi, neque probasti, neque probare vales. Quod scripturæ sanctorum Patrum, miraculorum ab ea post mortem factorum, non meminerint, si idipsum etiam affirmare audes; cæcum & ignarum lectionis historicorum, te esse plusquam manifestò demonstras. Potest igitur Maria miracula facere; Potest necessitate cõstrictis subuenire, nõ virtute propria sed orationis subsidio. Nihil eius resistit potentiæ, (dicebat Gregorius Nicomediensis.) nihil repugnat eius viribus, omnia cedunt inferiora eius iussui, omnia eius obediunt imperio, omnia eius potestati seruiunt. Omnia enim possibilia sunt credenti. Quicquid orantes petieritis, promisit Saluator, fiet vobis. Medicina igitur est omnium in festinatione Mariæ.

3. p. q. 27 ar. 5.

Ioan. 20.

Maria nullum in vita fecit miraculum.

orat. de exitu B. Virg. qñ in tẽplũ fuit oblata.

Alterum assertum Hæreticorum, de miraculis gloriosissimæ

non excedit. Vires autem naturæ excedit, quod mare diuisum transeuntibus inter præbeat; quod homo post mortem viuat; quod post cæcitatem videat; supra naturã est vt post abscissum pedem claudus ambulet; post febrem incurabilem, absque naturæ principijs coöperantibus conualescat infirmus; quod sanitatem absq; medicina ægrotus recipiat; Talia facta esse legimus a virgine potentissima. Non possunt igitur esse, a Deo huius sæculi, neq; a Satana.

Euangelium inquit euertunt. Si Bezæ, si Caluini, si Herbrandi, si deniq; omnium hæreticorum Cacangelia; non diffitemur, Verissimum enim est, Mariam cunctas hæreses virtute miraculorum, intermisse in vniuerso mundo. Maria hæresim Nestorij, miraculo ostenso in illius Corpore a vermibus viuo corroso, interemit; Maria Copronymum blasphemum, eodem mortis genere extinxit, vt Ecclesiastica refert hystoria; Maria Iulianum scelestum miraculo confodit; Maria Lutherum suum hostem, miraculo in illius corpore demonstrato vindicauit. Dum enim mortuus ad sepulturam deferretur, corpus eius ita suaue olere dicam vt quatriduanus Lazarus fætere in medio hyemis, ubi maxima erant frigora, etiam in capsa ferrea, cæpit; vt in medio itinere relictum sit a delatoribus. Miracula uirginis euertunt Euangeliũ quod

Confirmationes sunt aiunt superstitionis, & a Deo ad Diabolum abducunt. O Deus omnipotens & iustissime; Cur non Mariæ, sed tuam iniuriam non vlcisceris? Cur eousque pateris vt isti impij mendaces, mendaciorum testem te esse aut ament? Miracula enim testimonia sunt, vel fidei, uel sanctitatis alicuius. Tu miracula ad orationes, & vota Mariæ oblata operaris; cur superstitionum confirmationẽ (cũ non superstitio sit fides Ecclesię; nõ superstitio plenitudo gratiarũ Marię; nõ superstitio sãctitas & inuocatio Deiparæ) appellari miracula a te facta permittis? Non a te ad Diabolum imò a Diabolo ad te Deum verum abducunt eripiunt. Quis enim a Diabolo olim vexatum, & postea liberatum, liberando illum, illum Dæmoni tradidit? Quis a peccatorum uinculis aliquem soluentem, a Deo ad Diabolum abducentem, asseuerabit? Quod si miraculorum gratia, est superstitionum confirmatio, & ad Diabolum abductio; cur tu Caluine, tu Luthere, vestrà denique turba ministrorum, Sathanæ miracula efficere aliquoties conati estis? Miracula Euangeli-

cibusq; alta voce profusis, Deum obtestatur, potentiam suam ostendere, & mortuo huic vitam restituere gloriamq; suam sic vniuerso populo declarare vellet; simulq; manifestum facere se Caluinum, peculiarem sibiq; gratum seruum esse, & a se ad Euangelij sui ministerium, atq; Ecclesię reformationem singulariter & vere vocatum. Post quas praeces ad mortuum apropinquat, & miseri hominis manu apprehensa, in Dei nomine imperat, vt se erigat; repetit iterum saepiusque eosdem sermones, voce etiam altius eleuata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neq; se commouet mortuus, iusto enim Dei iudicio, qui fucos mendaciaque detestatur, is qui se mortuum simulabat, verè esse mortuus repertus est. Et vxor, quicquid eum agitaret, quomodocunq; impelleret, neq; vt se commoueret efficere potuit, sed totus frigebat, rigebat totus. Quo animaduerso, plorare, vlulatus serio edere, & ex animo caepit vxor; & in Caluinum inuecta, impostorem eum, siccarium, latronem qui maritum interemisset appellans, ex ordine rem quomodo erat gesta, clara altaq; voce exposuit. Haec sunt miracula haereticorum, ex viuis mortuos efficere, viuos propria manu iugulare; Haec sunt ô Caluine superstitionis confirmationes; haec Euangelium euertunt tuum, haec sunt opera Sathanae, & ministeria iniquitatis; haec a Deo ad Diabolum abducunt: miserum illum & cum corpore & cum anima in fauces Sathanae iniecisti. De miraculis Mariae nihil tale vnquam suspicari potest. Miracula Mariae sunt confirmationes veritatis. Si miracula Moysi, Iosue, Eliae, Helisaei, Angelorum, Saluatoris nostri, Petri & Pauli Apostolorum fuerunt, vt fuerunt confirmationes veritatis. Eadem enim siue nonnulla maiora quam isti perfecit.

Et vt tertium assertum Illirici, & aliorum nulli praeter sibi ipsis credentium eliminetur; ne dicat Illiricus impudens, miracula Beatae Virginis signa esse, fraude nostra conficta, nec vnquam vere in rerum natura effecta, Grauissimos & sanctissimos testes eorum adducemus, Quibus Patres & Concilia & vniuersus mundus fidem adhibuit; & nobis par est credere, potius quam Illirico, qui illis temporibus neque fuit, neque iudicium de illis ferre potest, sint ne conficta nec ne. Age progrediamur, & nebulam hanc sanctissimam Mariam, medicinam

esse

esse omnium malorum conferendo, dicam præferendo, multa miraculorum opificibus, commonstremus.

Antithesis Mariæ & aliorũ qui miracula egerunt. Moyses.

Moyses primus miraculorum patrator, virgam in serpentem commutauit. Quis autem miraculorum illud maximum effecit, vt virgam directionis & regni verbum Diuinum, in serpentem eleuatum postmodum in ligno crucis, verbum carnem effecit, nisi Maria? Ex Maria virgine, (canit Ecclesia) incarnatus & homo factus est filius Dei. Maria lepra carnis humanæ, Manum Dei omnipotentissimam, quæ fundauerat terrã, q̃ Cælos & stellis adornarat, terrã florum & arborum varietate depinxerat, superinduit. In Mariæ sinu, manum hanc vidimus leprosam, & non erat ei aspectus, neq; decor. In Mariæ vtero exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Moyses populum per siccum maris alueum traduxit. Non defuit hoc Mariæ. Testis est Belluacensis, qui mulierem in medijs fluctibus Oceani, transcurrentẽ ad Ecclesiam S. Archangeli Michaelis in Tumba nuncupati; parturientem illæsam, inuocatione sanctissimæ virginis, asseuerat. Moyses è duro silice, aquas limpidissimas populo sitienti eduxit. Memoranda est hystoria Ioan. vbi in Chana Galileæ ad præces Mariæ, Petra iussu Petræ, dulcissimum laticem conuiuantibus ministrauit. Moyses aquas amaras conuertit in dulces: in Chana Galilæa ad preces Mariæ, aqua in vinum commutatur. Moyses sola manuum extensione, Amalechitas vincebat. Inuocatione Mariæ, quis hostes eorũ q inuocant Mariã ab ea prostratos numerare potest? Ioannes Comnenus Imperator cum suos milites a Scythis grauiter vrgeri ac præmi cerneret, ad imaginem Dei genitricis quam præsentem habebat, cum gemitibus & miserabilibus gestibus sese conuertit, ac tristes lachrymas fudit. Statim vero cælesti robore armatus, Scythicam aciem profligauit, & eorum turmas facile dissipauit. Ob hanc victoriam partam, vota virgini persoluit, & fæstum Pazinacarum perpetuo celebrandum instituit. Vicit & Persas, indeq; triumphum egit, in quo magnificè quadriga est apparata, & à quatuor equis candidissimis ducta. Imperator vero non conscendit, sed Dei genitricis imaginem in ea collocauit. Habenas quadrigæ viris potentissimis moderandas, & cognatis suis currum dedit curandum: ipse crucem manibus, gestans pedibus incessit. Narses, ut Ecclesiasti-

In uolũ. hystoria li. 7. ca. 81.

Maria hostes posternit.

ca re-

ea refert hystoria, antequam prelium quoddam iniret, ita Diuinæ Genitrici suplicauit, vt illa sibi manifesto appareret; & quando bellum committere deberet, præciperet. Vnde nunquam ille prius facile in aciem descendebat, quam tempus ab ea opportunum cognouisset. Præclara est & illa victoria quam in vita Basilij recenset Amphilochius. Iulianus Imperator minabatur Cęsareanis Cappadocib.; postquam ait, edomitis Persis huc rediero, tibi quidem Basili alimentum farni, sine subtractione dabitur; vrbem vero hanc euertam, eamque sic aratro proscindam, vt farris potius, quam hominum ferax sit; Ne.n. me clam est, vt te suasore populus, ad eam protuperit audaciã & temeritatem; vt quam ego collocatam Deæ a me adoratę statuam, ille non ferens incantationem, penitus dissiparet. Porrò Basilius reuersus in vrbem, conuocata omni multitudine, exposuit eis quæ Imperator dixisset; mox præcepit clero, & omni populo Ciuitatis, vt cum fæminis & paruulis, ascenderent in montem Didymi, in quo honoratur, & colitur Deigenitricis venerabile templum: ubi triduanum exigentes ieiunium, petierunt a Deo dissipari impij Iuliani propositum. Hoc cum illi præcarentur, & in pręcibus corde contrito vigilarent; Basilius in visione, multitudinem vidit cęlestis exercitus, hincinde in monte; & in medio residentem SS. Virginẽ in Throno pręclaro, dicentem viris eximijs, qui proxime illi adstabant. Vocate ad me Mercurium, vt eat ad interficiendum Iulianum superbè blaphemantem Deum & filium meum. Sanctus autem cum suis armis adueniens, ea iubente velociter abscessit. Acciuit autem ad se eadem virgo Basiliũ Magnum, deditq; ei librum, continentem historiam creationis totius mundi, a dextris vero hominis a Deo cõditi. A fronte autem libri, hæc erat inscriptio, Dic in finem: ad calcem autẽ creati hominis habebatur, Parce. An vero ista uisio effectum assecuta fuerit, testis est inprimis Basilius magnus, qui euigilans dum ad S. Mercurij martyrium, cũ Eubulo socio processisset, nec arma eius quæ asseruabantur reperisset, tandem post nouas preces, delatam vidit lanceam cruore madidam. Testis est & Libanius Iuliani quæstor, qui ad eum modum retulit scelestissimi exitium. Cum inquit, esset Iulianus ad Euphratem fluuium, & iã facta nocte septima, militum excubiæ eum custodirent; quidam ignotus miles cum armis aduenit

Iuliani apostatę interitus, iussu Marię.

uenit

templa ditissima vastarunt; postquam imagines eius violarūt; & cultum prophanarunt; ex quo illam reliquis mulieribus parem in sanctitate & æqualem in potentia fecerunt; quot mala ingruant illis? quanta perpessi sunt? quænam illos maneant in poterum si Hęresi adherebunt, si ad Virgineum sinum non reuertentur; res ipsa, ipsi soli testantur; scribere ista non est opus, Iosue. 10. cū totus sciat & loquatur Orbis. *Medicina omnibus est in fest. &c.* Habemus alterū opificem miraculorum Iosue, qui illud maximum miraculum operatus est, quod Solis cursum retardauit. Sol ait contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. stetique Sol in medio Cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. Forte eiusmodi imo maius, Maria non est operata? Audite stupendum miraculum. Pugnabat Christus contra feros Gabaonitas infernales. Luctatus est cum illo a Dracone in cuius fauces b ouis illa perdita, pice & adipe & c oleo peccatorum impinguata & oblita, iniecta fuerat. Quanta autē indigna ab eo, & illius ministris pertulerit? videte imaginem Crucifixi, & recolite quod palmis ora temeratus & faciem sputaminibus aspersus, vinctus funibus, aceto & felle potatus, spinis cruentatus, clauis manibus & pedibus confossus; in hac acie ita verberatus percussus & humiliatus, vt a planta pedis vsque ad verticem non esset in eo sanitas. Vulneratus propter iniquitates nostras, attritus pene propter scelera nostra. Cuius cor saxeum tūc non commoueretur? dū Sol videns cōditorē suū adeo indigna perpessum, faciem suam auertit; terra febrim tremulam, propterea quod amplius sustinere non posset crudelitatem tantam, sustinuit: manes infernorum commoti, ad compatiendum patienti Christo in hac fœlicissima pugna, exiere: Deus ipse in sanctuario Iudęorum recubans, velum dirupit & discidit, vt intueretur illū qui erat speciosissimus forma præ filijs hominum, in Cruce despectum, & quasi absconditum habentem vultum, vt videret quomodo vinitores nequam, filio cultoris vineæ, propinant botrū amarissimum. Durius petris quæ scissæ sunt, esset petreū cor illud, quod non dolore commoueretur. Si ex commiseratione, an vero ex irrisione vociferabantur Iudęi, ad Christū in Cruce

Allegoria solis Iosue.

Allegoria Danielis 14.

a Daniel. 14. b Luc. c Ps. 140.

Z pen-

Maria solem retardauit nota miraculum miraculorum.

pendentē. Si filius Dei es, descēde de Cruce, Saluū te fac. Non patere tanta, receptui cane. Aderat tunc Maria (audite stupendum, miraculum miraculorum) Mater Dei, lachrymis oborta, doloris gladio trāsfixum cor gestabat. Quę enim esset tygris illa, & non Mater quæ Filium suum atrocia perferentem, læto oculo aspiceret? non in seipsa dilaceretur? Si posset de hoste sese vindicare, non proclamaret? Occide, Corpus & animam ad inferos simul cum vita intrude. Nihil horum Maria facit, sed dū alij vociferantur Christo, descēde de Cruce, illa e contra 1. *Sol iustitiæ, ne cōmouearis contra Gabaon*, sed pugna fortiter, In te.n. salus vniuersorū pendet; si in hoc duello cesseris hosti, mundus vniuersus quem tu cōdidisti, quem tu illuminas, corruet, & ad nihilum decidet; Sathanas vires maiores assumet; maiores cruciatus, maiora tormenta hominibus in hac nocte peccatorum inferet. Non reperietur amplius, neque Iobi patientia, quæ malitiam & potētiā ipsius sufferre possit 2. Sanguis noui Abelis, effusus clamabat vindictam de terra, tam enormium Christo illatorum malorum. Maria rursus e contra. *Sol iustitiæ*, aiebat ad Filium Dei, *non commouearis* non irascaris *contra Gabaonitas* istos pessimos, Dimitte illis; ora ad Patrem tuum, Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, Sustine modicum istorum turbinum, quæ obfuscant lumen tuum, post ista nubila, clarius die resurrectionis & ortus tui de sepulchro exeres illud. In faciem tuam vix amplius Petrus poterit intueri: exterget Deus istas sordes a corpore tuo, maiori splendore te illustrabit, stolam immortalitatis & claritatis te induet 3. Orbis terrarū pugnauit tunc pro Christo contra insensatos. Sol radios suos amouit, indignos illos iudicans suæ lucis communione. Maria ad illum locuta est. *Sol non commouearis*, non indigneris contra Crucifixores Christi; ne auertas lumina tua ab hac gente peruersa. Deus.n. vult vt tu oriaris, & luceas super bonos & malos. Deus vult vt per mortem Filij eius pacificentur, ea quæ in terris, cum ijs quæ in Cœlestibus sunt. Deus vult vt Filius in aere patiatur, vt aereas potestates alliget & comprimat, qui ta ita hominibus attollebant, vt in iniuriam Creatoris tui, te pro Deo colerent. *Non fuit antea & postea tam longa dies* bonitatis Diuinæ, patientis vesanum furorem hominum; vt dies illa mæstissima, qua Beata Virgo *Nebula hac potentis-*

rentissima obumbrauit iram eius, qua præcata est. *Sol non moueris contra Gabon. Stetit enim ira Dei, donec Christus vlcisceretur se de inimico generis humani*; donec morte moriendo deuicit vectes inferni confregit, Sathanam de suis sedibus, de mentibus hominum, de vniuerso terrarum Orbe pepulit; potentiam eius compressit, debellauit, *Medicina omnium* cum Deo pugnantium *est in festinatione nebulæ.*

Veniamus ad Heliam qui famelico Iudæorum populo panem subministrauit. Si vera, vt vera est hystoria monasterij illius toto Orbe terrarum celebratissimi Claræuallensis, a Vincentio Beluacensi repetita, Monachi illius Conuentus fame pereuntes, a B. Virgine annonæ abundantia prouisi sunt. Idem Helias mortuum ad vitam præcibus reuocauit. Maria quæ vitam hominibus attulit, idem quoque miraculum sæpe sæpius patrauit. Prætereo mulierem quandam in territorio Lingoniensi, apud eundem Beluacen. orationibus Deiparæ suscitatam. Habemus Andronicum Iuniorem Imperatorem, apud Gregoram, qui totum biduum mortuus iacebat, ac tertio die velut è profundo somno, Mariæ præcibus non nihil experrectus, Diuinum laticem castissimæ Dei Genitricis Pegæ postulauit, Quo statim allato, & capiti affuso, non modo recreatus est, sed & pristinam vitam & valetudinem recepit. *Medicina est omnium mortuorum in festinatione huius nebulæ.* Non contemnenda est illa actio Helisei, quæ securim submersam restituit. Maius operata est Deipara potentissima, Dum peregrinantes ex voto Hierosolymorum vrbem, in mari submersos atque iam emortuos è profunda abysso vasti maris extraxit, atque vitæ pristinæ reddidit. Est & aliud peractum ab Heliseo miraculum, Lauacrum scilicet Naaman leprosi in Iordanis flumine. Maius operata est Virgo, Maria, Fonti illi Constantinopolitano assidens, de quo Nicephorus: Leo inquit, Imperator Virgini matri, in loco qui Fontis nomen habet Templum erexit: vbi fons pelluvida & potabili aqua tacite femens. Diuina vero gratia aquæ ipsi indita est, ad miraculorum edendorum prouentum, efficacem eam præstitit: Angelus in fornace Babylonica, tres infantes liberauit ab incendio. Quid vero huic nostræ nebulæ? an non ignes etiam cesserunt? Audiamus quid Gregorius Turonensis

Margin notes: Helias. — Maria mortuos suscitauit. — In specul. hystoriali 7. c. 108. — c. 117. — In annalibus. — Helisęus. — Beluacen. vbi sup. c. 88. — Fons Cōstantinopolis in tēplo Mariæ, cuius virtutis. — lib. 15. Eccl. hyst. c. 25. — Angelus. Iudæi filius p Mariam a flāmis ereptus.

de Iudæi cuius vitriarij filio referat. Hic puerulus cum apud Christianos pueros, ad studia literarum exerceretur; quadam die dum missarum solemnia in Basilica Beatæ Mariæ celebrarentur, ad participationem gloriosi corporis & sanguinis Domini, cum alijs infantibus, accessit, Quo Sacramento assumpto, gaudens ad domum Patris reuertitur; illoque imperante inter amplexus & oscula, quæ acceperat cum gaudio refert. At ille Christo Domino, ac eius legibus inimicus ait. Si cum ijs infantibus communicasti, oblitus paternæ pietatis, ad vlciscendam Mosaicæ legis iniuriam, parricida durus in te existam. Et appræhensum puerum, in os fornacis ardentis proiecit; multaque ligna quo vehementius exureretur iniecit. Hoc cum audisset mater, quod scilicet filium communem Pater deliberasset exurere, cucurrit ad liberandum eum. Sed cum vidisset incendia ab ore fornacis patulo, huc atque illuc flamma dominante respergi, ornatum capitis ad terram proiecit; diffusaque cæsarie se miseram clamitans, ciuitatem vocibus implet. Ad quod iniquum spectaculum, quum Christiani accurrissent, retractisque ignibus ab ore fornacis, inueniunt puerum quasi sit per plumas mollissimas decumbentem. Quo extracto, admirantur omnes illæsum; interrogantes infantulum, Quale ei inter ignes fuisset vmbraculum? Qui ait. Mulier illa quæ in Basilica vbi panem accepi de mensa, in cathedra residens, paruum gestans in sinu infantem, me pallio suo, ne ignis voraret operuit. ¶ Saluatoris vero nostri filij sui, Maria imitata fuerit nec ne miracula? operæ pretium est inquirere. Hoc enim demonstrato, omnis iniquitas oppilabit os suum. Christus Dominus peccatorum vinculis irretitos, ad veram iustitiam, qualis fuit inter eos Magdalena, reduxit. Ecce Maria, Mariam Aegyptiacam quæ suo tempore, vt altera Magdalena vixit, orationum suarum efficacia ad Mariæ Magdalenæ vitam, & pœnitentiam adduxit, vt ipsa Aegyptiaca Sozimo referens, Mariæ confitetur. Tu mihi Domina miserta es, me absque præces non repulisti; per te merui gloriam Dei, quam peccatores percipere non possunt. Per te glorificabo Deum, peccatorum recipientem pænitentiam. Christus obsessos a Dæmone liberauit: Liberauit & Maria; siue illos in quorum corporibus insidebant Dæmones, siue illos qui extrinsecus infestati

In lib. de gloria mart. c. 8

Saluator noster Christus.

Maria peccatores conuertit.

Paulus Diaconus in vita eius in Cōcil. 2. Nicena repetita.

infestati sūr ab illusionib. ei⁹. Ipsi .n. cōcessa ē ptas calcādi spūs malignos. Maria (aiebat De⁹,) calcaneo suo cōteret caput tuū. Insi dieris tu licēt pedib. illius; obserues tu licet oēs illos q se pedib. ei⁹ aduoluūt, inanes sūt tui conatus; vanæ cōtētiones tuæ; ipsa cōteret, & cōcalcabit caput tuū. Testimoniū eius ptatis ē puella quędam Anglica duodennis, Rogeri Ventuuorti Equitis filia; cum a Dæmone miris modis discruciaretur, & horrendum de se spectaculum cunctis exhiberet, Diuinitus admonita ad B. Mariæ Ippisuuithij templum se contulit, & coram eiusdem Virginis imaginē, in conspectu totius populi prostrata, & demum perfectè & subito restituta est. Testis & Monachus quidam, in Prato Spirituali à Sophronio Hierosolymitano, vel iuxta alios a Moscho Euirato conscripto, (quod quidē opus Photius, Damascenus, & Nicæni Cōcilij Patres in prætio habuere) qui a spiritu fornicationis in monte Oliuarū vehementer infæstatus, intercessione Virginis liber extitit. Testis, & Theophilus apud Methaphrastem, Eutichianum Patriarcham Constantinopolitanum [a] Honorium, [b] Antoninum; [c] & Damianū: qui Christum & Mariam coram Dæmone abnegans, in Dæmonum socium primo ascitus, postmodum a Virgine ereptus est. Testis est & Cyprianus Martyr, qui secundum Nazianzenum cum primo a fide Christi alienus; ac rebus magicis omnino deditus esset, atque amore Christianæ virginis exarsisset; & in illius expugnanda pudicitia, laborans, plurimum (vt cæcus & insanus est amor) etiam Dæmonem, sibi adiutorem asciuisset. Virgo, ait Nazianzenus, etsi turpem eiusmodi amorem omnem detestaretur, (Christo enim se totam consecrauerat) tamen præsentes Sathanæ technas & ardētes libidinis faces, nō potuit nō persentiscere; multum hic ac grauiter exagitata. Proinde vt par erat ad pudicitiæ suæ custodem, & turorem Deum sese conuertit; simulque Mariam castissimum & clarissimum Virginum exemplum, & decus, supplex obsecrauit, vt sibi periclitanti opem ferret; corpus interim ieiunio atque humi cubitatione, quę sunt continentiæ arma castigans, vt in hoc certamine hostem impurum vinceret, potius quam vinceretur. Quid multis? Non irrita fuit Mariæ inuocatio, per quam propitius afflictæ virgini adfuit Deus, vt & hostis deuictus abscederet, & Cyprianus

Z 3 è stulto

Marginal notes (left): Thomas martyr Morus dictus, lib. 1. Dialog. c. 16. quos Anglice scripsit. — c. 45. — a ser. 1. de assumpt. b 4. part. f. 15. c ser. 1 de nat. Mar. — orat. in S. Cypria num.

Marginal notes (right): Maria Dæmonijs impe rat. — Cyprianus per Virginē liberatus.

Paulus. miraculorum opifices, Paulus febribus detentum Publij patrem liberauit. Liberauit & Maria Andream Chium inclitum martyrem, vt prodidit Georgius Trapezuntius, & Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus.

Petrus. Petri vmbra diuersis malis opitulabatur, *Nebulæ huius obumbratio* non minoris est virtutis. Peste enim infectos sanat, vt temporibus Gregorij magni Pontificis contigit; Qui dum Romę grauissima pestis sæuiret, ac multę simul calamitates accederent; religiosam in die resurrectionis supplicationem instituit; & imaginem virginis a Luca Medico & Euangelista delineatam, in publicum efferri curauit. Quæ imago quacunque ferretur, pestilentis Cœli grauitas, recessit & optata salubritas in vrbe cõsecuta est. Angelus.n. visus est sanguineũ gladium extergere, & in vaginam conuertere: cuius vestigia pedum relicta in marmore apud Aram Cœli Romanam, manibus attrectauimus; idemque Angelus sanctam virginem in Cœlis alloquí auditus est. Regina Cœli lætare, Alleluia. Quia quẽ meruisti portare Alleluia. Resurrexit, sicut dixit Alleluia. Quam orationem simul vt Gregorius coram audiuit, Diuino Spiritu statim excitatus; eam in hunc modum compleuit. Ora pro nobis Deum Alleluia. Maria abscisa membra restaurat. Expertus est hoc Guilelmus, a Dęmonibus vulneratus, & a Maria comitata duabus puellis sanatus. Expertus est & Damascenus, cuius hystoriam in hunc modum scripsit Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, ab Oecolampadio translatus, Leo inquit, Isaurius Iconomachorum Patronus imperabat, & ad tuendam sectam Pseudosynodum celebrari iusserat; ingentes motus excitans, vt sacras imagines ferro & igne deleret, prorsusque aboleret in Ecclesia. His rugientis Leonis furoribus, si quis alius, certe Damascenus sese fortiter opposuit; & in patria degens, tres libros pro sacrarum imaginum defensione conscriptos edidit; eoque opere animos Iconomachorum vehementer offendit. Qui cum dolerent suas artes, & fraudes tanti viri industria detegi atq; labefactari; falso illum apud Saracenum in Arabia principem, proditionis accusarunt. quod ad rumpenda Principum fœdera literas manu sua consignatas, subdolè misisset, ac pacem publicam perturbare aggrederetur. Hinc Princeps barbarus, accusatorum querelis nimium credens, Damascenum, quamlibet

Sigonius li. 1. hyst. de regno Italię.

Maria pestilentiã Romanã fugat.

Canticũ Regina Cœli ab Angelis primo inuentum.

Theobaldus Episc. in vita tius. c. 20

Damascenus per Mariam sanatus.

innocentem de proditione suspectum habet, eumque in iudicio damnat, pœna illi in amputatione manus dexteræ constituta. Quæ res a Saraceno principe perpetrata, sed absentium Iconomachorũ dolo procurata, feliciorem quam illi sperabãt exitum habuit. Et Maria quidẽ Catholicis lætam victoriã Damasceno aũt sanctitatẽ impetrauit. Damascenus n. post vulnus acceptũ, (manum enim dexteram illi amputarant,) suum lararium ingreditur; ante virginis Deiparæ imaginem se prosternit; lachrimas fundit; suam calamitatem deplorat; multisque præcibus virgini sese commendat, ac supplex his verbis clementissimam implorat. Domina & SS. Mater, quæ Deum meum peperisti; amputata est dextera mea, ob Sanctas & Diuinas imagines. Tu de qua causa Leo sæuiat non ignoras; Proinde quanrocius succurre. *Dextera enim Altissimi, quæ de te incarnata est, per tuas intercessiones, multas fecit virtutes*. Sanet oro & hanc meam dexteram tuis præcibus, vt tuas & eius qui ex te incarnatus est laudes sicut dederis, numeris rythimicis, & melodijs perscribat, & Orthodoxo Cultui sit cooperatrix ô Deipara. Hęc orans Ioannes, & lachrymans, in somnum vertitur; videtque sanctam Dei Genitricis imaginem misericordibus ac lætis oculis ad se respicientem, & ita dicentem audiuit. Ecce sana facta est manus tua, caue post hac ne segnis fueris, sed calamum fac eam scribæ velociter scribentis; quemadmodum pollicitus es. Vt autem restitutus uigilauit, & manum curiosè contemplans curatam vidit; tum exultare cæpit spiritu, in Deo salutari suo & matre eius: quia fecum fecit misericordiam qui potens est. ¶ De alijs miraculis si ipsi homines silerẽt, ego referrẽ; nisi orphani Mariã esse suã matrem faterentur, pupilli Protectricẽ, rei Patronã, captiui liberatricem errantes Ducẽ, lumen & sustentaculũ senes, afflicti Consolatricẽ, infirmi medicinam, destituti Pręsidium, nauigantes portum, parturientes Lucinam, milites suum honorem, miseri naufragãtes dũ maris mugitu, & tempestatũ vndis ad sydera exaltati, & post ad inferos demersi, stellam maris; Omnes deniq; matrẽ misericordię, spẽ & vitã suam esse Mariã Deiparam agnoscerẽt ego dixissem. Nisi augustissima tẽpla, Lauretanũ in Italia, Cõpostellanũ in Hispanijs, Argyræ & Catanæ in Sicilia, Czenstochouiæ in Polonia; nisi symbola diuersa, tabellæ, munera & o-

blatio-

blationes vltro clamarent, quibus a suis periculis & calamitatibus, a Deo per preces virginis liberati, aut peculiaribus etiã beneficijs affecti, posteritati testatum facere voluerunt, beneficium receptum; ego recẽserem. Res adeo clara est, Mariam in omnibus succurrere posse. Mariam esse adiutricem omnium. esse *nebulam illam* ab Ecclesiastico prævisam *in cuius festinatione, medicina est omnium: in cuius festinatione* festinat.n. ex charitate: festinat oratione, festinat potentia ad medicandum, vt ille solus misericordiam eius taceat, qui eam in necessitatibus sibi sensit defuisse. Festinat non moratur; libẽter enim omnibus quicquid potest impertitur. Omnib., ait Bernardus, oĩa facta est. Sapientib. & insipientibus debitricẽ se fecit copiosissima charitate, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiã, Angelus lætitiam, vt *non sit qui se abscondat a calore huius nebulæ*. Quare, vela meæ sermocinationis colligẽs, vos ô pfidi, habẽtes tantã multitudine testiũ, miraculis virgineis desistite obstrepere; Vera.n. esse non conficta, non a Dæmone, non ad confirmationem superstitionis, non a Deo huius sæculi, non vt a Deo ad Diabolum, imo vt a Diabolo ad Deũ abducant facta, Mariã nõ ẽe crumenã vacuã sed plenã gratia. *Medicinã esse omniũ, in festinatione huius nebulę* vidistis. Vos aũt ô fideles, quisqs vestrũ, (cum Bernardo loquor,) se intelligit in huius sæculi profluuio, magis inter procellas fluctuare, quam per terrã ambulare: ne auertas oculos a nebula ista quę est Maria, Si insurgant venti tentationum, Si incurras scopulos tribulationum, respice nebulã, voca Mariam, In periculis, in rebus dubijs, in angustijs, in infirmitatibus, in morte ipsa denique, respice nebulam, voca Mariam, Crede mihi, medebitur tuis omnibus defectibus; te frigescentem calefaciet, te ignibus Babylonis adustum refrigerabit; te cæcum illuminabit; moriturum a Sathanæ dolis & fraudibus proteget. Tandem *te vsq; in Patriam illam Cęlestem præcedet*, vbi non mellis & lactis & frumenti, sed Beatæ visionis non ænigmaticæ sed lucidæ, copia affluẽs, glorificans Deum qui tantam virtutem suæ matri gloriosę contulit, in Saculorum Saecula Amen.

Maria omnibus omnia facta est.

Allusio ad columnã nubis.

EXVLES

Eijce ancillam hanc& filium eius. Non enim erit hæres filius ancillę cum filio meo Isaac. Genes. 21.cap.

CONCIO VIGESIMA PRIMA

In qua de exilio humani generis a Paradisi sedibus; quam iustum & grana sit. agitur.

INSOLENS ille Agaris Ismael, amore & beneuolentia Patris sui Abraam elatus; in quantam arrogantiam,& qualem animi effrenem licentiam,extra cancellos sui status processerit: qui Sacram hystoriam Genesis, cum suis Sanctis expositoribus legit,facile intelligere potest. Vidit inquit scriptura, Sara filium Agar Aegyptiæ, ludentem cum Isaac filio suo. Sed quo lusu? Lusu illo,iuxta quorundā sententiam,quo insanæ mentis pueri, superbiæ vento afflati, inuidiæ morbo tabescentes, iracundiæ facibus succensi, cum modestis, verecundis, & ad virtutis ideam efformatis filijs, iocari solent. Dederat Abraam, vt refert Genesis, cuncta quæ possederat Isaac filio suo: Ismaeli autem, vt & cęteris filijs concubinarum separatis ab Isaac, largitus est munera: Isaac filium suum constituit, & reliquit hæredem vniuersorum quæ possederat, Ismaeli vero dedit munera. At quia Ismael fuit mente vagus, instabilis cogitatione, temporalium venator, in terrenis sapiens,cæcutiens in spiritualibus, odibilis Deo,hominibus crudelis, contrarius bonis, & iuxta Angeli pręsagium, erat ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum;

Quomodo Ismael ludebat cum Isaac.

eum; non contentus sorte sibi ab Abraamo collata, vltra septa transilire cupiens, manus (vt Hebreorum nonnullæ habent trāslationes) conserebat sæpe sæpius cum Isaac, atque in duellum crudele & infaustum illum euocabat. Et quia ætate præcesserat Isaacum, vim illi sæpe sæpius faciebat, Hinc aliquando colaphis eum in faciem percutiebat innocentem; aliquando cæsariem euellebat; quandoq; ad terram allidebat; calcibus impie contundebat; latera fuste verberabat; & more latronum, misere insultabat; diuexabat, cruciabat; timidum & imbellem illum pusionem hęreditate primogenito debita, spoliare, & depilare adnitens. Tantum aberat, ne aliquando cum eo digladians, vltimum spiritum è gutture ipsius strangulo, vel ferro eriperet. Aduersus Isaac (dicebat Hieronymus,) Ismael consurgebat, & quasi maior natu ioco sibi, & ludo primogenita vendicabat. Paulus autem inquit, quod Ismael qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui erat secundum spiritum. qui fuit Isaac. Mouit hæc res matrem Isaaci Saram, adeo vehementer, vt iustitiæ zelo & amoris ardore adstricta, vociferata sit ad maritum. *Eijce ancillam banc & filium eius.* Non vides quanta indigna, filius meus patitur, ab isto discolo? Non audis quos eiulatus quotidie faciat? Quas lachrimas fundat? Quot voces flebiles insonet auribus tuis & meis, meus & tuus primogenitus Isaac? Non conspicis quot vicibus sanguine madidus, & conspurcatus ad me confugiat, vt cruorem ex vulneribus illatis ab isto nequam, defluentem extergam, & vulnera vnguentis curem, oleo perungā & fascijs obligem? Aequis oculis intueberis liuidas ipsius genas? latera contusa? interiora concussa? Euulsos capillos? excussos dentes? totum corpus allisum? Sustinebis animi angorem quem patitur, ob verba iniuriosa, & comminatoria, toties iniuriose in eum prolata ab Ismaele? Patieris spurium fieri hæredem bonorum tuorum? Filium autem quem in senio, Diuino munere legitimo Thoro procreasti; in quo multiplicandum est semen tuum, ad instar stellarū Cœli, & arenæ quæ est in littore maris; in quo benedicendæ sunt omnes gentes; a bonis tuis proscribi, & exhereditari? domo paterna eijci? *Eijce potius ancillam banc & filium. Non erit bæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Coactus iustitia, & præcibus vxoris suæ Saræ Abraam, admonitus Diuino ora

In quæst. Hebraic. Galat. 4.

Saræ lamētatio.

culo

culo, surrexit mane & tollens panem, & vtrem aquæ, imposuit scapulę Agaris, tradiditque puerum & dimisit eam. Quæ cum abijsset, errabat in solitudine Bersabeæ. Cumq; consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem quæ ibi erat. ¶ Ad quid hæc adduxerim scire vultis? quum de exilio generis humani a Paradisi sedibus, quam graue & quam iustum sit, sermonem instituerim? Vt intelligere facilius possitis, simile quid Deo & Abraamo, Isaaco & Dei filio, Adamo & Ismaeli accidisse. Genuerat summus ille atque fæcundissimus progenitor duos filios. Alterum quidem è legitimo thoro substantiæ suæ; Deum de Deo, lumen de lumine, sapientem de sapiente, increatum de increato, incircumscriptum de interminato, omnipotentem de omnipotente, immensum de immenso, immortalem de immortali, Qui secundum Paulum est splendor gloriæ; & figura substantiæ Paternæ, portans omnia verbo virtutis suæ: secundum sapientem vero est vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera, candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Procreauerat alterum sed ex ancilla; dum accepit limum terræ, & ad instar figuli, formauit hominem de limo terrę, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; & creauit Deus hominem non imaginem, sed ad imaginem & similitudinem suam. Non coæqualem vel consubstantialem vel coęternum sibi, sed disparem in essentia, difformem in bonitate & perfectione, diuersum in potentia, atque virtute, Qui & substantię, & potentiæ, & durationis, & perfectionis certis limitib. contineatur. Genuerat ille qui alios generare facit duos filios, quorum alter gaudium & lętitiam patri suo coęterno afferebat. Cum eo, inquit, eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, & ludens in orbe terrarum. Alter autem non nisi dolorem & angorem animi; ita vt Deus quandoque in illas voces proruperit. pęnitet me genuisse hominem: Ertactus cordis dolore intrinsecus, pęnitet me, inquit, fecisse hominem. Alteri dederat omnia sua bona: constituit enim eum hęredem vniuersorum, & vt ipse fassus est. Omnia quęcunque habet Pater, dędit Filio. Alteri autem largitus est munera, dona gratiæ, iustitię, & scientię. Cor dedit eis excogitandi, & discipli-

Deus genuit duos filios.

Heb. 1.

Sap. 7.

Filius Dei ex ancilla Adā

Allusio ad nomē Isaac.

Antithesis filii Dei naturalis & adoptiui.

Prou. 8.

Genes. 6.

Eccl. 17.

sciplina intellectus repleuit illos, Creauit illis scientiam spiritus; sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit illis, ostendit illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius. Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos, Testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis. Collocauerat alterum filium Deus, in illo Throno admirabili Cœlorum, ad dexteram suam. sedet enim, vt Paulus ait, ad dexteram maiestatis in excelsis. Daniel vero aspiciebat in visione noctis, & ecce cum nubibus Cęli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum; & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, & linguæ ipsi seruient. Alterum autem ei, colonum fecit vniuersæ domus inferioris. Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Quid tum actum est? Quomodo iter hos duos filios Dei, Verbum Diuinum, & Adamum conuenit? Ferus Adam stimulis vxoris suæ constrictus, persuasione Sathanæ illectus; *ludebat cum filio* Dei naturali; in sequebatur Verbum Diuinum Sapientiam patris Aeterni: de Hereditate contendebat cum illo, illum hæreditate expoliare, & Paternis sedibus exturbare, conatus est. Hæreditario iure obtigerat filio Dei connaturali; Scientia beata boni & mali; ipse enim cum sit sapientia Paterna, in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Ipse cum sit consubstantialis Patri, eadem beatitudine quæ est in contemplatione Essentiæ suæ Diuinæ, & omnium quæ in ea splendidissimè elucent fruebatur. Homini vero præcepit dicens. De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: infra terminos tuos te contineas; sapientia quam tibi infundi contentus sis; abyssum profundam scientiæ filij mei ne intuearis, neque desideres; At ille. Tullit de fructu illius & comedit, appetijt hęreditatē verbi. Quò factum est, vt iniuria lacessitus Deus ad Deum, iustitia ad iustum clamaret, *Eyce ancillam hanc, & filium eius*, Maledic terræ, quæ tantum, & tale germen protulit atque subministrauit; maledic filio effrenis & efferis moribus, eijce, & expelle, è paradiso voluptatis; exilio sempiterno mulctetur.

Daniel. 7.

Adā ludebat cū Christo.

Adā noluit uerbū Dei ex hæreditate paterna expellere.

Non

Exilium Adami. *Non erit hæres filius ancillæ* cum filio meo & Emisit eum Dominus Deus, de Paradiso voluptatis vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitq. Adã, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atq. versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Liceat mihi oro tecum ò Deus meus aliquantulum contendere. Quid est hoc? Quæ ratio æquitatis & iustitiæ? Eiecisti nos a facie tua de Paradiso voluptatis; vagos & profugos exules fecisti nos in terra solitudinis, in terra deserta & inaquosa; Quam ob causam? Quid commeruimus? Inquis, quod scientiam beatam appetijmus. quod ante tempus immaturos nobis. & præcoces fructus ligni vitalis beatitudinis decerpere cupiuimus? Ast. Nonne genuisti nos ad te, vt homo te summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret possidendo frueretur, Inquietum erat cor nostrum, donec reuerteretur ad te. Famelicus erat appetitus noster, donec te cognosceret, tuoque fructu satiaretur. Intellectus noster occupari poterat cęteris, explcri autem nequaquam. Vitam æternam quæ consistit in cognitione omnis boni appetijmus. cur nos hac & illa naturali priuas? Cur nos eiecisti a fruitione beata beatitudinis? Cœlorum sedes propter homines mirando artificio extruxisti. Hominem enim, ait Augustinus, condidit Deus, medium inter Angelos & bestias; vt si Creatori suo tanquam vero Domino subditus, præceptum eius pia obedientia custodiret, in consortium transiret Angelorum; sine morte media, Beatam immortalitatem sine termino consecutus. Ecce Adam ad illam fœlicissimam domum, se attollere voluit; Domesticus & Ciuis Cœli esse concupiuit: cur ergo illum eijcis a Paradiso voluptatis? Quamobrem in exilium, quo nihil grauius, deterius nihil; illum abire iussisti? Cur in eã sententiam prosilijsti. *Eijce ancillam hanc & filium eius.* Respondet Deus. Iustissima de causa illum filium inobedientem, & ambitiosum, & superbũ exilio ablegaui: Eo quia filio meo bellum intulit nefandum; eo quia filium meum naturalem primogenitum, bonis proprijs hæreditarijs spoliare contendit. Non autẽ potest esse filius ancillæ, hæres cum filio meo. Iustitia iubet vt ille qui perturbator est Ordinis Reipublicę alicuius; q. furẽti audacia, scel.^s & pestẽ nefarie cõtra vniuersitatẽ

lib. 11 de Ciuit. ca. 21.

molitur

moliturí tanquam putridum & infaustum membrum, vindice pœna e medio sustollatur, & eliminetur: Qui autem bellum indicit, Principi illius Reipublicæ, perturbator est Reipublicæ: Primus homo bellum funestum intulerat, Illi Principi vniuersorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, Illi in quo condita sunt vniuersa in Cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Troni, siue Dominationes, siue Principatus siue Potestates: Illi per quem & in quo omnia creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, vt sit ipse in omnibus primatum tenens. Primus homo manus conseruerat cum illo Rege, cui Pater dederat gentes in hæreditatem, & terminos terræ in possessionem, vt regat omnes creaturas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringat eas: cum illo Primo monarcha, qui in femore suo scriptum habebat, Rex Regum & Dominus Dominantium, ambitione & superbia inductus contendebat; Instabat Senatus Cœlorum; mundi machina vociferata est; leges iubebant; clamabat Paradisus; eijce perniciosum, nec non seditiosum Paradisi incolam: expelle de loco deliciarum; interdicito aura vineæ istius electæ; in extremas terras proscribe, Eijce ancillam hanc, & filium eius. Iste & enim quantum est in eo, vniuerso orbi molitur exitium, in Orbem & Orbis Principem pestem nefariã machinatur: parentem quem omni pietate complecti debebat, expugnandum atque iugulandum suscipit: Illum cui nullus est qui resistere queat, qui verbo suo omnia efficit, & instaurat, qui iussu suo cũcta prosternit & euertit, homuncio teterrimus proterere atque conculcare festinat: contra illum cuius bonitate in lucem editus & productus est, per quem non solum a feris sed a feritate reuocatus atque secretus, & omni humanitatis decore cultus extitit, cuius præsidio vitam non solum clementer atque benigne, verum etiam securè traduxit. cuius liberalitate in amœno Paradisi solo constitutus, alter quasi Rex & Dominus vniuersorum, quæ maris & terræ ambitu continentur effectus est. Huic prælium meditatur, a quo quod lucis iucunditate fruatur: quod bonis cunctis animæ & corporis abundet, quod ab Angelis paulominus minoratus est; Huic necem afferre vult, ad huius leges non solum negligendas, sed & euertendas

Colos. 1.

Adã exilio iuste mulctatus est.

Adam bellũ conflauit Deo.

das

das & perstringendas præcessit: ut ille esse & haberi, scelere obfirmatum animum habens voluit; Eijce ancillam hanc & filium eius. Et eiecit Deus Adam de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est.

Sed dicitis. Quod nam est adeo acre, crudele, nefarium & impium bellũ, quod Adam concitauit aduersus Dei filium? Plusquam notum est, fuisse vna ex parte perfidum pestiferum; altera autem calamitosum exitiabile, miserabile, & lugubre. Pestiferum & perfidum; eo quia vt docet Chrysostomus omnis homo malus, quantum est ad voluntatem suam, manus mittit in Deum & occidit eum. Qui Deum excitare ad iracundiam non dubitat, qui præcepta eius conculcat, qui nomen eius contemnit, qui murmurat contra Deum, qui turbato vultu aspicit contra Cęlũ, qui in ira sua manus audactor subleuat contra eum, nõne si potuisset fieri, manus mitteret in Deum & occideret eum? Perfidum & pestiferum; eo quia erystas erigens contra Altissimum, Altissimi filium spoliare voluit hæreditate propria, Sapientias. & Beatitudine. Proprium est Deo, vt ille omnium siue bonorum siue malorum, siue illorum quæ fuerunt, vel sunt aut erunt, siue visibilium siue inuisibilium notitiam perfectam habeat. Solius enim Dei [a] oculi contemplantur vniuersam terram. [b] Ipse solus fines mundi intuetur, & omnia quæ sub Cęlo sunt respicit [c]. Ipsius oculi multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, & post perfectum respicit omnia [d] Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius [e] Ipse nouit natiuitatem omnium, & videns iniquitatem eorum considerat. Solius Dei essentia, pręsentat conspectui eius omnia creata, & omnes eorũ perfectiones & bonitates, atque contingentes defectus. Solius enim Dei esentia est creatrix & productrix omnium. Altissimi filius naturali iure fuit Deus, eiusdem naturæ cum Patre: Altissimi filius fuit & est sapientia Paterna, per quam condidit vniuersa: Filius Dei est verbum illud, & imago expræssa substantiæ Patris, & bonitatis siue sit illa increata, siue Creatis cõmunicata: Filius Dei est illa idea, & forma, con-

Adam. Propria Dei uoluit accipere.

hom. 40. in Math.

a 2. Para. 16.
b Iob. 28.
c Eccl. 23
d Hebr. 4.
e Iob. 11.

per quam facta sunt omnia, omnia enim per ipsum & in ipso constant. Proprium quoq; illi fuit, nosse omnia bona et mala, quęcunque nouit Pater. Non.n. aliquam rem ignorare potest ipsa sapientia, ait Nazian. ille sæculorum factor, ille consummator atque immutator, ille rerum quæ geruntur finis; ille ea quæ Dei sunt non minus cognoscens, quam spiritus hominis ea quæ in ipso sunt. Adam vero neutiquam essentiæ Diuinæ consubstantialis fuit: de limo.n. terræ formatus est. Frustra appetijt hæreditatem Diuini filij: pestiferum egit prælium, dum manus extendit in lignum vitæ, vt coæquaretur Deo: vt sciret bonum & malum; vt esset alter Deus. vt filio Dei naturali ex iustitia debitam scientiam omnium, eriperet & sibi vsurparet atque arrogaret. Idcirco quia, non poterat esse hæres essentiæ, & sapientiæ cum filio Diuino naturali, iustitia Diuina sententiam decreuit *Eijce filium et ancillam. non poterit esse hęres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Perfidum quoq; conflauit bellum. quia superbe & prępostere ambiuit beatitudinem Cęlestem, filio cum Patre & Sancto Spiritu communem. Extra controuersiam est, Deum seipso Beatum existere. Deus.n. est infinitum, summum, & plenissimum bonum. In Deo omnes perfectiones omnium, omnis dignitas, omnis honestas, omnis iucunditas & decor, omnis pulchritudo ac denique bonorum omnium summa continetur. Cum.n. ipse sit, qui rebus omnibus suas perfectiones & bonitates dederit, expers illorum, quæ alijs liberaliter elargitus est, nullo modo esse potest. Hinc D. Bernardus aiebat. Miraris in Sole splendoré, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fæcunditatem; à Deo hęc vniuersa donata sunt. Nec dubium quin multo amplius reseruauerit sibi, quam dederit creaturis. Vt enim stellarum omnium lumen, a solari lumine deriuatur; quarum tamen omnium splendorem, vnus sol multo ampliorem & auctiorem continet; ita creaturarum omnium siue Cœlestium siue terrestrium, corporearum & incorporearum decor & pulchritudo, a Deo summo bono profecta est: quarum tamen omnium pulchritudinem & perfectionem, infinitis partibus ampliorem sibi reseruauit. Nec tantum sui ipsius Beatitudo est Deus, sed & aliorum a se conditorum. Ad imaginem quippe Dei factus animus rationalis, cęteris omnibus occupari

Orat. 4. de theol.

Gen.

Adam perfidum & pestiferũ bellũ mouit contra Deũ.

Omniũ rerũ perfectiones sunt in Deo.

ficacia ad Cœlorum thronos aſcendere nequiuiſti, manu Diuina porrecta erigi, & collocari. Satius tibi erat audire vocem Dei præcipientis. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit; quam vocem Sathanę ſuadentis. Nequaquam morte moriemini Scit.n. Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. Si enim Creatori ſuo tanquam Deo vero ſubditus, pręceptum eius pia obediētia cuſtodires, in conſortium tranſires Angelorum; ſinę morte media,

Aug. 12. de Ciuit. D. ca. 21. Beatam immortalitatem ſine termino conſecutus. Sed quia Dominum Deum ſuum libera voluntate, ſuperbè atque inobedienter vſus offendiſti; ecce morti addictus, beſtialiter viuēs libidinis ſeruus, ęternoq; poſt morte ſupplicio deſtinatus es. Quia nefarie atq; impie verbo Beato, bellū concitaſti; ecce ex Paradiſi delicijs eiectus, cumulo miſeriarum ſubiectus viuis. Eiecit igitur Deus Adam de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terrā, de qua ſumptus erat; iuſtitia Diuina inſtigante, Eijce ancillam hanc & filium eius. Non.n. erit hęres; *filius ancillę, cum filio meo.* Deus eiecit & in exiliū egit Adamū: & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeū gladium atq; verſatilem, ad cuſtodiendā viā ligni vitæ. O bellum calamitoſum. ò prælium exitiale & miſerum: ò bellum infauſtū, lugubre & ſanguineis lachrymis deplorandum, *Calamitoſum.* An non maxima calamitas eſt, ex fęlice fieri miſerum? ex Rege effici ſeruum? ex delicijs, eijci ad ſummam miſeriam? ex Ciue

Exilium noſtrum calamitoſum & turpe.

Exul. qd. fieri exulem? Eloquentiæ Parens Cicero, dum inquirebat quam ſignificationem haberet nomen exulis. Quid eſt exul? reſpondit. Ipſum per ſe nomen eſt calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur eſt turpè? Dixit. Quando re vera eſt pena peccati. Adam primus infœlix exilium patitur, propter bellum Deo indictum, exilium illi calamitoſum; & quia pęnam pendit exilio, exilium turpe eſt. Ponamus hic aliquem adoleſcentem eſſe mirabilem, in quo noua inſit formæ venuſtas; quæ ſic humanam naturam tranſcendat, vt per eam humanum genus vniuerſum magno diſcrimine ſuperet; prætерea Regem eſſe, & eum quidem cui terra ea vniuerſa, quæ ſub Sole eſt pareat: deinde tantam illi ineſſe animi virtutem, vt cunctorum hominum genus, eorum inquam qui vel an-

rea fuere, vel futuri olim sunt, longo post se interuallo relinquat: tum autem delicijs omnibus quæ vel animo excogitari, vel opere experiri affluentem: ita vt sit velut alter Salomon, qui nihil denegarit animæ concupiscenti; sed magnificet opera sua, ædificet domos superbas, plantet vineas fœcundas, faciat & hortos atque pomeria amœnissima, habeat turbam seruorum & ancillarum, qui ad nutum obtemperent. & ea omnia quæ libuerit exequantur; Coaceruet argentum & aurum, & substantias Regum & Prouinciarum, ita vt Cresum vel Midam opibus superet. Musicorum sonis & concentibus oblectetur, habeatque oẽs delicias hominum vt omnia quæ desiderarent oculi sui, eis non denegaret, neq; prohiberet cor suum quin omni voluptate frueretur. Ponamus autem casum, vt iste adolescens fato siue fortuna, decore illo per turpitudinem vel infirmitatem amisso, è Regali solio vi deturbetur: & non solum in ciuium aut seruorum sortem cõmutetur, sed e Regno summa cũ ignominia pellatur; delicijs omnibus priuatus, iumentorum more viuat, siue vt quondam adolescens ille prædiuitis Patris, substãtia consumpta, siliquis porcorum vescatur: siue vt Nabuchodonosor ille ab hominibus eijciatur, & cum bestijs, & feris sit habitatio eius, atque fœnum vt bos comedat, Qualem censeris calamitatem illam? Quam acerbam? Quàm lugubrem? Talis fuit primus homo. Quod ad decorem attinet, Manibus Diuinis ad similitudinẽ & imaginem speciosissimi Dei, speciosior cæteris animantibus effectus est. Quo ad gradũ: Princeps & Dominus, & Rex omnium constitutus erat. Minuisti eum, (psallebat Dauid,) paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, quo ad venustatem. Quoad statum seu gradum. Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, siue quæ terræ, siue quæ maris, siue quæ aeris vastis limitibus circumcluduntur. Oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres Cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Homo ante peccatũ qualis erat.

Quoad statum fœlicitatis: erat collocatus in loco deliciarum. Tulit. n. Deus hominem, & collocauit eum in Paradiso voluptatis. Qui locus vt Basilius reliquit excellentior fuit omni creatura. Quemadmodum. n. (ita describit Basilius) homi- *Homil. de Paradiso. Gen.*

Paradisi descriptio.

nem se-

nem selecta formatione, præter reliqua animātia dignatus est, sic etiam contubernium hominis, propriæ opus manus suæ fecit, locum excellentem omnem Creaturam, admirandę pulchritudinis, in illustri loco situm, nulla tenebras habentem propter altitudinem, & qui ab omnibus syderum exortibus illustratur illuminatum. Vndequaq. temperiem ex temporib. anni iucundissimam habentem, & qui lucidissimo aere illustratur. Illuc plantauit Deus paradisum, vbi non est ventorum violentia; non temporum immodestia; non grando; non fulmina; non turbines; non ignes Cælestes siue semiignita fulmina; non hyberna congelatio; non veris humiditas; non æstiua caliditas, non autumnalis siccitas; sed temperata ac pacifica concordia temporum inter se; vnoquoque ipsorum propria pulchritudine ornato, & non a vicino insidias admittente: quum neque ęstas vernales pulchritudines deuastet; neque æstiui vel autumnales fructus, præ senecta defluant. Tempora .n. circum illum locum satis tripudiant; imo simul etiam cum præcipuis bonis suis stipatim concurrerunt, aeris iucunditates; æstatis alimenta; autumnalis lætitia; hyberna quies, terra pinguis, mollis, tenuera fluens lacte & melle, ad fertilitatem apta; quam vniuersam, perfluunt fæcundissimæ aquæ, multam in aspectu iucunditatem habentes. Tenues enim & pellucidæ sunt, atque reuera pulchritudinem inenarrabilem exhibentes. Deinde plantauit in eo omnigenas arborum pulchritudines, & gratissimum aspectum, & iucundissimam fruitionem per ipsas largitus est. Et hic quidem breuis est vernorum florum gratia; nō dum enim decerpsimus, & in manibus nostris emarcescunt: illic vero florem non ad breue tempus fulgentem, sed durabilem iucunditatem habentem, indesinentem delectationem præbentem, insatiabilem fragrantiam reddentem, & coloris præstantia insigniter corruscantem, non ventorum violentiæ exoluunt; non nouilunia tabefaciunt: non glacies congelat; non solis ardor comburit; sed flatus moderatus tenuem respirationē faciens, leniter ac blande illas afflans, rosarum & cæterorum florum gratiam a tempore inuictam conseruat. At vero plantarum pulchritudines, dignæ & ipsa sunt opificio Conditoris: quæ sarmentitiæ sunt, & quæ fruticosæ, vnistirpes, multiramę, largicomæ; circumuirides, foli

flux, foliam semper detinentes: quæ nudantur, quæ semper virent, fructuosæ, infructuosæ; partim vtilitatem respicientes, partim ad delectationem conferentes; Omnes magnitudine ac pulchritudine præstantes; vmbrosæ ramis, circumuirides comis; turgentes fructibus, alijs aliam vtilitatem ac voluptatem præbentibus. Illic etiam volucrum omnifaria genera; tum pennarum flore, tum naturali musica admirabilem quandam delectationem per seipsa videntibus exhibent; vt per omnes sensus pascatur homo, dum alia videt alia audit, alia contingit, alia olfacit alia gustat. Illic etiam animantium varia spectacula, omnia enim sunt mansueta, omnia inter se moribus concordia; Non horrendus erat tunc serpens, sed mitis ac mansuetus. Non horribiliter in terra prorepens, ac velut inundans, sed altus super pedes gradiens. In hoc igitur loco deliciarum, & in tantæ voluptatis paradiso, Deus posuerat hominem; his bonis perfrui concesserat, Dominamini piscibus maris (talia verba ad illos loquitur,) & volatilibus Cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui; vt sint vobis in escam. Ex omni ligno paradisi comedetis; de ligno autem scientiæ boni & mali non comedetis. In quacunque enim die comedeatis ex eo, morte moriemini. Ast ò infœlicem casum, ò lachrymabile fatum; tulit homo de fructu arboris vetitæ, & præuaricatus est mandatum Diuinum, mutata est facies rerum; in exilium miseriarum ex delicijs actus est. Eijce inquit *ancillam hanc cum filio eius: & eiecit Dominus Deus hominem* de loco voluptatis, de Regali throno exturbauit, de admirando palacio pepulit; gaudium hominis in luctum, delicias in miseriam; in hanc vallem lachrimarum & miserię, iucundissimum Paradisi habitaculum commutauit. Eiecit Dominus Deus hominem de Paradiso voluptatis.

Antithesis exilij Adami & Ciceronis.

Memini quendam dum a Tribunitio furore in exilium damnaretur, dolorem quem ex calamitate illata conceperat, his verbis testasse. Proijcitur Tullius in exilium? a liberis abstrahitur? a coniunge abripitur? ab aris focisque innocens ducitur,

Cicero in orat. ante quã iret in exiliũ;

citur, vitam degere in exilio? miserimi mortalis casum subire? Itaque nimirum innocens ab inimico? religiosus a scelerato, beneuolus huic Ciuitati ab hoste? O misera vitæ ratio. Consularis homo, non minimis facultatibus vsus; quondam amicorum multorum præsidio munitus; nunc partim ab inuidis, partim ab inimicis circumuentus eget indigne, nunc vel solus delectus ad calamitatem; vel primus vocatus ad tale periculum; omnium animos iure debeo commouere. Omnia sunt immutata; manus ad demonstrandam religantur iniuriam; lingua inciditur ad deplorandam calamitatem; animus præcluditur, ad exponendam rei indignitatem. Cedo inuitus de Repub. cedo oppressus de fortuna: de dignitate, discedo a Repub. victus audacia malorum. Quod si agnouisset Cicero exilium, quod pertulit Adam à Paradisi delicijs, quonam verborum lugubri apparatu, vsus fuisset ad deplorandam hanc miseram calamitatem? cum exilium Adami exilio Ciceronis mille partibus longe acerbius & grauius sit? Exilium Ciceronis habuit nomen calamitatis tantum, non autem turpitudinis. Testor, inquit, Deos Deasque omnes immortales, vestrasque maxime mentes, me non vitæ turpitudine; non pro magnitudine scelerum, non propter reliquæ ętatis infamiam, pœnas iure & lege persoluere; sed propter virtutis inuidiam, propter iucundissimam ingenij laudem, propter magnitudinem rerum gestarum, crudelissime ciuitate priuari, Non vocatur Tullius in capitis periculum, quod deliquerit aliquid; quod patriam læserit; quod improbè vixerit; non citatur reus audaciæ; virtutis reus citatur, Non accusatur quod Rempub. vi oppugnarit: sed quod homo Nouus, perniciosum nobilium restrinxerit furorem. Non obest mihi turpis & nocens, sed honestissime laudatissimeque acta vita, Consensum extinxi coniurationis, arcemque vrbis ab incendio ac flamma liberaui, liberosque vestros egremio & complexu matrum, ad cædem & cruorem non sum passus abstrahi. Numini Deorum consecratum Sartum tectum, ab omni periculo conseruaui; & vos vt tutam tranquillamque fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia. Quare mihi neque mors miseranda est, quæ ob

Cicero quō tulit exilium.

puriori aere ex pratis & floribus odore integerrimo atque gratissimo frui. neque enim nitēti aere puriora sunt marmora; nec vmbra tecti, frondium vmbris est gratior; nec lapilli vlli vel lateres pauimentorum varijs vestiti floribus amæniores. Vos omnium istorum testes estis ò diuites, qui si fieri possit in ipsis tectis arbores habere cupitis, & prata, & pensiles hortos, horumque solatia profecto maletis, quam aurea tecta parietesque mirabiles. Quid existimatis quales delicias habebat homo, in illo amęnissimo paradiso? Quam vero graue & acerbum est exilium, ab hoc iucundissimo pomerio subire?

Accedit quod exilium Adami est ab Angelis, ab ipso Dei cōspectu, ab habitaculo Diuino, ab opibus & fortunis, nulla fortunæ iniquitate corrumpendis. Priuari igitur consortio Angelorum? Amoueri a fruitione Dei, non est miserabile? non est lugubre? Si mille, dicebat Chrysostomus, aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est quale est a Beatæ illius gloriæ honore propelli, exosumq; esse Christo. Est. n. satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis pietatisq; plenum, nos tamen aduersantem videre, & illos totius tranquillitatis oculos, nequaquam nos aspicere sustinentes. Actus est Cicero in exilium sed inter homines: Homo autem primus, in solitudinem inter bestias crudeles, & inter dæmones immanes, quorum plenus est iste caliginosus aer. Ecce elongaui fugiens, agnouit hoc Propheta, & mansi in solitudine. Alter vero lamentabatur, se socium fuisse draconum & struthionum. Alteri autem prædicit Deus. Terra in qua expellam eum, erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, Onocentaurus & pilosus clamabit alter ad alterum; ibi cubauit lamia & inuenit sibi requiem: illic bestiarum vt recenset alia genera. Homo actus est in solitudinem, vbi non nisi spinę & vrticę, & paliurus oriūtur. Maledicta. n. terra in opere tuo (ita Deus execratus terram) in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes hęrbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Deus dum hominem in exilium mandauit, sicut & Abraam Agari atq; Ismaeli, vtrem aquæ, & parum panis imposuit scapulis nostris; *vtrem aquæ* quam profundimus ex frontibus nostris. In sudore vultus tui, ait, vesceris pane tuo. Quę mutatio? Quam grauis calamitas? Quanta turpitudo no-

Marginal notes: hom. 24. in Matheum. — Exilium hominis inter bestias. — Isai. 34. — Gen. 3.

do nobis est miseris? Qui labores quos subimus? Quæ miseriæ quas sustinemus in hoc infausto exilio? recensere superuacaneum existimo, Oculis.n.& tactu vos; vosipsi melius percipitis sustinentes. Horum nobis causa est peccatum, hic est exitus pręlij cum Deo: Exilium a Paradiso; expulsio ab hæreditate Cęlesti; separatio a consortio Diuino; exclusio a conuictu ciuium supernæ illius Ciuitatis; spoliatio a Regni statu atq; delicijs. Eijce ancillam hanc & filium eius. Non.n.erit hæres filius ancillæ cũ filio meo. Quid agendum in hoc infælici rerum statu, edoceri vultis? Quo nam hæc malorum congeries releuanda? Existimarim primo, ut illud cogitatione assidua voluatis, quod Cicero in exilium reiectus. Vbicunq; ero, hoc cogitabo, hæc semper mea cura erit, nempe virtutis & amoris in Rempub. studium, meq; vobis ereptum, non a vobis repudiatum existimabo. virtute excolam animum, virtutib. adornabo memetipsum, Ad imaginem Ciuium illorum fęlicissimorũ me efformabo; seruiles & feros mores, ne in animalium naturam & consuetudinem transire videar, a me reijciam; vt tandem Princeps Regum terræ, me non exulum, non ferarum more viuentem, sed ad imitandos Ciues Cęli anhelantem cõspiciens, mercenarium saltem in domo sua; si non Regem & filium, & hæredem, saltem famulum & adoptiuum coheredem efficiat. Demum secundo cum vobis defecerit vter aquæ, & ille panis quem imposuit scapulę nostrę Deus, confidentia.s. in meritis proprijs; proijcite animam vestram subter arborem Crucis, & subter arborem illam protectionis Beatæ virginis; veniet tandem Angelus magni consilij, ille qui clauem vitæ gestat in humeris suis ille qui exiuit ad mõtem baiulans sibi crucem; aperiet & nobis; & nullus erit qui iam amplius claudere valeat. Nõ est voluntatis eius, vt in exilio consenescamus, *Et nunc quid mihi est hic* Dicit dominus, *quoniam ablatus est populus meus gratis?* Gaudete & laudate simul, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, Non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis, præcedet.n.vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum tantum nolite tangere*, pollutum, & maculatum vitio, nolite exportare. Ecce intelliget seruus meus, & eleuabitur & sublimis erit valde. Non diffidite, portæ Ciuitatis illius non claudentur per diem, nox. n. non erit illic.

Quid agendum nobis in hoc mundi exilio.

Allegoria Agaru.

Isai. 52.

Apoc. 21.

lic. Et afferent gloriam & honorem gentium:sed non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut exul abominationem faciens, & mendacium. Exire ergo nolite pollutum tangere. *Proijcite etiam animam vestram sub protectionem Beatæ Virginis*, implorate Mariam misericordiorem quam Sara:humiliamini ad pedes eius. supplicabit & illa Patri nostro; reducet, & illa nos suis præcib. Eua generis nostri pęnam intulit,(vt Agar Ismaeli,)mundo. Genitrix salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, hęc sanauit. illa ex pulit, hęc reduxit ad illum Beatum immortalitatis & deliciarum locum, ad quem nos exules Christe Iesu reducere digneris per Sanctam matrem tuam. Amen.

(*)

Aug. ser. 2. de annúcione Domini nostri.

Antithesis Mariæ & Euæ.

FILII EVAE.

Visitans speciem tuam non peccabis Iob. 5.

CONCIO VIGESIMASECVNDA

In qua cognitio Hominis quid sit secundum naturam, tractatur.

INTER alia vasa Sanctuarij præclaro artificio, ex præcepto Diuino elaborata, iusserat Deus Moysi, vt faceret quoddam labium æneum, ex speculis mulierum, in quo lauarentur atque mundarentur Sacerdotes, ingredientes tabernaculum Testimonij. Facies inquit & labium æneum, cum basi sua ad lauandum; ponesque illud intra tabernaculum testimonij, & altare. Et missa aqua lauabunt in eo Aaron, & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij; & quaudo accessuri sunt ad Altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur, Et fecit Moyses labium æneum, cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Dum attentius meditabar, tacitusque perquirebam rationem, Cur Deus labium hoc æneum, ex speculis mulierum, non autem ex aliquo alio ære, ante ostium tabernaculi, seu intra tebernaculum testimonij, construi præceperit; Forsitan quia ministros Sanctuarij effeminatos habere voluit? vt. s. nihil intenderent, in nullo alio eorum curæ versarentur, non aliud sedulo agerent, nisi vt vestimentis illis mirabilibus, mulierum instar se ornarent, & in speculo sæpe sæpius viderent? si baltheum rationali bene cohæret; si rationale superhumerali apte iungitur, si superhumerale a thiara non diuulsum pendet: si thiara neque in leuam neque in dexteram reclinat, Sed stulta & insipida est, ista de

Exod. 30 & 38.

Labium speculare quid.

Deo cogitatio. Deus.n.ficut illo ornatu pontificio, in quo artificium cum pulchritudine,& pulchritudo cum pretio concertabat,non corporis sed mentis ornatum & nitorem Sacerdotum suorum quærebat; vt scilicet virtutibus animi,non vultu corporeo fulgidi & formosi apparerent, & alios virtutis ornatu ad sui amorem & admirationem pellicerent. Mollia siquidem indumenta vt Bernardus aiebat,animi mollitiem indicant.Non tantum curaretur corporis cultus,nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.Ita quoque & lauachro illo speculari: nō fulgorem & nitorem corporis sæpius intuendum & curandum,sed fulgorem & nitorem animæ,in illo speculo Diuinæ bonitatis,anima,corpore, & toto integro homine inspiciendum docere voluit. Nō cognitionem corporis,sed cognitionem sui,animę scilicet,& corporis & totius hominis; si non aliquid distortum, difforme,& indecorum in anima & homine,ad similitudinem & imaginem perfectionis Diuinæ facto reperitur;admonere,hoc labio æneo,ex muliebribus speculis effi cto cupiuit. Cognitio. n. sui ipsius, ita est communis apud omnes ratione & intellectu vigentes, vt nullus gradus, nulla in communi viuentium ordinata cōgregatio intellectualium, absque hac aliquando subsistit. Cognitio sui ipsius ita est necessaria et vtilis,vt sine illa,nullus beate viuere queat,sed in naturam iumentorum translatus, more bestiarum consenescat. *Cognitio sui ipsius,creaturæ rationali est communis*.Videamus primo mentes Beatas, illas quę semotæ ab omni miseriarum cumulo,sempiternis bonis fruuntur.Felicitatem suam vnde possident? Ex eo quod Speculum illud sine macula Diuinę bonitatis,siue illud increatum(de quo sapiens ait,quod Sapiētia Dei est candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis.)siue creatum,seipsos in seipsis intuentur. Angelus .n.vt Dionisius reliquit,est speculum purum,clarissimum,suscipiens totam,si fas est dicere, pulchritudinem Dei. Beatitudo Sanctorum Cęli ciuium ex hoc oritur, quod in illo speculo sese intuentes, sese ad imitationem Deiformis pulchritudinis efformare satagunt. Ingredientur & egrediētur,docuit Saluator,*& pascua inuenient*. *Ingredientur* in beatitudinem per intuitum essentiæ Diuinæ; *regredientur* ad beatitudinem, regredientes ad sui ipsius cognitionem, *& pascua* illa vberrima

[Margin notes: Allegoria labii ænei. — cognitio sui communis omnibus gradib. — 4.c.de Diuin. — Verborū Saluat. expositio. — Ioan.10.]

fęlici-

fœlicitatis inueniet. Redeamus ad terras. Plusquam notum est vobis aureum illud oraculum Appollinis Dephici. *Nosce te ipsum*. Pythagoras autem Antiquorum sapientum non contemnendus, vnicuique discipulorum suorum speculum habere, & se in eo conspicere idētidē; mandauerat, vt symbolicè doceret Cognitionem sui, in omnibus præponendā. Cum.n. anima nolior sit quam corpus, & totus homo quam anima, & corpus & quam cæteræ corporales creaturæ; si aliorum cognitionem tanta auiditate quærimus; si vestigamus altitudinem mōtium, & ingentes fluctus maris & altissimos lapsus fluminum & Oceani ambitū, & reuolutiones syderū perquirimus si nosse desideramus, vires herbarū, cōplexiones hominum, naturā animalium fulgorem auri, splendorem gemmarum. Si dum apud tonsorem residentes, diligētius capitis nostri attendimus comā sumpto equidem speculo, multo cum studio summaque cura æqualitatē consideratis nitorem capilli: nec tñ in imagine uestri vosmet inspexisse contenti, vos ipsum artificem, tum alios astantes sollicite ac frequenter, interrogatis, An alicubi incomptius manus properantis operata sit? An satis deceat frontem, leuiter attonsa cæsareis? Si dum in cubili existens accuratius faciei vestræ attenditis decorem: sumpto etenim speculo multa cum diligētia, fulgorē eius cōspicitis, ne s. sit frōs crispāti ruga contracta vel genarum nitor rubeus pallore obductus, vel supercilia in modū arcus distenta; multo plus animam vestrā & vos in speculo vestro inspicere, maioriq. sollicitudine vos cognoscere debetis. Anima.n. speciosior est, quā corpus. Anima est pretiosior quam coma capitis. Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam corporeā naturæ dignitate præcellit. speculum igitur vnusquisque suū inspiciat frequenter. Hinc factū est, ex quo cognitio suiipsius communis est, omnibus gradib. rationalium, vt alij dicerent. [a] Laudabiliorē esse animum, cui nota est infirmitas propria; quam cui ea non perspecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarū, & fastigia Cœlorum scrutatur, [b] Alij, magnam esse vtilitatem seruo Dei, propriā infirmitatem recognoscere, atq. in suis virib. aut meritis nullam fiduciam habere. [c] Alij consumato die (vt faciebat Sextius,) cum se ad nocturnam quietem recepissent, interrogabant animum suum. Quid esset, quod hodie malum tuum sanasti?

Speculū Pythagoricū qd.

Cognitionis sui encomia.

a Aug. li. 9. de Trin.
b. super P. s. Cass.
c Senec. lib. 3. de ira.

a Hugoli. 1. de anima c. 9. b Cassiod. super Ps. c Hugo lib. 3. de anima. c. 6.

sanâsti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? *a* Alij summã Philosophiam in cognitione suiipsius esse censebant. Cognitio inquiebant est porta, schola, introitus & ascensus, per quam intratur ad intima, de alijs spiritib. iudicare: Hac eleuatur anima, ad summa; ex hac proficiscitur ad cognitionem omnium Cœlestium terrestrium, & infernorũ. Cognitio sui est, magnus accessus ad Deum: Tunc enim incipit adesse virtus Diuina, quãdo deficere incipit, per sui cognitionem præsumptio humana. *c* Frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondũ est idoneus ad videndum seipsum. Prius enim est vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus, ad cognoscendum inuisibilia Dei; & si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere, ea quę sunt supra te. Præcipuum enim & principale est speculum, ad videndum Deum, animus rationalis intuens seipsum. Sine cognitione sui, aiebat Bernardus, scio neminem saluari; de qua nimirum mater salutis humilitas oritur & timor Domini; qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita & salutis est. Primum ipsum fontem suum scilicet mentem de qua oritur consideratio purificat; deinde regit affectus; dirigit actus, corrigit excessus; componit mores; vitam honestat, & ordinat, postremo Diuinarum pariter & humanarũ rerũ scientiam confert. Cognitionẽ sui docebat Chrisost., esse primã hominis sapientiã. Est .n. inquit primũ, hominis sapientiam affectantis, contemplari quid ipse sit, quid intra se, quid infra, quid supra; quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum: vtilitatem sui, amorem Dei, charitatem proximi, cõtemptum mundi. Quare & ipse Deus *Labium æneum ex speculis mulierum fieri præcepit, & in tabernaculo secretiori collocari iussit* vt .s. hoc symbolo edocti sacerdotes, animæ nobilitatem & sublimitatem in seipsa viderent, & seipsos cognoscerent. Futurum enim erat vt, *visitantes & intuentes speciem suam*, vnde veniant; quo tendant; quomodo viuant; quid agant: quid amittant, quantum quotidie proficiant, vel quantum deficiant, quibus magis incusentur tentationibus, quibus affectibus frequentius tangantur; vel quibus tentationibus a maligno spiritu acrius impugnẽtur: vt cognoscentes quinã & quales sint nõ peccarẽt. *visitans enim speciem suam*, vt docuit Iob. *non peccabis*. Sed quonam modo cognitio sui

lib. de cõsiderat.

Tract. de symb. lib.

Cognitio sui facit nõ peccare.

tio sui bonorum tantorum est causa? Quonam pacto *visitans speciem meam, non peccabo?* Cognoscens memetipsum ad quē modum saluabor? Cognoscendo.s. sublimitatem & vilitatem, meam. Cognoscendo sublimitatem & nobilitatem meam, non peccabo. Si etenim dum habemus vestem candidam, auro intentem, splendentem gemmis, & corruscantem lapidibus pretiosis, diligenter cauemus ne vel luto & puluere eam inspergamus, vel a vermibus corrodi sinamus: si videremus, quanto infinitis partibus nobilior est anima; quod & sublimior & præstantior & pulchrior est corporeo vestimento: quod est, vt Bernardus docuit, insignita Dei imagine, decorata similitudine Diuina, desponsata Deo in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax Beatitudinis, hęres bonitatis, rationis particeps. Si eam dignitatem animæ noscere-mus, non maiorem solicitudinem adhiberemus, ne cum carne quod vt uile sterquilinium inuenit, haberet aliquid commune? ne spurcitie vitiorum illiniretur, atq; contaminaretur? Visitans speciem tuam non peccabis. Anima nostra est insignita Dei imagine, Ad imaginem quippe & similitudinem Dei factus est homo. non secundum carnem sed secundum animam, vt Ambrosius adnotauit, quæ vt Deus etiam liberè atq; diffuse cogitationibus huc atq; illuc vagatur; quæ considerando spectat omnia; quæ cogitat ea: Quæ in Orientali aut Occidentali plaga occurrunt; quæ versatur cum illis qui sunt in extrema parte Orbis; quæ sequitur si quos nouerat proficiscentes, inhæret peregrinantibus, copulatur absentibus, alloquitur separatos, defunctos quoq; ad colloquia suscitat, eosq; vt viuos cōplectitur & tenet. Ea est ad imaginem Dei, quæ non corporeo æstimatur sed mentis vigore; quæ absentes videt, transmarina visu nouit & percurrit aspectu; scrutatur abdita, huc atq; illuc vno momento sensus suos, per totius Orbis fines, & mundi secreta circumfert. Quæ Deo iungitur, Christo adhæret, descendit ad infernum atq; ascendit; libere versatur in Cœlo. Nostra .n. conuersatio in Cœlis est. Omnium igitur cum habeat perceptionem & mentem; omnia perscrutari, & perquirere cum valeat, ad imaginem Dei effecta est; omnia enim audit, omnia cernit, omnia scrutatur Diuina natura. Hoc si cognosceret homo. Talem si uideret quisque suam animam, quæso an peccaret?

Nobilitas animę.

Homo secundum imaginē Dei.

Gen. 1.

li. 6. examer. c. 8.

peccaret? An delictis obscuraret intellectum suum? An pecca tis subtraheret, seu extingueret, lumen illud naturæ & gratiç, quod signatum est super corda nostra? Quum malitia occæcare soleat animam, sit illud excrementum hyrundinis, quod ex cæcauit Tobiam. sit deinde ille flatus, qui extinguit lumen gratiæ, & lumen naturæ, quibus & naturalia & supernalia cognoscimus, si homo hæc omnia peccati damna perpenderet; num aliquando delinqueret?

Allegoria hirundinis excæcātis.

Anima nostra est insignita Dei imagine. Deus est vnus in essentia; & anima nostra vna est in essentia; habens perfectioné omnis animæ, siue illius quę vim sentiendi, siue illius quæ vim augendi & nutriendi, alijs confert. Deus est vnus in essentia, sed trinus in personis, & anima est trina in potentijs, intellectu agente, voluntate, & intellectu patiente. In hoc tantum difformis est hęc imago; quia Tres personæ Diuinę sunt Deus, sed po tentiæ animæ, nō sunt essentia animæ, sed vires eius ab ea effluētes. Deus est simplex omnibus modis; ita vt omnis concretionis expers sit. spiritus enim carnem & ossa non habet; Deus autem est spiritus. Et anima nostra cum sit spiritualis substantia, inuisibilis quoque & incorporea est. Deus est immortalis; ipse enim sicut nec incepit, ita nec desinet esse; anima quoque nostra, est immortalis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autē sunt in pace. Vidit Ioannes sub altari Dei, animas interfectorū clamantes. Deus inuisibilis est, oculis corporeis; Deū etenim nemo vidit vnquā; & anima nostra inuisibilis est: spiritus.n. cū sit, a sensu corporeo, qui corporalia tantū intuetur, videri nō potest. Deus est vbique præsens, nullis enim limitibus Cœli & terræ contineri, aut circumcludi potest; totus est in toto vniuerso non circumscriptus, & totus in qualibet parte vniuersi, quia indiuisibilis est; & vbique influit, & operatur virtus eius. Cœlum & terram, ait, ego impleo: Et anima nostra est tota in toto corpore, & tota in omni parte eius; tota in capite, tota in manu, tota in pedibus; non enim viuit corpus, dicebat Augustinus, nisi pręsente anima. Deus est primum principium vniuersi, a quo omnia quæcunque sunt processerunt; & anima est primum principium, omnium perfectionum in toto corpore; ab ea enim oculus videt, auris audit sonum, gustus percipit saporem olfactus recipit odores: tactus sentit corporis

Imago Dei in homine quomodo.

ti contracta;ab ea uitam corpus habet, & vitam subsequentes perfectiones;propter eam sanguis calorem,genæ ruborem,pedes agilitatem, & alia membra volubilem motum percipiunt. Deus est liberæ voluntatis:quæcunq; enim voluit fecit; & anima nostra liberi arbitrij est. Est equidem libera à necessitate. Nam virtus, res quędam spontanea est ac libera; quod vero coactionem patitur, virtus non est. Deus sua natura est omne bonum, quod cogitatione quis assequi potest, ipse illud est: atque adeo vltra omne bonum potius, quod intelligi ac mente compræhendi potest. Anima etiam nostra, bonorum omnium particeps est. Dum enim Deus vellet naturam humanam fabricare, non semiplenam vim bonitatis declarauit, vt partem ei bonorum suorum impertiretur, partem inuideret; sed perfectam bonitatis formam dedit, in hoc quod produxit in esse, copiosisque ditauit bonis. Quorum bonorum per singula catalogum recensere, quia non est facile, idcirco vna uoce, (docebat Clarius Fulginensis,) compræhensa sunt omnia cum dictum est; Ad imaginem Dei factum esse hominem:hoc enim est ac si dixisset; omnis boni participem humanam natũram effecit. Si enim bonorum plenitudo Diuina natura est, homo vero illius est imago; sequitur, hanc imaginem habere similitudinem cum exemplari, ex eo quod plena sit omni bono. Orat. 58.

Cognitio imaginis Dei quantũ vtilis.

Talem si videret vnusquisque nostrum animam suam, quia est vna in essentia, quæso diuidere vellet eam diuersis & illis peruersis cogitationibus? *Diuisum est enim cor* peccatorum, dum aliud hoc, aliud illo tempore appetunt, ideo nunc interibunt, vt comminatus est Propheta. Si sciret homo animam suam, esse trinam in potentia, vt trinum Deum in personis intelligeret & amaret; non conuerteret illam ad illa tria infanda; concupiscentiam.scilicet oculorum, concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ. Si homo nosset, animam suam esse simplicem & purissimam: non commisceretur inferioribus se; non peregrinam formam induceret illi: non delictis contaminaret; non *veste ex lana & lino texta*, duplici, scilicet intentione eam superuestiret; sed in omnibus rectam intentionem haberet. Si.n. oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si homo semper retineret, animam suam esse immortalem, & nunquam interituram;nunquam illam *romphea*

bis

hom.16. operis im perfecti. *bis acuta peccatorum* conficeret & occideret: quum anima quæ peccauerit ipsa morietur. Si homo cogitatione semper versaret, animã esse primum principem & Dominum omnium quæ sunt in corpore: nunquam illam seruituti corporis per peccatum subijceret, Anima dicebat Chrysostomus, priusquam peccet, Diuino auxilio confortata, Domina est corporis sui, & quasi libera, & Regina sedet in throno cordis sui, & gubernat corpus suũ, quasi palatiũ suũ, nec potest illã vincere caro: si aũt grauibus se peccatis obligauerit; tunc Diuino auxilio destituta, & in potestaté immundorũ spirituũ redacta, fit debilis & infirma, vt non iam sit Domina corporis sui, sed ancilla magis; iam non caro subiecta animæ est, sed anima carni; nec quod vult anima caro facit, sed quod caro coegerit hoc anima facit. Si homo cognosceret animam suam esse liberam, nunquam illam mancipium Sathanæ, per peccatum efficeret. Qui. n. facit peccatum, seruus est peccati, Qui auté seruus est peccati, est seruus Dæmonis, qui est author & suggestor peccati. *Visitans ergo speciem tuam non peccabis.*

Anima nostra vt aiebat Bernardus est insignita Dei imagine: eo quod sicut Deus natura sua, omnes rerum perfectiones in sua essentia incircumscripta, eminentissime compręhédit; ita & anima nostra, siue inferiora siue superiora amplexa fuerit, omnium eorum perfectionum particeps esse potest. Qui rerum naturas peruistigant Chameleonta reperiri aiunt, eius cõditionis vt pro varietate colorum, quibus se applicuerit, suas permutet figuras; si videlicet atro adhæserit parieti, ater quoque & fuscus ipse euadit; si viridi vel rubicundo, & ille quoque viridi vel rubeo effulget candore; si demum alterius qualitatis permixtæ luci, eadem luce candidus apparebit. Hoc idem ferunt de Polypo inter aquatilia, quod eãdé scilicet cum Chameleonte sortitus sit naturam, in diuersas variabilem formas. Quapropter veteres Aegyptij, cum amorem eiusque vires potentissimas adumbrare volebant, illum Chameleontis vel polypi symbolo effingebant. Videbatur in templo, simulachrum Veneris, pede polypum vel Chameleonta calcantis; vt eam amoris naturam insinuarent, quod pro rerum conditione, quas quisque amore complexus fuerit, earundem imitetur propria; & spirituali quadam Metamorphosi, in illa, quendam ad modum commu-

Anima potest esse omnia

Similia.

Hominis symbola. tetur. Mahumetus frequenter habebat in ore, illud ęnigma: *Qui a Diuina lege recesserit, in brutum euadit*. Empedocles Pythagorę secutus dogmata, humi serpentes hoīes in diuersa iumenta allegorice commutari docebat. Asclepius Atheniensis, versipelles quosdam esse Protheos, vniuersos homines arbitrabatur, quod seipsos in multiformes mores efformare possunt. Euantes Persa, vbi Chaldaicam Theologiam narrat, non esse homini suam vllam, & natiuam speciem seu imaginem, extraneas multas & aduentitias. Chaldæorum doctissimi, hominem fore variæ ac multiformis, ac desultoriæ naturæ animal asserunt. Phythagorici, scelestos homines in bruta, imo & in plantas deformant. Apud Poetas antiquos, illæ confictæ metamorphoses, non inuenta fabulosa, sed hominum mores velamine inuolutos esse, plurimi censuerunt. Neque enim adeo stupidi fuerunt veteres, vt hominem (quem magnum mundi miraculum, creaturarum internuntium, superis familiarem, stabilis æui & fluxi temporis interstitium, perfectam mundi copulam imo hymeneum quendam, & orizontem spiritualium & corporalium) in plantarum transire naturam, vel ad iumentorum deijci consuetudinem assererent: dum transmutationes varias, alios quidem in myrtum, alios in illicē, quosdā in lupos, & his similia monstra conuersos homines fingebant; morū varias affectiones exprimebant, pro quorum qualitate, quisque illas quibus sunt proprię atque natiuæ æmulabatur. Si quem videbant, deditum ventri, humi serpentem hominem, fruticem non hominem appellabant; neque enim plantam cortex, sed stupida & nihil sentiens natura efficit: neque hominis est terræ imergi, cui Deus os sublime dedit, mentemque vigentem, vt cœlestia contueretur, & ad illa sempiterna sese attoleret. Si quem deinde conspiciebant in phantasia, quasi calypsus, vanis præstigijs exacutientem, & subscalpenti delinitum illecebra, sensibus mancipatum; brutum non hominem vocabant. neque enim iumenta corium, sed bruta & sensualis anima efficit: neq. hominis est passiones appetitus effrenatas subsequi, sed illarum motus efferos comprimere & concalcare. Si quem postmodū, recta ratione omnia discernentem, ad suprema illa præcelsa cœlestia bona, sese eleuantem demirabantur; hunc non terrenum sed Cœleste animal nuncupantes, inter cœlestes altissimos axes, &

inter

inter fulgentissimorum sydcrum locum reponebant. Si demũ purum contemplatorem,corporis nescium,in penetralia mentis relegatum,humana omnia fluxa despicientem,imò & cælorum volubiles globos transcendentem videbant; statim Dei cuiusdam titulos illi affingentes, in numerum immortalium mentium referebãt. Nec id quidem temere. Cum.n. homo ex duabus coalitus sit partibus, altera quidem spirituali, altera corporea; illa cum supremis. Spiritibus, hæc vero cum brutis atque cæteris terrenis communicante; vtriusque rei quasi quædam semina in se complectitur; & semina virtutis ac perinde supernarum mentium ex animi vigore, & semina seu potius fomenta peccati, ex corporis passione. Quæ igitur excoluerit, illa suam germinabunt segetem. Si corporis quidem vegetabiles motus; in plantam degenerabit. Si sensuales, in brutum desciscet. Si rationis igniculos, cęleste vocabitur animal. Si intellectus purissimam contemplationem, Angelus erit & Dei filius. Si nulla creaturarum sorte contentus, in Dei amore exarserit, illius imitationem ęmulatus fuerit, vnus cum Deo Spiritus effectus, DEITATIS participio Deus quoque & ille erit. Qui.n. adhæret Deo, efficit vnus Spiritus cũ eo. Pulcherrime, hunc variabilẽ hoĩs statum descripsit, doctissimus ille Mirandulanus, dum naturam animæ hunc in modum rimatus est. Postquam, aiebat; Deus mundanam domum Diuinitatis augustissimum templum, archanæ sapientiæ legibus fecerat; supercælestem Regionem mentibus decorarat; æthereos globos æternis animis vegetarat; excrementarias atque fæculentas inferiores mundi partes, omnigena animalium turba compleuerat, Opere consummato desiderabat artifex, qui hãc operis rationem perpenderet, pulchritudinẽ amaret, magnitudinem admiraretur; idcirco rebus omnibus iam absolutis, de producẽdo homine cogitauit. Verũ nec erat in archetypis vnde nouam sobolẽ effingeret: nec in thesauris quid nouo filio hæreditariũ largiretur, nec in subsellijs totius Orbis, vbi vniuersi cõtẽplator ipse sederet. Iã oĩa summis, medijs, infimisq; ordinibus fuerunt distributa. Sed non erat Paternæ potestatis, in extremo fętu quasi effætam defecisse. Non erat sapientiæ, consilij inopia, in re necessaria fluctuasse. Non erat beneficij amoris, vt qui in alijs esset Diuinam liberalitatem laudaturus, in se illam damnare cogeretur. Statuit tandem optimus

Opifex, vt cui nihil proprium dari poterat, cõmune esset quic quid singulis priuatum fuerat: Igitur hominem accepit indiscretæ opus imaginis, atque in mundi positum meditullio; sic est alloquutus. Nec certam sedem, nec propriam faciem, nec munus peculiare tibi dedimus Adame, vt quam sedem, quam faciem, quod munus vitæ optaueris, ea pro votis & tua sententia habeas & possideas. Deffinitæ cæteris naturæ, intra præscriptas a nobis leges coercentur; tu nullis angustijs coercitus, per tuũ arbitrium, in cuius manus te posui, te perficias; medium te mundi posui, vt circumspiceres inde commodius quicquid est in mundo. Nec te cœlestem, neque terrestrem, neque mortalem, neque immortalem fecimus, vt tui ipsius quasi arbitrarius honorariusq. plastes & fictor, in quã malueris formã, tu te effingeres. Poteris in inferiora quæ sunt bruta degenerare; poteris in superiora quæ sũt Diuina, ex tui animi sñia regenerari. O summã Dei liberalitatẽ, summã & admirãdã hoĩs fælicitatem; cui datũ est habere id quod speret; id esse qđ velit. Bruta simul atq. nascuntur, id secum afferunt è vulua matris, quod possessuræ sunt. Supremi Spiritus, aut ab initio, aut paulo mox, id fuerunt quod sunt futuri in perpetuas æternitates; Solus homo cura & studio vigilãtissimo id assequi potest, vt & in Angelum & in Deum ipsum, si velit, euadere possit. Talem igitur animæ suæ naturam, si agnosceret homo, ꝙ in omnia transformari potest per imitationem: Potest ad Angelorum perfectiones ascendere, vt sicut Cherubini fulgent intelligentiæ splendore, Seraphini ardent charitatis flamma. Throni persistunt iudicij fortitudine, Dominationes imperij sublimitate, Principatus summa dignitate, virtutes efficacia inuicta, Potestates compressione Dæmonum, Angeli & Archangeli summa puritate; ita & aĩa si immaculatam se custodiret a vitijs, esset Angelorum & Archangelorum status; si Dæmonibus præciperet, in potestatum; si miranda operaretur, in virtutum; si sibi & suis passionibus imperaret, & se & suas affectiones comprimeret, in Principatuum, & Dominationum gradum transiret. Si actiuæ vitæ addicta, inferiorum curam recto examine susciperet, Thronorum soliditate firmaretur. Si ab actionibus feriata, in opificio opificem in opificio opificium contemplaretur, luce Cherubica vndique corruscaret. Si charita te in conditorem suum arderet, il-

Homo in discretæ: indifferẽtis opus imaginis

Homo se ipsum perficit.

Homo potest esse Angelicarũ particeps ꝑfectionũ.

ſius igne qui edax eſt, in Seraphica effigie repente flammaret. Si vero omnibus his ſupergreſſis, vni Deo coniungeretur, Deus etiam efficeretur. *Qui n. adhæret Deo eſt vnus ſpiritus cum eo*. Si igitur homo talẽ, ac tantam ſublimitatem animę ſuę cognoſceret, vt in ſuperiorum gradum tranſire; vt Angelus, Archangelus Cherubin, & Seraphin eſſe poſſit; & nõ tantum, ſed & Diuinæ conſors fieri naturæ, qua nihil melius, nihil pulchrius, nihil celſius excogitari valet. Quæſo an in naturam plantarum, & animalium brutorum tranſire, & transformari cuperet? Quęſo an illorum, quæ omnes nos deteſtamur & abhorremus, ſtatum, & formam induere vellet? Ferunt leonem artificio cicurem, manſuetum fieri ad eum modum, vt collo ſuo catenas aureas, & capiti ſerta vernantia imponi permittat. Si tamẽ in ſpeculo ſuam adeo generoſam non mollem aſpexerit ſpeciem; mox in furorẽ verſus, omnia illa ac ſe indigna ornamenta, diſrumpere, & deijcere, ſuumq; natiuum terrorem excitare. Si homines fucata ſpecie a Dæmone dementati, in hoc æneum ſpeculum ſæpius inſpicerent, ſuamq; ex peccato orientẽ turpitudinem agnoſcerent, quod per peccatum, Homo cum in honore eſſet, *Non intellexit & ideo quia non intellexit*; quia deliquit; comparatus eſt iumẽtis inſipientib. & ſimilis *Similis factus eſt illis*; dum vt illa affectib. & cupiditatibus diuerſis diſtractus viuit: dum oculos ſuos vt animalia, declinauit ſtatuere in terra, terrena cogitando & terrenis inhiando, de Cęleſtib. autem nec in ſomnis meditando. Si inquam cognoſceret, quod per ſcelus abominandum ſortitus eſt iumentorum ſtatũ, an non indignatione in ſeipſum cõcitaretur? non laruas Dęmonis, non iumentorum ideam a ſuo detraheret animo? Chryſoſtomus magnus ille eloquentię Chriſtianæ parens, dum vellet cognoſcere hominem Chriſtianum; & multa recenſuiſſet, quæ illos ſui temporis homines, Paganos potius quam fideles demonſtraſſent: intulit ſe non poſſe euidẽtem habere notitiam, de peccatore. An homo ſit. Quando. n. inquit, vt aſinus calcitras, vt taurus ſuperbis; quando in epulis vrſorum imitaris voratum, & pinguedine corpus Burdonum more diſtendis; cum malitia camelum, lupum imiteris rapina; cũ iraſcaris vt ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias; cum ſubdole inſidieris vt coluber; cumq; veneno malignitatis armeris vt vipera; cum quaſi Diabolus ipſe aduerſus fratres, crudelia bella ſuſcipias, Quonam vnquam modo, qua ratione in ho-

[Margin notes: Simile. — Homo in iumenta degenerare poteſt. — Pſal. — hom. 4. in Math.]

Homo pessimus, peior Dæmone, minum te possum numero collocare, nulla in te cernens humanæ signa naturæ? Inter homines & feras quod sit discrimen non inuenio. Quid.n. hominem malignum appellare debeo? Feram? sed illæ vno aliquo horum vitio tenentur; iste autem simul omnia in se colligendo, longe ferarum irrationabile stultumq; trãsgreditur. Illæ quanquam naturaliter sæuiant, si humana tamen arte palpẽtur, plerumq; mansuescunt; homo autem qui illarũ profecto naturalem feritatem, in eam quæ contra naturam est mansuetudinem sæpe commutat, suam mansuetudinem naturalem, in feritatem, quæ suæ naturę inimica est conuertit; cũq; naturaliter ferã ad mãsuetudinẽ trahit, se naturaliter mãsuetũ in ferarũ rabiẽ natura repugnãte pducit. Et Leonẽ qdẽ homo mitigat, redditq; tractabilem; furorẽ vero animi sui omni protsus efficit leone sæuiorem. Et certe cum ibi sint duo impedimenta vel maxima, quod fera ipsa, & ratione priuatur, & longe omnium alterius generis animalium excedit furorem; homo tamẽ de copia donatę sibi a Deo sapientię, ipsam superat arte naturã. Cum igitur homo possit trasformari in Angelum; si hãc cognosceret dignitatem, quomodo volet in naturam transformari Dęmonum? cũ Dęmonum nomen, vel ex ipso auditu horrendum sit? Quod in Cęlestium ciuium cõsortium trãsire potest; si hãc sublimitatẽ agnosceret quisq;, quomodo cupiet in commertiũ & naturam transire Brutorũ? Quomodo non detestabitur Regẽ Homo potest esse Deus. illum superbũ, qui deiectus superbię vento, a solio regali, in cõtubernium & mores transijt Bestiarum? Si diuinę naturę consors & particeps potest esse homo, per virtutes & gratiam Deificantem: si hanc nobilitatem, atq; celsitudinem quisq; ob oculos versaret, Quomodo a tãta eminẽtia, & tam sublimi gradu se deijci patietur? Quomodo vitiorum oneri succumbet? peccatorum fæda spurcitie, inquinari se pmittet? Curare hoc potissimũ deberemus, vt illud in nos non dicatur. Homo cũ in honore esset non intellexit, comparatus est iumẽtis insipientibus & similis factus est illis, sed illud potius; *Dij estis, & filij excelsi omnes.* ne abutentes indulgentissima Patris liberalitate, quam dedit ille, liberam optionem è salutari noxiam faciamus nobis. Nemo Homo princeps creatus super quę nostrum diutius, in ferarũ effigie perseueret. Si.n. seruus nequaquam Patris domum ingreditur, cũ bestia etiam fueris effectus, quando poteris ipsum saltem vestibulũ introire? Principes creati sumus, principes bestiarũ, principes reptiliũ, principes volatilium

liū,nō tantum eorū quę terra,sed quæ animus sustinet;facti sumus Imperatores & principes affectuū.neq; igitur cogitationes habeamus sublimes,neq;leues & inconstantes simus mēte(monebat Basilius,)ad volatilium.n.imperium destinati sumus. Absurdum fuerit,si externa quidem volatilia depopulemus,ipsi autem vere sublimes ac leues simus.Ne superbiamus; ne nos efferamus,ne maiora meditemur quā nobis conuenit; nō inflemur dū laudamur;ne glorificemus nosipsos, sic.n.essemus volatile, instabile, incōstāti natura huc atq; illuc circūlatū; sed inuadat animū nostrum,sacra quædam ambitio,vt mediocrib.vanis nō contenti,anhelemus ad summā Diuina,adq; illa,quando possumus si volumus consequenda,totis virib. enitamur. Dedignemur terrestria,& quicquid mundi est posthabētes, vltramundanam auream eminētissime Diuinitati proximam euolemus. In angelorum naturam commutemur; Dei similitudinem fulgentem habeamus. Natura,dicebat Seneca,dedit tibi illa quæ si non deserueris, par Deō consurges.Parem Deo te pecunia non facit: Deus non indiget pecunia . Prætexta non faciet; Deus nudus est. Fama nō faciet nec ostentatio tui;nemo.n.perfecte nouit Deū. Nō turba seruorum lecticā tuam portantiū; Deus ille maximus potētissimusq. ipse vehit omnia.Nec forma quidē,& vires, Beatū te facere possunt; nihil horum nō patitur vetustatē.Quid ergo?*Animus,sed hic rectus bonus,magnus.*Quid aliud voces hunc, quam Deum in humano corpore hospitantē? Hic animus tam in equitem Romanū,quam Libertinum, quam in seruum potest cadere.Gratia quoq; nō deest,vt Dij euadamus. Quotquot.n.receperūt eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri: siue serui sint,siue liberi(adnotauit Chrisostomus,)siue Græci, siue Barbari,siue sapientes,siue insipientes,siue viri,siue mulieres,siue pueri,siue senes,siue nobiles,siue ignobiles,siue diuites, siue pauperes,siue Principes,siue priuati,omnes,inquit,eodem dignati sunt honore. Fides.n.& Spiritus sancti gratia,mortaliū omnium diuersitatem comprehendens,in vnā redigit formam, & vno Regio charactere imprimit.Rex eodē quo nos luto formatus est; serui eandem cum Rege naturam communicant,& nonnunquam meliorib. morib. prediti sunt;tamen non dignatur Rex in exercitum suum ascribere, qui seruili sunt conditione. Vnigenitus autē Dei filius neq; publicanos, neq; magos neque seruos, & his etiam despicatiores,& pauperiores homines

Hominē Deū quid facit.

3.epist.

Ioan.1. hom. 10. fuder lo.

nonnullos etiam manco, distorto, & sordido corpore in filios accipere non dedignatur. Tanta fidei vis, tanta gratiæ exuberantia. Et quemadmodum ignis, si metallorum terram attigerit eam quamprimum aurum reddit; sic & longe magis, pro luteis aureos gratia facit quos perfecerit, Cũ spiritus sanctus tanquã ignis animos nostros ingrediatur, & terrena absumpta similitudine, cęlestem illam nouam & claram, tanquam ex fornace fulgentem referat. Non fecit nos filios Dei, sed fecit nos *filios Dei fieri*, vt ostenderet multa nobis opus esse diligentia, vt imaginẽ Dei impræssam, puram seruemus & intactam, & sic Diuinæ simus cõsortes naturæ: Maximam igitur curam adhibeamus, vt animam virtutibus excolamus, *Anima mea* discat vnusquisq; ex Psalte, *in manibus meis semper*. Animam meam cogitatione vigili semper intuebor; in manibus meis illam portabo: manibus meis illam adornabo; virtutum gẽmis, gratiarum corruscãtibus lapillis fulgidam illam efficiam. Induam illam vestitu dę aurato charitatis, clamide diuersorum colorum s. iustitia quæ dicitur omnis virtus & varia; cingam illam cingulo byssino, castitatis & abstinentiæ; calceabo eam Hyacintho spei æternorum, & desiderij Cęlestium: ornabo eã armilla fortitudinis, & exercitij bonorum operum: ponam ad collum eius, torquem auream prudentię; appẽdam in auribus eius, inaures humilitatis & obedientiæ; coronabo illam corona decoris gratiæ & perseuerantiæ. sola. n. perseuerantia coronatur, *Sic glorificabo, & portabo, Deum* quendam terrenum *in corpore meo*: sic portabo imaginem Cęlestis. vt ante portaueram imaginem terrestris; sic Diuinæ consors euadã naturæ; sic conformis ero imagini filij Dei. Anima mea in manibus meis semper. *Visitans speciem tuam non peccabis.*

Simile. | Psal. 118. | Animam in manibus gestare quid.

Quod si deinde aduerteremus. Quod anima est desponsata Deo in fide; illa sancta indignatio nobis sæpe veniret. *Tollens membrum Dei, efficiam membrum meretricis?* Quod anima est dotata in spiritu: talis commotio contra peccatum occurreret; Egone spoliabo, eam quam Deus ornauit & excoluit? Quod anima est redempta sanguine, sic diceremus, Egone pretium innocentissimi, & pretiosissimi sanguinis contemnam, & contaminabo? Quod anima est deputata cum Angelis; ad hunc modum loqueremur; Egone socium Dæmoniorum me exhibebo? Quod anima est capax Beatitudinis; sic

confabularemur; Egóne per peccatum hæreditare debeo vermes & serpentes, furiarum infernalium, quæ nunquam labore vincuntur; qui nullo tempore consumuntur, sed æterno cruciatu viscera mea consumunt? Non, non. Sicut portaui imaginem terrestris, sic portare volo imaginem Cœlestem, *anima mea* non sub pedibus, *sed in manibus meis erit semper*. Hanc Deam efficere volo; portabo Deum in corpore meo, non Dæmonem, non brutum animal, sed Deum, Diuinæ participem naturæ. Visitans speciem tuam non peccabis.

Quod si deinde cognitionem nostram, reflectere velimus, ad alteram partem nostram, Corpus videlicet: maxima quoque vtilitas, ex cognitione ipsius oritur. Cum audis limum, ait Basilius, eo quod accepit Deus limum de terra, & formauit hominem: disce quid ob teipsum magnifice glorieris. Quum inciderint tibi cogitationes, tumorem, & inflammationem cordis inducentes; incidat tibi recordatio creationis, quomodo creatus es. *Accepit Deus limum de terra, & formauit hominem*, Quomodo poteris obliuisci tuiipsius? Tunc obliuiscere tuiipsius, cum de terra secesseris. Si vero nunquam secedas de terra, sed concretus terræ, vadis super terram, requiescis super terram, litigas super terram, quodcunque tandem facis, siue magnum siue paruum super terram, prope habes commonefactioné tuæ humilitatis. Conuiciator es, & iracundus? Vnde est tibi ira? Ex ignominia? Nō sustines audire? Ignobilis. Statim efferbuit tibi ira? Contendis dicere peiora; quam quæ audiuisti? Demitte oculos, & quiescet tibi ira. Respice terrā & cogita. Ignobilem me dixit eum, qui de terra factus sum; minus dixit quam ego sum; nō .n. dixit ex terra, sed ex homine: Quāto aūt præstātior est animatus homo, terra quæ pedib. conculcatur? Ego aūt antequā matrē respicio terrā ipsam. quare non est contumelia de seruo genitū esse, sed honor aīaliter genitū esse. Qui vero se multū putat vituperare me; ignorat qd per contumeliam hāc, me melius honorauit. Naturæ meæ intelligentiam habens, nō ui quis sim, & vnde sim. Hoc modo si memores fuerimus, de terra nos genitos esse, nunquam permittemus iram nobis excitari. Auxiliatrix est cogitationi nostræ terra, semper presens & commonefaciens. Cum ad concupiscentiam quandam curris, cogita quomodo hinc abibis & discedes; si cogitaueris quod in terram dissolueris, sedata est concupiscentia furoris. *Terra es*,

&

Margin notes: Gen. 1. — Cognitio sui humilitatē producit.

& in terram reuerteris. Memor sis quod paulo post, hęc nunc saltãtia mébra, aut q̃ nũc adest carnis cõcupiscẽtia, paulo post dissolutis & in terram resolutis; & sic compræssa est concupiscentia. Memor esto naturæ, & solutus est omnis ad malitiam impetus ac concitatio. Hæc commonefactio in omni peccato nobis amuletum sit. Formauit Deus hominem de limo terræ. Honesta humilitas, congenita commonefactio. si dixisset *formauit Deus hominem* de Cœlo acceptum: quando vidissemus illud, vt commonefacti essemus naturæ. In promptu nobis adest monimẽtũ nostræ vilitatis, ex his q̃ pedib. calcamus. Inclina te ad terrã; cogita q̃d ex cognata terra, & reiectitia formatus es: vilipẽdes & humiliabis maxime teipsum, *De isto torrẽte exaltabis caput*; hoc puluere inspersum habens caput, vt sanguisugã euomes sanguinem peccatorum, Hoc puluere illitos oculos habés, illuminaberis. *Visitans speciem tuam, non peccabis*. Quis apud se reputans; cui rei quotidiani sui labores seruiant? Cui splendoré vestium & equorum numerum paret? ciborum tam varia gene ra conquirat? honores venetur? externæ videlicet pompæ gratia & honestando pulueri; Quis, inquam, hæc secum reputans, nó continuo ad se redibit, & insatiabilem habendi cupiditatem deponet; quæ insatiabilitas, ob hanc vnam causam animum hominis occupat, vt suppetant, quę ornando pulueri satis esse possint? Si aliquis luxuriæ flamma ardere cæperit, & cogitauerit quod humanum corpus, longe abiectius est puluere; nam puluis nihil in se fetidum habet, at vero humanum corpus, non solum vbi post mortem computruit, & vermium cibus factum est, quantam circumfert, putredinem? Quam omni ex parte sordes profert, ac fætorem non ferendum? Quis igitur hoc confiderans, rem tam sordidam, quæ est sarcina stercorum, tam abominandam, tãti faciet, tanto in eam amore exardescet? Vtinam & nos quandoque saperemus, & nos nostramque faciem sæpius conspiceremus. Credite mihi non in brutorum degeneraremus naturam, sed Diuinæ consortes effecti naturæ, Dij tandem beatitudine illa Cælesti, aspicientes nos in illo speculo sine macula Dei maiestatis frueremus. Quod nobis concedas Christe Iesu, speculum sine macula, per speculum sine macula matrem tuam Amen.

FILII

FILII EVAE.

Ecce.n. in iniquitatibus, conceptus sumus, & in peccatis concepit mea mater mea. Ps. 50.

CONCIO VIGESIMATERTIA

In qua peccati Originalis traductio, & grauitas ostenditur.

DIVINORVM secretorum magnus ille prædicator Paulus, inter cætera ex quibus Diuinæ sublimitatem misericordiæ demonstraret, atque commendaret: sic de humano & illo misero genere, sententiam tulit. *Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur*. Sed quid ais Paule? Quid est conclusit Deus omnia sub peccato? Quid vero vt omnium misereatur? Conclusit omnia sub peccato? Forte coegit omnes homines, vt peccarent? Forte vinculis plusquam ferreis peccatorum, aliquem colligauit & captiuum peccati effecit? Conclusit omnia sub peccato? Igitur peccatum erit aliquis carcer, in quem omnes congregauit, & mancipauit? Sic ergo mundus iste visibilis, in quo omnes nascimur & morimur; in quem expulsi sumus a Patrijs sedibus; in quo omnes viuentes viuendo morimur, erit peccatum? Quid est deinde, conclusit omnia, vt misereatur? Crudelis misericordia est illa, subijcere in seruitutem, & postea misereri. Conclusit omnia sub peccato; Quomodo vt misereatur? Nonne vt puniat? Anima quæ peccauerit, ipsa morietur; Anima quę deliquerit, delebo eam de populo meo. Nonne vt omnibus (ò duram sortem) meritas infligat pęnas? Dixerat ipse. Filius non portabit iniquitatem patris, sicut nec pater portabit iniquitatem filij; impietas impij erit super

Rom. 11.

Cōclusit Deus omnia sub peccato, quomodo.

eum.

eũ. Pater noster Adam peccauit; cur ergo omnia cõclusit sub peccato? Cur per vnum hominem, peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt? Pater peccauit; quare non solus Pater pulsus est a Paradiso? Quare nos iniquitatem patris portamus? Adam deliquit: quare non solus Adam mortuus est, sed statutũ est omnibus hominibus semel mori; omnes nos morimur, & quasi aquæ, confracto vase dilabimur in terram? Adam gustauit vetitæ arboris pomum: quamobrem omnia conclusit sub peccato? Quare non est innocens ante eum, nec infans vnius diei? Quare nos lugubre hoc canticum occinere cogimur, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea? Quid est ergo? Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omniũ misereatur. ¶ *Conclusit omnia sub peccato*, vt vocant actuali, voluntarie perpetrato; Non quod omnia vel aliqua, cogat ad peccandum. Deus enim ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui; Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi: Non enim concupiscit, multitudinem filiorum infidelium, & inutilium. *Conclusit omnia sub peccato*, libera voluntate effecto. Non quod omnia vel aliqua, vinculis plusquam ferreis peccatorum constringat & illaqueet, atque mancipium peccati efficiat. Nõ dicas, (inquit idem sapiens,) Ille me planauit. Non enim necessarij sunt ei homines impij: omne execramentum erroris odit Dominus. Simile est quod Iacobus docuit. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; Vnusquisque vero tentatur, a concupiscẽtia sua abstractus & illectus. *Conclusit Deus omnia sub peccato*, ad eũ modum, quo Dialectici vel oratores, ex præmissarũ exquisita inductione demonstrant, & concludunt aliquod placitum vniuersale. Viderat Deus primum caput generis humani, vas illud admirabile, de limo terræ manibus Diuinis effictum, superbię & ambitionis vento afflatum, de suo loco cecidisse, & confractum esse. Viderat Caimum crudelem fraterno sanguine pollutum. Viderat quod sub temporibus Noe, multa malicia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis, intenta esset ad malum omni tempore. Ita conspurcatum & contaminatum erat, hoc vas fictilę homo, vt quasi coactus

Eccl. 15.

Deus nemini iubet peccare.

Iacob. 1.

Deus Dialecticus.

Omnes peccarũt.

ctus esset Deus, lauachro illo diluuij eluere & mundare illud. Viderat deinde Ismaelem ludentem cum Isaac: Esau persequentem Iacobũ: Patriarchas duodecim, inuidia erga Ioseph tabescentes: Israelem in deserto idololatrantem, & murmurãtem; Aaron & Moysen dubitantes; Salomonem luxuriãtem; Dauidem homicidam adulterantem. Prospexit Dominus de

Psal. 13. Cœlo super filios hominum, vt euideret si est intelligens, aut requirens Deum: & ecce corrupti sunt, & abominabiles facti sunt; omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt; nõ est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Ex his præmissis, raciocinatione quadam vsus Deus, *conclusionem intulit. Ergo omnia sunt sub peccato. Ergo omnium oportet misereri.* Conclusit omnia Deus sub peccato, vt omnium misereatur. Postquam enim agnouit, omnia esse sordida tabe vitiorum polluta; postquã aspexit in circuitu huius piscinæ mundanæ, vbique ægrotos iacere, & nullum sese ad sanitatem reducere; postquam vidit quod a vertice capitis Adamo, vsque ad plantam pedis, hominem s. qui nunc nunc è tenebricoso materno vtero, ad lucem hanc effunditur; in toto corpore generis humani, non esset sanitas, sed vulnus, & liuor, & plaga tumens. Miserebor, ait, super hominem quem condidi; non patiar illum consumi a peccatis. Misericordia Domini, aiebat quidam, quod non sumus consumpti. Augustinus vero, nullam causam Incarnationis filij Dei esse censebat, præter peccata nostra. Nulla, inquit, cã veniẽdi Christo Dño, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cã est medicinæ. Venit ergo de Cęlo magnus medicus, quia per totum mundũ vbiq; iacebat ægrotus. Genus humanum totum perierat, ex quo peccauit vnus in quo totum erat; ideo venit vnus sine peccato, qui saluos faceret omnes in peccato. Non eum de Cœlo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. *Conclusit omnia Deus sub peccato*, illo originali, quod est quasi hęreditaria quędam lues, a primo parente nostro in omnes transfusa. Nõ quod ini

Ezech. 18. quitatẽ Patris puniat in nobis eius filijs. Pater. n. (vt ait Deus,) quia calumniatus est, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. Filius aũt qa iudiciũ & iustitiã operatus est, omnia pręcepta mea custodiuit, & fecit illa, vita uiuet. Anima qua peccauerit ipsa morieť. Filius nõ por

tabit iniquitatẽ patris, & pater nõ portabit iniquitatem filij;
Iustitia iusti super eũ erit,& impietas impij erit super eũ. Quid
ergo conclusit omnia sub peccato? Adam prævaricatus est pa-
Adã cur ctum; & tamen nullus est qui non lachrymabile illud perso-
Adã vo- net? *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit*
catus est. *me Mater mea.* Verum quidem est,& vtinam non fuisset verũ
Adam præuaricatum esse pactum sempiternum, quod pepige-
rat Deus cum illo. Sed quid est Adam? Qualis persona? Quo
nomine nuncupatus fuit Patens noster? Qualis significatio
nominis impositi Prothoparenti nostro? Quare vocauit eum
Adam? Cur matrem nostram vocauit Euam? Sententia om
nium Illustrium & Doctissimorum virorum est; non esse eius-
dem significationis, Adam, cuius est Petrus vel Ioannes. Ex
eo enim quod Petrus, non habet nisi naturam singularem,
ab alijs hominibus præscisam; ex eo quod Petrus non conti-
net in se alios homines, Ioannem, Andream,& alios infinitos,
sed tantum se & suam naturam particularem; particulari seu
singulari nomine,commonstrãte,hanc naturam particularem
seu singularem appellatur. Quò fit,vt delinquente Petro,non
est necessario puniendus Ioannes vel Paulus: Non enim neces-
sarium vinculum habet Petrus,cum Ioanne & Paulo. Quia ve
ro primus parens generis humani,in se velut in radice commu-
ni complectebatur, totam humani generis multitudinem: Pa-
ter enim erat cunctorum viuentium,& Eua erat mater cuncto-
rum viuentium,vt ait scriptura; Pater autem & Mater, in sinu
suo compræhendunt a se genitos filios; non singulare sed com-
mune,non singularem sed communem naturam humanam de
clarans nomen obtinuit. Adam enim significat hominem.
Adam idem est dictu quod homo. Eua idem est significatione,
quod Mater cunctorum viuentium. Quò factum est vt Adam
delinquente,& transgrediente præceptum Diuinum,deliquerit
& prætergressus fuerit,hoc idem mandatum Dei homo, & om
Adamo nis homo. Ex quo prouenit,vt Adam amittente coronam illam
peccante Regiam Iustitiæ originalis, & imponente sibi peccati origina
in Adam lis iugum; eandem Coronam amiserit homo, & omnis homo;
peccaui- idem iugum graue imposuerit sibi homo,& omnis homo. Ex
mus. quo subsecutum est vt Adam moriente, moriatur homo,& om
nis homo. Omnes enim in lumbis eius continebamur: omnes
quoque Adamo peccante peccauimus.

Sit

Sit aliquis fons, a quo multiplices riui, clarissimæ aquæ emanent; hunc fontem si veneno inficias, veneno infecti riui erunt. Sit aliqua arbor distendens ramos virentes, & producens vberes fructus: huius radix, si toxico impleta fuerit, corrupti quoque & fructus, & rami fructuum producentes causæ. Adam erat fons & origo multitudinis humanæ; Adam fuit ille puteus a quo eruperunt aquæ multæ, populi multi: infecto eo per peccatum, infecti sunt etiam, populi multi ab eo defluentes. Adam fuit illa radix, ex qua creuit in immensum genus humanum, arbores istæ inuetiæ: toxico plena radix, toxicum infudit & ramis, ita vt omnes sicut aquæ venenosæ in fonte; vel rami infecti in radice, *conclusi simus sub peccato*: Nullus est, qui dicat. Mundus sum a peccato, nec infans vnius diei; Omnes vero vno ore planctum hunc decantamus. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Modicum fermentum, dicebat Saluator, totam massam corrumpit. Massa totius naturæ humanæ, erat inclusa in illo vase fictili, quod formauerat Deus de limo terræ; infecto illo & corrupto per peccatum, infecta est atque corrupta, tota massa naturæ humanæ. Quod si verum, vt verum est, quod defectus naturales, necessarium glutinum cum natura habentes, per generationem a patribus in filios, transfundantur. Iracundus enim generat iracundum, vt aiebant Philosophi; melancholicus melancholicum, albus albũ, Aethiops Aethiopem. Iustitia autem originalis, similiter & defectus illius, necessarium vinculum habebant, cum natura humana. Primo homini (dicebat D. Thomas) in sua institutione, datum fuerat Diuinitus, quoddam supernaturale donum, s. Originalis iustitia; per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ. Hoc autem donum, non fuerat datum primo homini, vt singulari personæ tantum, sed vt principio totius naturæ humanę; vt s. ab eo per originem deriuaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum, primus homo per liberum arbitrium peccans amisit, eo tenore quo sibi datum fuerat, s. pro se, & pro tota sua posteritate. Defectus ergo huius don, totam eius posteritatem consequitur.

Similia quomodo Adã infecit totum genus humanum.

Quæst. disput. de pecc. q. 4. a. 1. c.

Iustitia originalis qui fuit collata Adæ.

Nemini dubium est, totum genus humanum esse a Deo coordinatum, & constitutum, ad instar corporis humani, vel

cuiusdam Reipublicę, vt dicebat Paulus. vnum corpus multi sumus, & sicut in vno corpore multa membra sunt: Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt; ita & Christus; vos estis corpus Christi, & membra de membro. Quare sicut in corpore humano, dum caput peccat, dicitur peccasse totus homo: sic etiam in hoc corpore generis humani, peccante homine, primo generationis nostræ capite dirigente, & præeminente super nos; qui sumus eius membra, dicimur & nos peccasse. Hoc idem simile tetigit, Angelicus Doctor loco proxime notato. Si consideretur homo, sicut quoddam membrum totius humanæ naturæ, a primo Parente propagatæ, ac si omnes homines essent vnus homo; sic peccatum originale, habet rationem culpæ, propter voluntarium eius principium, quod est actuale peccatum primi Parentis; sicut si dicamus, quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpæ; quia manus de necessitate mouetur ab alio. Si autem consideretur vt est pars totius hominis, qui voluntate agit, sic habet rationem culpæ; quia est voluntarius. Sicut ergo homicidium, non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis; ita huiusmodi defectus, non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturæ; nec ad personam pertinet, nisi inquantum natura inficit personam. Et sicut ad vnum peccatum faciendum, diuersæ partes hominis adhibentur, scilicet voluntas, ratio, manus & oculus, & tamen est vnum solum peccatum, propter vnitatem principij scilicet voluntatis, a quo peccati ratio, ad omnes actus partium deriuatur; ita & ratione principij, in tota natura humana consideratur, quasi vnum peccatum originale. Dum illud decimum septimum caput Ecclesiastici relegebam, in quo de creatione hominis magnificè loquitur sapiens, aduertebam. Quare sapiens primo dixerit. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum.* Deinde iam non in singulari numero, sed in plurali subiungit. *Testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis. Attendite* inquit, *ab omni iniquo, & mandauit illis vnicuique de proximo suo*. Dicere aliquis posset: scripturam primo loqui in singulari numero, eo quod tantum Adam tunc tem-

Margin notes: 1. Cor. 12. — Delinquête parte imputatur toti corpori. — Eccl. 17 — Deus cõstituit testamentum cum genere humano.

temporis esset creatus; subiungere autem in plurali, propterea quod illi creatum sit adiutorium simile sibi. Non abnuo hanc esse veritatem scripturæ: Nec tamen illam reijciendam censeo, quorundam interpretationem, Deum constituisse testamentum sempiternum cum illis, non tantum cum illis, scilicet Adamo & Eua; sed & cum illis, scilicet cum tota posteritate eorum, in illis delitescente; ita vt si Adam & Eua abstinuissent, ab arboris vetitæ vsu, iuxta pactum cum Deo inijtum, non tantum se, sed & posteritatem suam conseruassent, in iustitiæ originalis decore, non tantum illi, sed & soboles eorum, nullis subiacuisset casib. non solum Adam & Eua, sed & filij eorum mortis effugerent iustissimum Edictum. *Testamentum.n.illud erat æternum*, Non tantum nongentis & triginta quibus Adam & Eua vixerant annis, sed sempiterno tempore, quousque vltima proles Adami & Eua superstes esset, duraturum. Testamẽtum illud non tantum cum Adamo & Eua, sed & cum nobis omnibus pactum erat. *Mandauit.n.illis vnicuique, de proximo suo.* Mandauit illis, vt non tantum se, & suam propriam salutem tantum, sed & omnium nostrum attenderent. Mandauit illis vt gratiam collatam sibi, sibi & posteris suis conseruarent; vt iustitiam originalem sibi concessam, & in se, & in suam prolem transfunderent: Mandauit illis, vt dona virtutum sibi data, progenitis a se distribuerent, vt se & alios a corruptione & morte & miseria custodirent. Mandauit illis, vt & suo & sobolis nomine præceptum obseruarent, & pactũ tenerent. Mandauit illis, vnicuique de proximo suo. Quare prætergrediente primo homine hoc pactum sempiternum: prætergressi sumus nos omnes. Subeunte illo sententiam damnationis Diuinæ, subijmus nos omnes. Illo amittente donum iustitiæ originalis, amittimus etiam nos omnes. contaminato illo labe originali, contaminamur omnes. Expræssit hoc Paulus, in sua ad Romanos Epistolla. Per vnum, inquit hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt. *In quo omnes peccauerunt.* Vnius delicto multi mortui sunt. Ex vno iudicium in condemnationem. Vnius delicto mors regnauit per vnum. Per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: sed in hoc vno, omnes simul peccauerunt. Ideo omnes nos in pecca-

Rom. 5.

tis concipimur & nascimur. Omnia conclusit Deus, sub peccato originali, vt omnium misereatur. Omnes fateri coguntur. *Ecce in iniquitatib. conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Super omnes filios Adam, iugum graue positum est, a die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Reuera grauissimum iugum, rebelio carnis contra spiritum; ille fomes, qui est incentiuũ omnium malorũ, illa lex crudelis in membris corporis imperans, quam Paulus uidit, Aspicio, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. In fælix ego homo quis me liberauit de corpore mortis huius? *Infælix ego homo*. Olim conditus fueram a Deo rectus, vt in eadem animi rectitudine perseuerarem; creauerat mihi Deus scientiam spiritus, & sensu impleuerat cor meum, vt cognoscerem bona & mala; bona ad amandum & mala ad fugiendum. Posuerat oculum meum, super cor meum vt nomen sanctificationis collaudarem, & gloriarer in mirabilibus eius, & enarrarem magnalia operum illius. Addiderat mihi disciplinã, & legem vitę mihi hęreditate donauerat. Nunc autem sum infælix homo, sub hoc iugo carnis peccati. quæ rectitudinem meam, q̃ ad Cælum erectam animam, pondere suo ad terram deprimit. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio, deprimit sensum multa cogitantem. Nunc sum infelix homo, qui in naturam serpentis seductoris, quasi immutatus super terram serpo, a terra ad Cœlos, super pedes me erigere, per me nequeo. Bona cognosco, sed ad fugiendum, mala autẽ ad amplectendum. Quod nolo malũ, illud ago. De magnalib. & mirabilibus Dei, nihil penitus scire possum. Quæ supra me, non ad me. ¶ Olim Diuina sapientia, vtrãque portionem animæ meæ, ita in me copularat, vt inferior superiori plenissime subderetur: & quod in Repub. bene instituta fit, vt maiores imperandi, minores vero obtemperandi officium exerceant: hoc in me antea bene instituto perfectissimè seruabatur. Nunc autem sum infelix homo; caro vt animal pręceps recalcitrans animæ, currit ad malum; manus conserit cũ anima, vires inferiores reluctantur rationi; irascibilis concitat bellum intellectui; concupiscibilis vero allicit ad noxia. Ita vt sicut mundus allicit ad blandia, vt commoueat, mouet tristia vt

deterreat,

Marginalia (left): Originale peccatum est iugũ grauissimũ. — Antithesis hominis in iustitia originali & peccato. — Rebellio carnis.

Marginalia (right): Eccl. 40. — Rom. 7. — Eccl. 17. — Sap. 9.

detterreat; sic & sensus cũ suis agminibus; sic & inferior portio aĩæ, cũ tot cupitatũ & affectuũ acie inordinata, aduersus spiritũ rebellare cęperũt. Affect⁹ mei præsẽte originali iustitia, velut freno quodã cohibebant, & meã rationẽ cũ voliitate pro Domino agnoscebant; nũc soluto iustitiæ vinculo, effrenes statim atq. rebelles effecti sunt. Ad eũ modũ, quo canes recognoscere solent Dominos suos, dum illos solito cultu, vestib. decenter indutos vident; si vero faciem suam velauerint, & obtexerint turpi aliqua larua, non solum non cognoscunt illum, verum morsib. appetunt; sic dum eram vestitus stola innocẽtiæ originalis, infimæ partes animæ meæ, cum carne mea, me pro Principe agnoscebant & dicto obtemperabant. Nunc autem postquam indutus sum more animaliũ brutorũ, *postq̃ fecit mihi Deus tunicas pelliceas* postquã *deformẽ istã laruã peccati superposui faciei mei*: in odiũ mei conuersi sunt; nũc me latratib. suis infestat synderesis, nunc morsib. impetit irascibilis; nunc concupiscibilis bonum quod tenebã eripere adnititur. *Infœlix ego homo*, quia Achitofeles illi, qui erant fidi comites, salubrib. consilijs adiutoriũ mihi præstantes: nunc adherentes rebelli Absoloni, carni meæ, rebelles quoq. & ipsi euaserunt. Olim coronã quandã Regiã imposuerat capiti meo; quæ Principatũ mihi, super hæc subiecta mihi tribuebat. Olim gratiã mihi suã infuderat: simul .n. vt naturam condidit (prout ab Aug. didici) elargitus est gratiã, q̃ animã meã Deo gratissimã redderet; quæq. illã supra naturæ suæ cõditionẽ sic attolleret, vt eã Deus in filiã adoptaret, hæredéque Regni institueret. Cũ ipsa gratia simul omniũ virtutũ habitus prodeuntes, ac præcipue charitatẽ contulerat; vt ita mẽs mea p gratiã pulchra, p charitatẽ operosa; & vtroq. nomine Deo gratissima esset. *Nunc aũt infœlix ego homo*; gratię donũ perdidi; nõ in gratiæ cãdidissima veste, & inuolucro nascor; nõ cũ virtutib. concipior, Ecce in iniquitatib. conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Nunc ecce cecidit corona capitis mei, ecce sub iugũ miseræ seruitutis redactus sum. Olim Sol iste lucidissimus gratię, illustrans animã meã, radios suæ virtutis reflectebat in corpus meũ. Vt .n. radij solis, illustrantes vasculũ aquæ limpidæ, faciunt reflexionẽ quandã in tecta, & loca adiacentia, ita vt si aqua sit aliquantulum cõmota, moueantur & illi reflexi radij; sic & ille splendor gratiæ infusus animę meę, vt cuidã vasculo ter-

Fomes peccati.

Allegoria Achitofelis.

Homo in gratia creatus.

Gratia quomodo redundat in corpus, vt cohibeat uires inferiores.

lo terreo donis naturę repleto,hanc illuminans,reflexo radio il luminabat,& mouebat & perficiebat corpus meum; ita vt mo uente anima,per liberum arbitriũ,vsum gratiæ huius, moueba tur & gratia atq. pertingebat, vsque ad extremã partem corporis mei. Nunc aũt ex quo turbida effecta est anima mea; ex quo cõmota & inuersa remãsit; Sol iste gratiæ diuinæ,radios suos in flectere & si vult,neq; tñ ita poterer,vt motus effrenes corporis ne effluant,possit cohibere. Olim archa gratiarũ, reposita *in medio Iordanis animæ meæ*,impetum retinebat cupiditatũ mearũ. Vt n.archa testamenti in medio fluminis alueo consistente, dũ Israelitę fugiebãt Aegyptum,superiores fluminis aquæ stabiles & immotæ perstiterunt,donec exercitus omnis filiorum Israel, arentem alueum transiret; vbi vero archa sublata est,aquæ protinus,quæ in vna mole cõstiterant,solito lapsu ad ima fluere cęperunt. Sic motus & affectus animæ meæ; quamdiu thesautus gratiæ,in anima mea erat; velut suspẽsi & immoti p manebãt, neq. a rationis imperio discedebant. Nũc autẽ vbi gratiæ archa mihi sublata est,prçcipites ad ima ruunt: nec habenas pati aut vlla rationis lege cohiberi possunt. *Infælix ego homo*. Olim erã Dan. 1.
Allegoria statuę Nabuchodonosor. vt statua illa a Nabuchodonosor conspecta. Statua magna & sublimis propter donorũ excellentiam, mihi a Deo concessorũ Caput habebam ex auro optimo; intellectum & voluntatem in aurum cuiusdam Diuinitatis,per gratiæ & originalis iustitię plenitudinem conuersũ. Pectus & brachia de argẽto charitatis ad opus commouentis; venter & fæmora,ex ęre donorum spiritus sancti,& virtutũ cardinalium;tibiæ ex ferro fortis & inuicti animi: pars tantum vna pedum erit fictilis; a corruptione tñ virtute illius aurei capitis prçseruata. Nunc autem postquã abscissus est,ille lapis cuius omnis lapis operimentum erar, qui in medio lapidum ignitorum ambulauit; postquam deiectus est de illo monte pingui, monte coagulato in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo: postquam suo suasu percussit pedes meos fictiles dicens. Nequaquam moriemini; nequaquam concidetis: contrita sunt in me omnia,ferrum,testa,æs,argentum & aurũ; & redacta quasi in fauillam æstiuæ areę. Nunc,vt Iob lamentabatur,nec fortitudo lapidũ fortitudo mea,neq. caro mea ænea: Thren.4
Nunc obscuratum est,vt alter plorabat,aurũ,mutatus est color optimus. Filij Syon inclyti,& amicti auro primo, reputati sunt in

in vasa testea. Nūc ad nihilū deuenim⁹nos oēs,velut aqua decurrens;ad nihilū deductus est,in cōspectu Dei malignus: nunc de illo statu fęlici,cecidi in congeriē miseriarū: Ex forti,factus sum debilis;ex nobili,ignobilis:ex diuite inops & mendicus; ex magno & sublimi,paruulus;ex fælice,infælicissimus;ex Rege,mācipiū vile;ex Deo,factus sum iumētū. Animales sensus me offendunt,terra me decipit,amici deficiunt,caro stimulis suis me exagitat, Diabolus machinamentis tentationū persequitur. Quādo reuoluo in animo sublimitatē illā,et vilitatē atq. miserādū statū, infælicē me reputo. Infęlicissimū.n.genus infortunij est,dicebat quidam,hominē fuisse fęlicē. Infælix ego homo. Hoc est igitur grauissimū iugū, positum super filios Adam,a die exitus de ventre matris eorū. Sub hoc iugo graui,aratro alligati sunt carnis, Reges cū suis coronis, Imperatores cū suis sceptris, Principes cū suis diuitijs, Sapientes cū scientijs, Religiosi cū obseruantijs, milites cū armis,ciues cum delitijs,rurales cum laborib. mercatores cū suis industrijs. Nullus potest excutere illud, e ceruicibus suis,nisi ex gratia speciali Diuina paucis collata. Omnis persentit hos effrenes motus carnis cōtra spiritum, ne se eleuare valeat ad sublimia. Spiritus quidē promptus est,caro autē infirma. Homo est velut ille alter, ab Alciato delineatus,qui in manu dextera grauissimū saxū sustinebat,sinistra autē alas coniunctas,ad volandum in aera habebat. Dum autem in altum se attollere cupiebat, graue pondus saxi illum deprimebat. Hieroglyphicū cū iusdā hominis.

Dextra tenet lapidem,manus altera sustinet alas,
Vt me pluma leuat,sic graue mergit onus.

Sic homo spiritu impellente,licet vellet se eleuare ad Cœlestia(spiritus quidem promptus est,caro autem infirma) hoc iugum graue deprimit sensum multa cogitantem: Hoc iugum, cogitur vnusquisque nostrum portare, in humeris suis, vsque ad extremum mortis diem,a die exitus,de vētre matris nostræ,vsque in diem sepulturæ. Hæc est hæreditaria lues, quam omnes velimus nolimus,possidere & recipere cogimur,a nostris progenitoribus. Hæc est dura seruitus, a qua nullus seipsum in libertatem asserere potest. Hęc tetra & pestilens macula,quæ cuiusque ex patre & matre procreatæ prolis animā obscurat,deturpat,& corrumpit,adeoque mortē adfert. Hæc sæua illa plaga, quam omnes quidem sentire possumus, satis autem deplorare Epitheta originalis peccati.

nequimus. Hic est fons & caput omnium vitiorum, hominem nobilissimum similem Deo creatum, & in summa dignitate claritatis, & iustitiæ possessione collocatum, Diuina gratia spoliat; ac eam in calamitatem detrudit, vt statim ab illo conceptu fiat immundus, & natura sit filius iræ, peccati seruus, morti obnoxius, mundi Principi Sathanæ subiectus, ac demum siue corpus siue animam spectes, a primario illo statu qui Adamo adhuc innocenti contigerat, in alium longe deteriorem commutatus. Hæc est illa infirmitas, quæ reddit animam nostram debilem, ad resitendum insultib. Sathanæ. Hic est naturæ languor qui in natura nostra continue perseuerat. Hic est Tyrannus, qui violentum Dominium obtinuit, super humanum genus. Omnes enim corrupti, & abominabiles facti sumus in concupiscentijs suis. Omnia conclusit Deus esse sub peccato. Omnes nos in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis concepit nos mater nostra; Mater illa quæ primo seducta est a serpente. Nullatenus dubites, (ait Aug.) omnẽ hominẽ, qui per cócubitũ viri & mulieris concipitur, in peccato originali nasci: impietati subditum, mortiq. subiectũ, & ob hoc nasci filiũ iræ. Idẽ Aug. sup illa præposita verba. ecce .n. in iniquitatib. conceptus sum interrogat. Quid est, ꝙ dicit se in iniquitatib. cóceptũ? respõdet nisi ꝙ trahitur iniquitas ex Adã? Etiã ipsum vinculũ mortis, cũ ipsa inquitate concretũ est. Nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahens meritum pænę. Dicit & in alio loco Propheta. Nemo mũdus in cóspectu tuo, nec infans cuius est vnius diei vite sup terram. Nouimus .n. ex Baptismo Christi solui peccata, & Baptismum Christi valere ad remissionẽ peccatorũ. Si infantes omnino innocentes sunt, cur matres ad Ecclesiam cum languentib. currunt? Quid illo Baptismo? quid illa remissione dimittitur? Innocentem, magis video flentem, quam irascentem. Quid diluit Baptisma? Quid soluit illa gratia? Soluitur propago peccati. Quia si inquit posset, ille tibi infans diceret; & si iam intellectũ haberet, quẽ habebat Dauid, responderet tibi. Quid me attẽdis insontẽ? Nunquid non vides facinora mea? ecce in iniquitatib. conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Præter hoc vinculum cócupiscentiæ, natus est nullus, nisi Christus sine masculo ex Virgine concipiente, de Spiritu Sancto. Ideo ille solus, non potest dici in iniquitate conceptus; non potest dici, in pec-

Patrum sententia de Originali peccato.

de fide ad Petrum.

sup. Psal. 50.

Baptisma quid abluit.

in peccatis mater eius in vtero eum aluit; cui dictum est. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Erat quidem Dominus mortalis; sed non de peccato suscepit pęnã nostrã, & ideo soluit culpam nostram. Merito ergo in Adã omnes moriuntur, in Christo aũt oẽs viuificantur. Definita est est sententia. In Adam omnes peccauerunt, solus esse innocens infans potuit, qui de opere in Adã non est natus. Hæc præclare

Sess. 5. Augustinus Anthagonista Pelagianorum, contra sui & nostri tẽporis Pelagianistas, negantes traductionẽ Originalis peccati docuit. Conciliũ vero Tridentinũ, vt obstrueret ora Caluinistarũ, Melãchtonis & Anabaptistarũ, tale decretũ protulit. Si quis præuaricationem Adæ, sibi soli & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptã a Deo sanctitatẽ & iustitiã q̃ perdidit, sibi soli & non nobis ẽt eum perdidisse; aut inquinatũ illum p inobediẽtiæ peccatũ, mortẽ, & pœnas corporis tantũ, in oẽ genus humanũ trãsfudisse; non aũt & peccatũ ꝙ mors est animæ, Anathema sit; cũ contradicat Apostolo dicenti, Per vnũ hoĩm, peccatũ in hunc mundũ intrauit, & per peccatũ mors, & ita in oẽs hoĩes mors pertrãsijt, In quo omnes peccauerunt. *Omnia igitur conclusit Deus sub peccato.* Oẽs peccauerunt, & egẽt gratia Dei. Omnes corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Oẽs declinauerũt, simul inutiles facti sũt. Quid te eleuat cor tuũ (sic repręhẽdebat Iobũ, suus Eliphaz Themanites) & quasi magna cogitãs attonitos habes oculos? Quid tumet cõtra Deũ spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? Quid est homo vt immaculatus sit; & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter Sãctos eius nemo immutabilis, & Cęli nõ sunt mũdi in cõspectu ei⁹, Quãto magis abominabilis & inutilis hõ, q bibit quasi aq̃ iniquitatẽ? Ecce in iniquitatib. cõceptus sum, & in pec. & c.

Tamen nos, licet sciamus omnes homines vinculo peccati Originalis subiectos esse: illa nihilominus verba Concilij Tridentini, non reijciendi censemus. Vbi *Declarat Sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere, in hoc decreto vbi de peccato Originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genetricem.* Quid ni? Cur non comprehendit etiam Beatam Deiparam? Nunquid non & illa in concupiscentia carnali concepta est? Nunquid & illa cum Christo commune habuit priuilegium, vt nulla peccati labe contaminaretur? Non dicit hoc Concilium; sed stare & De peccato Originali Beatę Virginis Marię.

acqui-

acquiescere iubet Decretis Syxti IIII. Pont. Max. qui vtramq; sententiam credibilem & probabilem reliquit. Verum equidem est Beatam Virginem, longe inferioris esse Sanctitatis a Christo suo filio. Nec illud pernegandum est, Beatam Mariam (quia non ex Spiritu Sancto) in carnali concupiscentia conceptam esse. Sed nunquid potentiæ Diuinę repugnans est, vt illam a lege communi, incurrendi maculam Originalem exciperet & conseruaret? Solus ille nouit, qui quantum virtute sua possit, nouit. Scimus interim nos quoque, quod multis temporibus, Deus contra, seu præter legem communem operatus est. Lege perpetua statuerat, vt Solis cursus nunquam retardaretur: vt quadrigæ Solares nunquam quiescerent, sed motu perenni velocissime, per vastissimam Cœli solitudinem vagarentur. Fecit tamen præter hanc legem ad vocem Iosue. *Stetit sol in medio Cœli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei.* Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis. Fecit & altera vice, in signum sanitatis restitutæ Ezechiæ Regi. Inuocauit enim Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. Lege sempiterna firmauerat, vt ignis edax voracibus flammis, omne quod est corporeum & terrenum dissolueret atque consumeret. Quis autem numerabit, quot vicibus ignis naturæ suæ, ad pręceptum Diuinum oblitus fuit? Vnum tantum ex scriptura, adducam exemplum scilicet, Tres illos infantes in fornace Babylonis. Porro, inquit Daniel, viros illos qui miserant Sidrach, Misac, & Abdenago, interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres ceciderunt, in medio camino ignis ardentis colligati. Angelus autem Domini, descendit cum Azaria & socijs eius in fornacem, & excussit flamam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Naturalem sæuitiam leonibus indidit Deus, vt huc atque illuc discurrentes, nemini parcant, sed omnia dilanient atq; deuorent. Tamen hanc sępe sępius, in mansuetudinę conuertit, Daniel ipse testis est, qui iniectus in lacum famelicorũ leonum, ab illis intactus, per multos dies remansit. Sic & modo; licet statuto perenni decreuisset *vt Sol iustitiæ originalis*

&

Deus potest agere pręter legem communem.

Iosue. 10.

4. Reg. 20.

Daniel. 3

& gratiæ, in nullius ortu & conceptu subsisteret, *sed omnes cursu rapidissimo* præteriret, & omnes in tenebris originalibus in ventre materno obstrusos relinqueret; vt omnes sicut Iob dicebat, *expectent lucem & non videant nec ortum surgentis auroræ*; potuit tamen præcipere, vt *subsisteret aliquantulum in vno die* die scilicet fœlicissimo, conceptus Virginis Mariæ. In quo primam manum apposuerat ad pugnandum, cum infausto & crudeli hoste generis humani. præsertim cum in Maria, ut Patres docuerunt, fuerit initium reparationis, & redemptionis nostræ. Per fœminam mors, dicebat præclarissimus Martyr Ireneus, per fæminam vita. Per Euam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta seductorem secuta est, hęc integra peperit Saluatorem; illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi; hæc gratia Cœlesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Hunc secutus Augustinus ait. Eua generis nostri pęnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia, fides pro perfidia commutatur. & Ireneus vbi supra. Sicut, inquit, Eua virum habens Adam, & virgo adhuc existens, inobediens & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis; sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen virgo obaudiens, & sibi & vniuerso generi humano, causa facta est salutis. Inobedientię Euę nodus, solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem. Nec dissimile est quod Rupertus annotauit. Eua quasi inimica, Eua quasi vipera. Eua quasi deformis & ignominiosa. Mihi inimica, viro suo vipera, sibimet confusa ignominia. Inimica per superbiam, qua intus tumuit; vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens, foris tētata facile cessit: Ignominiosa per pruritum libidinis, qua statim scaturire cæpit. Vnde & nuda: eam se cognoscens, folio pudenda contexit. Beata autem Maria, amica mea per humilitatem; columba mea per charitatem: formosa mea per castitatem. Tu contra Deum non intumuisti, imo mente humili Altissimo complacuisti,

Iob.3.

Allegoria Solis Iosue.

Maria initium Salutis.

lib.3. ad uersus hęres. c.33.

Antithesis Marię & Euæ.

ser. 2. de annunciat & li. de Symbolo ad Catecu.

lib.2. sup Cant.

& ecce amica es. Tu serpenti aurem non præbuisti, imo inimicitias inter te & serpentem ego posui, & ecce columba es. tu nuditatem libidinis non incurristi, imo Spiritus Sanctus obumbrauit tibi, & ecce formosa es. Licet deinde decreto sempiterno firmarit, vt *nullus est qui non aduratur hoc igne sulfureo* carnalis originalis peccati; potuit tamen vmbra *alarum suarum protegere hoc vellus Gedeonis Mariam, rore gratiarum perfusam*, ne ab istis flammis attingeretur. Licet fœdere communi. *Leoni illi rugienti & quærenti quem deuoret permiserit, vt omnes in suam captiuitatem* abducat, & originali labe aspergat; potuit tamen efficere vt *Beata Virgo illius morsibus & crudelibus faucibus non subiacuerit*, præsertim cum illa sit quę calcaneo suo vires illius compræsserit. Hæc est enim illa Benedicta fæmina, cui pollicitus est Deus. Ipsa conteret caput serpentis. Hæc est Benedicta illa terra nulli maledictioni subiecta, ex qua veritas Paterna exorta est. Decuit enim, vt sicut Adam primus homo de terra Virgine, nulli maledicto obnoxia, neque humani sanguinis profusione vitiata formatus est: sic Adam secundus, de terra eadem Virgine, nulli maledictioni supposita, nulla concupiscentię vel libidinis labe aspersa, corpus assumeret. Hæc est thronus ille sublimis excellentissimus, et augustus q ex ebore candido, & rubicundo, Candido per castimoniam, rubicundo per gratiam, elaboratus est. In hoc enim throno, ille qui Salomoni sapientiam infudit; ille in quo omnes thesauri sapientiæ & scientię sunt reconditi, recubuit. Hæc est archa illa, ex lignis imputribilibus fabricata: quam nulla putredo peccatorum, nulla vitiorum caries corrupit. Hæc est Hortus conclusus, ad quam nullus serpenti locus patuit. Hæc est virga Iesse semper recta, & nunquam curuata per iugum peccati. Virgo Beata est vellus Gedeonis repletum, & perfusum rore gratiarum, extinguentium omnem libidinis & peccatorum ardorem. Beata Deipara est columba, suum perpetuo retinens candorem, omnis peccati felle & amaritudine carens. Hæc est pulchra & sine macula, pulchra vt Luna, electa vt Sol. Decuit enim vt ea puritate niteret Mater Dei, qua maior sub Deo nequit intelligi. Cuius puritatis si non possibile est ab originali, saltem ab actuali mortali nos imitatores efficias, puritatis fons Christe Iesu, per merita purissimæ Matris tuæ. Amen.

Encomia Marię.

FILII

FILII EVAE

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Iob. 14.

CONCIO VIGESIMAQVARTA.

In qua de malis peccatum subsequentibus agitur.

SOCRATES Philosophus, inter veteres illos virtutis cultores, non contemnendus, dum quadam dierum interrogatus fuisset, Quidnam ex lõgeua studiorum assiduitate, vtilitatis reportasset. Quidnam sciret? fertur hoc responsum dedisse, se nihil aliud scire, præter scire nihil. *Hoc* inquit *scio, quod nihil scio*. Hanc ænigmaticam sententiam eius, quidnam præse ferat *Hoc vnum scio, quod nihil scio*, dum perquirebam. Cum etenim illa tantum quæ sunt, mentis nostræ cogitatione comprehendamus, illa vero quæ non sunt, nec esse possunt, intellectus nostri effugiant captum. Nihil, non est in mundo, nec existere potest in mundo; difficile mihi visum est, vt adeo insignis Philosophus, ex tanta & tali rerum inuestigatione, non rerum sed nihili quod non est, scientiam consequatur. Hoc vnum scio, quod nihil scio. Si ignorassem ex Patrum sententia, Philosophos antiquos multa ad instructionem vitæ ex Sacrarum scripturarum thesauro excepisse: non dixissem, Socratem præclarum (qui Valerio Maximo teste, erat humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum,) hoc suo abstruso ænigmate expræsisse, *Hoc scio quod nihil scio.* se ad perfectam notitiam peccati peruenisse; se post noctes insomnes, ex studiorũ assidua meditatione didicisse. Quid sit peccatum.

Socratis Sapientia nihil scire.

Quod

Quod hunc fructum Philosophiæ collegi, quod naturam &
proprietatem peccati scio. Scitum est in sacris literis, peccatum
Peccatū nihil. nomine nihili appellari. Omnia per ipsum facta sunt, & sine Ioan.1.
ipso factum est nihil. Omnia quæcunque sunt & sunt facta, si-
ue visibilia siue inuisibilia, per verbum Dei facta sunt, Peccatū
vero sine verbo Diuino factum est a Creatura, quia peccatum
Scire nihil quid. nihil est; peccatum non annumeratur illis quæ sunt, *Sine ipso fa-*
ctum est nihil. id est peccatum exposuit Augustinus. Dum iste
Gentilis, se hoc solum scire, se nihil scire dixit; professus est, *se*
peccatum cognosse. & nihil aliud ex varia lectione & attenta
cogitatione didicisse, quam. Quid sit peccatum. Quid sit ni-
hil? Scientiam, equidem non Ethnico, sed Christiano homi-
ne dignām. In hac enim, non postrema salutis nostrę pars repo-
Cognitio peccati vtilissima & necessaria. sita est; Nosse quid sit hoc nihil, peccatum. Si quis vestrum edo
ceri possit ab aliquo periculorum omniū experto, quod ex esu
alicuius ferculi, in mensa vestra appositi, visum quo ni-
hil dulcius est amitteret; deinde frenesim incurrat animi; fe-
bri ardentissima exestuet & consumatur; in bestiarum & scor-
piorum consortium transeat; ita vt eo ad omnem turpitudinem
abutantur, mordentes, venenaq; sua in eum refundentes; nec
prius desinant, quam in suam illum formam habitumq; tran-
stulerint; Hinc vero loris ferreis vinciatur, & in fætore & squa
lore, omni nebula mæroris circuntectus, omni fælicitatis sorte
priuatus, acerbissima omnium perpetiatur. Qui vestrum ali-
quem, de tanto & tali periculo eueniente ex illo cibo, instrue-
ret, & admoneret, digitoq; suo toxicum illud commonstraret;
an non maximo beneficio illum affecit? An vero qui illud di-
diceret, non maximam sapientiam, & scientiam est assecutus?
Peccatū quorum malorū causa. Peccatum hæc & multo grauiora atq; atrociora peccantib.
affert. Esus vetiti illius pomi, omnium malorum fons & origo
fuit. Oculos spirituales nobis peccatum eruit, vt nulla diuina-
rum rerum cognitione illuminati, in tenebris ambulemus, &
passim offendamus. Claudos effecit; vt veritatis quidem via
cognita, inertia & languore animi, ac laboris metu deterri-
ti, per eam ingredi detrectemus. Peccatum nos arefacit, vt
nullum deuotionis, nullum humanitatis, & misericordiæ
succum habeamus. Peccatum paraliticos reliquit; vt ad
omnia spiritualia atque Diuina, adeo insensibiles efficia-
mur,

mur, vt non modo sine vllo doloris sensu peccemus, sed lætemur etiam cum malefecerimus, & in reb. pessimis exultemus. Peccatum freneticos facit, vt omne illud quod a recta exorbitat ratione, velut amentes exequamur: Vt neque timoris Dei, neque amoris nostri, nec verecundiæ habenis cohibeamur, sed in omne nefas & scelus præcipites ruamus; vt in Deum quem supra omnia reuereri atque diligere; in quo spem omnem & felicitatem nostram collocare; cuius mandatis obedire, cuius Sanctum nomen venerari: quem rebus omnibus anteferre; cui immortales pro innumeris eius beneficijs gratias agere; quem in ore & corde semper habere, ac de eo dies noctesque cogitare deberemus, vtinquã, in hunc Patrem Cœlestem, tanto atrociora, quãto indigniora cõmittamus. Peccatum facit vt salutis nostræ nullo amore teneamur, sed animas nostras venales habentes, pro rebus nihil, sub Dæmonis & peccati iugum grauissimum subijciamus: peccatum facit, vt omni verecundia post habita, ambitionis facibus inflamati, pecunias & inanes sæculi honores, pro Deo colamus: liuore & inuidia contabescentes, fraterno odio & vindictę cupiditate exæstuantes, in aliorum perniciem & suppræssionem, totos conatus intendamus: superbię spiritu extra nos elati, cæteros præ nobis ipsis fastidiamus, atque despiciamus: libidinis concupiscentia adusti, magis ad excitandum, quam ad extinguendum insanum hunc furorem, in cœno carnali, more animalium volutemur. Peccatũ facit vt iracundiæ flammis succensi, alios aut conuitijs & maledictis insectemur, aut diris omnibus deuocuamus: vt Epicureorum instar, ventrem pro Deo colentes, omniaque vitæ studia ad corporis indulgentiam & voluptatem referentes, nullam animæ nostræ, aut futuræ vitæ rationem habeamus, perinde atque omnia, simul cum vita finiantur. Peccatum Creaturam rationalem in Bestiarum atque scorpionum consortiũ transfert. Exemplo nobis est Adolescens ille, qui consumpta substantia sua, cum meretricibus & parasitis, missus est a Dæmone in villam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Psaltes autem perditos homines monebat. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Hinc euenit, vt sicut irrationalia, sic & peccator loris & cathenis ferreis vinciatur:

na, non fari, non ingredi, non vesci; breuiter non aliquid naturæ, sponte quam flerè sufficiens. Quare multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam citissime aboleri. Homo natus de muliere, repletur multis miserijs.

Repletur multis miserijs in corpore dum viuit. Quantis enim malis subiectum est corpus nostrum? Imò quibus malis subiectum non est? Alius vertigine capitis, velut in pistrino laborat; alius dolore ipsius acerbissimo discruciatur. Alius luscis est oculis; alius vero misere perdidit suauissimam lucem. Ille hydropisi aquosa tumescit; iste tabie extenuatur. Iste epilepsia: ille paralysi dissoluitur. Hunc febris elica siue acuta; illum melancholica exestuat. Illum morbus caducus in aquam & ignem sæpe conijcit: hunc lunaris ad sydera vel renitentem eleuat. Alium phtysis; alium colica passio misere affligat, Alius sanguinis fluxu; alius disenteria defluit. Istum podagra in pedibus; hunc chyragra in manibus diuexat; illum totius corporis cruciatus, sine intermissa mora conquassant; ita vt nullus hominum in toto vniuerso reperiatur, qui non aliquo malo corpus affectum circumgestet; quousque tandem illa affectione dissoluatur, vitæque huius vsuram amittat. In Paradiso autem, quid erat ante peccatum? Audiamus quod Augustinus reliquerit. Viuebat, inquit, homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat. Viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Viuebat sine vlla ægestate, ita semper viuere habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore vel ex corpore, vllas molestias eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas & in anima tota tranquillitas, sicut in Paradiso nullus æstus aut frigus, sic in eius habitatore, nulla ex cupiditate, accedebat bonæ voluntatis offensio. Peccatum omnium harum miseriarum causa est. Propter peccatum, Dauid plorando dicebat. Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meç. Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Si audire nolueris vocem Domini Dei cui, ut facias (ita comminabatur

Infirmitatum genera ex peccato.

lib. 14. de Ciuit. D. c. 86.

Paradisi vita qualis.

Moyses)& custodias omnia mandata eius,mittet Dominus super te famem & esuriem,& increpationem in omnia opera tua quæ tu facies,donec conterat te & perdat velociter,propter adinuentiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Adiunget tibi Dominus pestilentiam,donec consumat te de terra. Percutiet te Dominus febri & frigore, ardore & ęstu, & aere corrupto ac rubigine,& persequetur donec pereas. Percutiet te Dominus vlcere Aegypti,& partem corporis per quam stercora egeruntur, scabie & prurigine vt curari nequeas. Percutiet te Dominus,amentia & cæcitate ac furore mētis, vt palpes in meridie,sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas viam tuam. Percutiet te Dominus vlcere pessimo,in genib.& in suris. sanarique non possis,a planta pedis vsque ad verticem tuum. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerantes,infirmitates pessimas, & perseuerantes & perpetuas,& cōuertet in te omnes afflictiones Aegypti,quas timuisti,& adhærebunt tibi. Insuper & vniuersos languores,& plagas quę non sunt scriptæ in volumine legis huius,inducet super te Dominus, donec te conterat, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Homo natus de muliere,repletur multis miserijs.

Labores ex peccato. Deinde quis recensere sufficiat, miserias illas quæ ad sustentandum, & nutriendum hoc miserum corpus, congestæ sunt? Quis labores,quos in excolenda sterili terra? Quis sudores ex laboribus exagitato corpore emanantes?Quis dolores ex sudoribus prouenientes,oratione persequi potest? Propter peccatum sterilitate terra pcussa est,Quia,inquit,audisti vocē vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ.Spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui, vesceris pane tuo. In alio vero loco, comminabatur peccatoribus Moyses. Sementem ait,multam iacies in terram,& modicum congregabis, quia locustæ deuorabunt omnia; vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis,& non vngeris oleo, quia defluent & deperibunt. Omnes arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubigo consumet. Laborum quos suffertis, vos ipsi

Gen. 3.

Deut. 28.

testes

testes esse potestis. Sit ex vobis vel ipse Midas diuitijs, vel Epicurus delitijs, vel Salomon Sapientia; sudandam tamen & laborandum est. In omnes promulgatum est, commune decretum. In sudore vultis tui, uesceris pane tuo. Si contemplatiuæ seu literariæ vitæ studijs, corpori tuo prouidere cupis? Sudandum & laborandum est. Multa tulit puer, sudauit & alsit; vt dicebat quidam, de his qui palestræ literatiæ, se esse studiosos profitentur. Oportet deinde lustrare prouincias, nouos adire populos, maria transire, & literas quasi toto fugientes orbe persequi. Ante peccatum vero licet pueri non nascerentur perfecti, (vt D. Thomas docuit,) in scientia, sed eam in processu temporis acquisiuissent, inueniendo vel addiscendo: tamen absque difficultate, ait idem Sanctus Doctor. Non erat necesse, si homo nō peccasset, ut Pythagoras adiret Memphiticos vates, & Plato Aegyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia appellabatur. Non fuisset necessum, vt ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de vltimis Hispaniæ Galliarumque finibus venirent. Non tunc Apollonius Philosophus intraret Persas, non pertransisset Caucasum, non vel Albanas, vel Scythas, & Massagetas, vel opulentissima Indiæ Regna penetrasset; & ad extremū, non latissimum Phisonis amnem transmisisset, nō ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus, ac Syderum ac dierum cursu, audiret docentem. Non tunc de extremis Orbis partibus, necessum erat laboriosissimum iter facere in Italiam, Gallias, vel Hispanias, dum vnusquisque per semetipsum, exactissimam rerum scientiam facile adinuenire vel addiscere potuisset. Nō deinde tunc sententiarū radices essent amaræ sed dulces. Peccatū effecit vt qui addit sciētiam, addat & laborem siue dolorem. Peccatum effecit vt in studiorum acquisitione, plus olei quam vini consumendū est. Peccatum omnium harum miseriarum causa est. Si autem diuitijs accumulatis, corpus tuum subleuare cupis? Diuitiæ laborem habent in acquirēdo, timorem in possidendo, & dolorē in amittendo. Laborem in acquirendo; Nemini & enim ex ventis, assa columba venit, vt est in Prouerbio. Agricola terram aratro voluat & reuoluat, sudoremque sanguineum in excolendo

Margin notes: Scientiæ acquirendæ labor. — 1. P. Q. 101. a 1. — Homo in statu innocentiæ quomodo sciret aliqua.

lenda illa emittat, necesse est. Faber ferrarius, & quicunque alius artifex antelucanas numeret horas; linceisq; oculis in suo manuum opere, diuitias quærat. Mercator impiger extremos currat ad Indos, per mare, per terram, pauperiem fugiens. Illum tempestas sæua fluctuum maris deprimit ad infernum: tamé pauperiem fugiat necesse est. Illum etsi latrones, terra, & bonis omnibus spoliant, ingulant, occidunt; iste etsi amplexus vxoris & filiorum relinquat; necesse est vt currat ad extremas terras, pauperiem vt fugiat. Auarus autem nobilis, destruat horrea antiqua; nunquam dormiat, sed semper somniet, quomodo diuitiæ diuitijs addendæ. Pulcherrime D. Chisostomus expressit, miseram conditionem diuitum, in acquirendis diuitijs. Nullus, inquit, quantumlibet Dominus, adeo crudelia & indigna præcipit vt auaritia. In cassum, ait & sine causa confunde animam tuam, Deum offende, ignora naturam ipsam. Siue Pater, siue mater sit, omni verecundia deposita, te aduersus illos instrue. Huiusmodi sunt auaritiæ præcepta. Immola, inquit, mihi non vitulos sed homines. Sacrificate inquit Propheta, homines, vituli enim defecerunt. Non sic ista; Sed cum adsint vituli, immola homines; macta eos qui te nihil violarunt, etiam si beneficijs affectus sis, iugula; omnib. esto aduersarius, communisque inimicus; omnes circumueni; naturā ipsam atque Deum; aurum coge non vt fruaris, sed vt serues, vt maiori cruciatu torquearis. Esto alienorum custos. Neq; .n. frui auarus potest congregatis, dum semper ne minuatur aurum, timet; dum metuit solicitus, ne thesauri deficiant. Esto inquit vigil, omnesque suspectos habe, & seruos, & amicos. Esto alienorum custos, si pauperem videas fame deficere, caue miserearis; imo si potes, ipsam illi detrahe cutem: periura; mentire; intra maledictis insectare; calumnias strue; etiam si in ignes eundum sit, si mille oporteat subire mortes, si fame corrumpi; si morbo consenescere, noli ab instituto resilire. Esto impudens. inuerecundus, temerarius, audax, imputus, nequam, ingratus; sensum omnem & affectum amicitiæ pone; parricida & fera, magis quam homo esse contende; amaritudine serpentes omnes transcende; rapina lupos, omnemque feritatem magnitudine immanitatis exsupera; & si ad Dæmonis malignitatem peruenire opus sit, noli retrahere

Auatorũ miseriæ pulcherrima.

hom. 17. in 2. ad Timoth.

pedem

pedem. Qui volunt diuites fieri, dicebat Paulus, incidunt in varias tentationes Diaboli. Hæc autem nonne summa miseria est? Nisi quis non hominem esse, sed bestiam, sed Diabolum, existimet delicias. Nisi quis naturam violare, immanissimum bellum cum Deo, cum hominum vniuerso genere, cum vinculis amicitiæ sibi coniunctis gerere, putet fœlicitatẽ esse. Peccatũ autem omnium horum causa est. Ante peccatum enim, nullus erat pauper; nullus quærebat hasce inanes & fallaces diuitias: Omnium communis erat terrarum Orbis, omnes Reges & Principes mundi constitutum erant. Omnia subiecerat Deus, sub pedibus hominis: viuebat tunc homo sine ægestate, ita semper viuere habens in potestate.

Ambitiosorum dolores.

Si vero celsitudinis fastigium desiderat aliquis conscendere? forte illic non sunt miseriæ? Imo vero permaximæ. Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus, ne dicat quod displiceat; humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur. Vnde nouit illud Poeticum: Et si nullus erit puluis, puluerem tamen excute nullum. Omnium horum causa peccatum est. Ante peccatum enim, nullo ambitionis vento, homo afflatus esset, præter illius sacræ ad beatitudinis gradum; de qua Augustinus retulit, quod. Si homo non peccasset, in corpus fuerat spirituale mutandus; & in illam incorruptionem, quæ fidelibus ac sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Si non peccasset homo, non erat exspoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate & incorruptione; vt absorberetur mortale a vita, scilicet ab animali ad spirituale transiret. Ad hunc fœlicissimum gradum assequendum, ambitio sacra, non erat crux ambientium, non cruciatus, non inquietudo, sed summa requies, deliciæ summæ. Si demum deliciarum exquisitis generibus, corpus releuare concupiscis? Quo magis illud delicijs & voluptatibus repleueris, eo magis & maioribus miserijs obrues. De suauitate ciborum clarum est, quod tempestatem ingentem, quæ ex pernitioso deliciarum vsu, in animam & corpus irrumpit, nullus potest digne eloqui: Que-

lib. 1. de peccator meritis et remiss. c. 2.

Delitiarũ mala.

madmodum enim vasta ac perpetua nubiũ densitas, radios Solis nunq̃ sinit, vim sui fulgoris ostendere; ita & vini ac delitiarum euaporationes, cerebrum non secus quam scopulum aquæ, illud crassa nube tegentes, non permittunt libere vsquam se intendere; verum in tenebris perpetuis detinent eum, qui sic miserabiliter iacet affectus. Neque explicari potest omnino, quanta intus tempestate iactetur. Quemadmodum enim sæpe cum inundatio vehementior facta fuerit, & aquarum vis officinarum aditum occupauerit, turbari eos qui intus sunt cernimus, & discos atque amphoras, & spongias, & alia plurima ad exhauriendam aquam excogitata deferre; vti ne violatis fundamentis atque commotis, omnis post hac suppellex inutilis fiat: ita & anima, quotiens nimis delitijs oppressa fuerit, perturbatur omnis intrinsecus ratio. Cæterũ quod ita coactum est, cum exhaurire difficillimum sit, quod rursum aliud e vestigio ingrediatur, incredibile est quanta perturbatio, quantusque fluctus immineat: Ac si quidem liceret, animum exutum corpore subijcere oculis intuendum, videres profecto huiusmodi delitiosorum animas deiectas, mæstas, fœdas macieque confectas. Quanto enim corpus pinguedine crassitudineque dissoluitur, atque distenditur, tanto illa extenuatur magis, atque imbecillior fit; tanto item magis obruitur atque sepelitur. De alijs delicijs carnalibus, superuacaneum, recensere existimassem; nisi viderem vniuersum mundum cum suis dilectis, carnis voluptates cum Epicuro summam fœlicitatem reputare. Quæso quęnam potest esse voluptas, in tanta turpitudine, vbi homo assimilatur iumentis insipientibus? vbi rationis oblitus, in cœno & spurcitia volutatur? Memini me legisse, in historijs, Sanctorum Patrum, de quodam Angelo, qui obturauerat nares suas, ad aspectum cuiusdam luxuriosi. Vobis fœtores, spurcitiæ, (intelligitis quid dico) deliciæ sunt. Luxuria, (dicere solitus est quidam,) est dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effœminat, sed corpus eneruat, non solum maculat animam, sed fœdat personam. Veneris vsu virtus atteritur, sopita gloria in infamiam conuertitur; animi & corporis vires expugnantur. Omitto dicere morbos, mærores, clades, inanes sumptus, contro-

Ventris ingluuiei mala.

Simile Chrysost.

Carnalis voluptatis lues.

controuersias, lites, insidias, odia, rixas, quæ ex huiusmodi voluptatibus pullulāt: Quę delicię sunt, tumultus & perturbatio ingens? ardentes equulei? insania? concussio & feruor vehementissimus, quæ percipiuntur in voluptuoso isto congressu? Ante peccatum homo istorum expers erat. Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, nihil corruptionis in corpore vel ex corpore vllas molestias eius sensibus ingerebat. De vsu autem carnalis copulæ, reliquit idem Augustinus, eam in statu Innocentiæ fuisse futuram, sed sine ea turpitudine, quæ existit nunc ex effrænata concupiscentiæ libidine. In statu innocentiæ, (addidit Diu. Thomas,) non efficeretur homo bestialis, propter vsum carnis deliciarum; nihil enim tunc fuisset, quod ratio ne non moderaretur. Non quia esset minor delectatio secundum sensum, (fuisset enim tanto maior delectatio sensibilis, quanto esset puriora natura, & corpus magis sensibile) sed quia vis concupiscibilis, non ita inordinate se extulisset, super huiusmodi delectatione, regulata per rationem. Quare non immerito Socrates ille, cuius modo memini, omnia ista quæcunque corpori desideramus, perniciosa esse dicebat; propter illud nihil, quod se scire fassus est. Diuitias, inquit, appetis? Ast istæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis? Sed illi complures pessundederunt. Regna tecum ipse voluis? Sed illorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur. Splendidis coniugijs inijcis manus? Ast ista funditus domos euertunt. Nemo has delicias & voluptates magis expertus est, vt Cresus, vel Salomon: tamen Cresus coniectus in rogum, exclamauerat. O Solon, Solon, quam vera experior, quæ de fælicitate, imo de miseria nostra, grauissime locutus es. Tamen Salomon postquam non negauerat oculis suis, quicquid desiderauerant; postquam non prohibuerat cor suum, quin omni voluptate frueretur: conuerti me inquit, ad vniuersa opera quæ fecerant manus meę, & ad labores quib. frustra sudaueră, & vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Verissimum dixit Iob, de omnibus nostris corpus attinentibus curis; Homo natus de muliere, repletur multis miserijs, Iam vero omnium miseriarum miserrimum est. *Breui viuens tempore*, Dixisses potius, ò Sanctissime vir, *Breui moriens tempore*, non *Breui viuens tempore*. Vitę enim nostræ cursus, an non

lib. 14. de Ciuit Dei c. 26. & 24.

In statu innocentis qualis generatio

1. P. Q. 98

Valer. Max. lib. 7. c. 2.

Vita nostra mors est. potius mors appellandus est, quam vita? Quid enim vitam nostram nominabis, perennem defectum ad mortem? Vita, secundum Philosophos, est adeptio seu acquisitio continua, existendi in rerum natura. Vita nostra, quid est? Continuum dispendium vitæ. *Corpus quod corrumpitur*, non dixit Sapiens, corpus corruptibile, sed *corpus quod corrumpitur*, quia semper corrumpitur; quia impetu veloci ad mortem, & ad sepulchrum festinat. Quotidie corrumpitur; quotidie enim demitur ei aliqua pars vitæ; & tunc etiam dum crescit vita, ei decrescit. Infantiam amisit, deinde pueritiam, deinde adolescentiam vsque ad hesternum, quicquid transijt temporis perdidit; & hunc ipsum quem agit diem, cum morte diuidat opus est. quousque tandem finis omnium miseriarum, mors omnium terribilissima, miserijs omnibus, miserias omnes vel finiat, vel incipiat. Quis satis deplorare sufficiat dolores, & cruciatus quos tunc vnusquisque experitur? Quis mæstitiam animi, & summos angores, qui tunc vnumquemque opprimunt, recensere queat? Quis singultus, anxietates, terrores qui tunc quemlibet peccatis obnoxium inuadere solent, enumerare potest? Dum Sathanas conspiciens, nullum amplius tempus remanere ad subiugandum sibi peccatorē; tunc totis conatibus, omnes vires suas intendit, omnia arma sua permouet, vt vel in desperationem ex grauitate criminum commissorum inducat, & in suum consortium trahat. *Insidiaturum enim serpentem*, vniuscuiusque nostrum calcaneo extremitatis vitæ, prædixit Deus. Horum autem omnium causa peccatū est. Deus fecerat hominē inexterminabilē. Inerat (ait D. Thom.) animæ vis quædam supernaturaliter Diuinitus data, per quam poterat, corpus ab omni corruptione præseruare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset. Si ne, inquit Augustinus, Deus Israelitarum vestimētis, & calceamētis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita: nihil mirum, si obedienti homini, eiusdem Dei potentia præstaretur, vt animale ac mortale per naturam habens corpus, haberet in eo quēdam statum, quo sine defectu esset annosum, tēpore quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus. Propter peccatum, statutum est omnib. hominib. semel mori. In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris. Propter peccatum, mors est omnium terribilium terribilissimum. *Pretiosa*

Marginal notes: Mortis anxietates. — Gen. 3. — Homo nō mori poterat. — lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 3.

tiosa n. est mors Sanctorum. pretiosa plane, vt pote finis laborum victoriæ consummatio, vitę ianua, & securitatis ingressus; mors autem peccatorum pessima. Homo natus de muliere, quia natus de muliere, breui viuens tempore; repletur multis miserijs. Quas miserias & calamitates, dum idem Iob reuoluebat & cōtuebatur, siue magis persentiebat & contrectabat in carne sua: quibus lachrymis deplorarit diem ortus sui? audite. Pereat, inquit, dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est. Cōceptus
Iob. 3. est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eū Deus desuper, & nō illustretur lumine. Obscurent eū tenebrę, & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat; nō computetur in dieb. anni, nec numeretur in mēsibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna; maledicant ei qui maledicūt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellę caligine eius; expectet lucē, & non videat nec ortum surgentis auroræ. Quare non in vtero mortuus sum? egressus ex vtero nō statim perij? Quare exceptus genib.? cur lactatus vberibus? Vellē a te scire ô Beate vir, cur tātopere maledictis insectaris, diē natiuitatis tuę? cur deplorandū & lugubre canticū personas, in diem conceptus tui? Cur melius tibi iudicas fuisse, vt abortiuū abscōditū, vel sicut cōceptus qui nō vidit lucē? Quia, inqt, nō cōclusit ostia vētris, q portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quia sagittę Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini Dei militant contra me. Quia induta est caro mea putredine, & sordib. pulueris, cutis mea aruit & contracta est. Quia dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, & absque vlla spe consumpti sunt. Quia in turbine conterit me, & multiplicat vulnera mea. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinib. Quia collegit furorē suum in me; & ego ille quondam opulentus, repente contritus sum; tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signū. Quia circūdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, & non pepercit, & effudit in terram viscera mea, concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam. Ideo pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est; conceptus est homo; quia, *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur*

pletur

pletur multis miserijs. Quod si vir Sanctus miserias animæ, quę ex peccato redundant aspexisset, quid tūc dixisset? Quas lachrimas sanguineas, non fudisset? Quas maledictiones non imprecatus fuisset, diei in qua natus est? Quali doloris acerbitate motus, iustius & lugubrius exclamasset? Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs. Multo grauioribus, multo plurib. in anima quam in corpore. Quanto.n. anima nobilior est corpore; tāto mala ex peccato, animæ obueniētia atrociora sunt. Propter peccatum decorem corporis perdidimus. Non.n. eam pulchritudinem & candorem, retinet corpus post peccatum, qualem antea. Videre hoc est in superbis, inuidis, luxuriosis, & iracundis, dū sunt in actu peccati, quanto a pristino decore faciei recedunt. cor illorum palpitat, corpus tremit, facies vel ignescit vel lurida est, audax vel minax vultus, tristis frons, torui oculi; ita vt eiusmodi vitijs affectos, vix quandoque agnoscamus. Denigrata est facies eorum, super carbones (vt plorabat Hieremias,) & non sunt cogniti in plateis, propter iniquitates eorum. Quod quam acerbū? quam miserū sit? mulierum studium demonstrat, quæ vultus sui maculas, materiali candore oblineant, & exquisito rubore perfundunt. Qualis ergo erit calamitas, maculare faciē animæ? denigrare faciem eius sup carbones infernales? maculas superinducere candori eius? detrahere vestem illam decentissimam gratiæ, qua turpitudinē eius naturalem contexerat Deus? propter quam, admirandam & conspiciendam illam, ab vniuerso terrarum Orbe effecerat? propter quam Reginam quandam, dicam potius Deam quia Deificatam, illam constituerat? propter cuius splendorem, illam superiorem, & excelsiorem, & nitidiorē quacunque creatura pulcherrima esse voluerat? *Minuisti eum paulominus ab Angelis* Quare? *Quia glória & honore coronasti eum*. Dixisses melius, Quia coronam aureā gratiarū, imposuisti super caput animæ: Quia glorioso & honorando candore decorasti eā: extulisti eam maxime ab Angelis, in gradu naturæ subsistentibus tantum. Gratia.n. & gratiæ participes, Deus & Deitatis consortes, celsiores sunt quacunq; creatura, in naturalibus donis relicta. *Candidores sunt*, ait Propheta, *Nazaræi eius niue, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchiores. Saphiro* non illo tātum, quem in annulis gestamus, sed & illo qui ex digito Dei cecidit, &

Mala animæ grauiora quā corporis.

Peccatū animam deturpat.

Allusio ad Luciferum.

Psal. 8.

Thren. 4

& confractus est; qui de medio ignitorum lapidum eiectus; qui de ciuitate illa admiranda, ex lapidibus pretiosis constructa, exturbatus & in excrementa mūdi, in illum fœtidum locum & tenebrosum inferni coniectus est. Dum igitur homo contaminat animam suam; dum commaculat faciem eius spurcitie peccati; dum amittit decorem eius; an non miserandum est? An nō maxima miseria est ista? Miserandum ducitis, faciem corporis habere deformem, luridā & maculis uspersā; qui decor vel quę deformitas, tandem in cineres, breui tempore resoluenda est. magis miserandum est, animam habere conspurcatam. Spurcities.n. ista, sempiterno tempore duratura est; maculæ istæ, neq; ignib. inferni exurendę, neq; aquis st ygialibus eluendæ, neq; a terræ hiatu deuorandę sunt. Miserum æstimatis, faciem corpoream circumgestare deformem; eo quod turpe est hominū conspectui apparere deformem. Deformem in conspectu Diuino, & Angelorum & vniuersi Orbis apparere, nō magis miserum est? Miserum iudicatis iracundum, vel quisquis ille est peccator, qui furentium instar, audaci & minaci vultu, tristi fronte, torua facie, flagrantib. atq; micantib. oculis, ore rubicundo ab exæstuato ab imis præcordijs sanguine, labijs trementibus, dentibus compræssis, horrentib. ac subrigentib. capillis, fœda visu & horrenda facie, arreptitijs vel potius bestijs non absimili, intra hominum consortium se ingerit; Qui maiores defectus, turpiorem animam habet, & ingerit se consortio Diuino & Angelico; an non magis miserum iudicabitis? Vos ipsi testes eius miseriæ estis. Cur.n. tantum habet momenti, & roboris, ad eos qui peccant feriendos, vt plurimi turpissimis flagitijs insignes, cum id quod sunt, se vocari audiunt, modeste ferre non possunt; sed vt quis acerbissima sint perpessi, ita sæuiunt neq; efferuntur. Cur si quis vel mulieré adulteram, vel stupratam virginem, ex actu ipso fœdissimo vocauerit; vt qui maximis inimicitijs affecerit, irreconciliabilis efficitur repente inimicus? Quamobrem cupidum quemq;, & ebrium, & elatum ac tumidum, omnesq; penitus qui graue aliquid peccauerint, videas non tam opere nefario, multitudinisq; opinione morderi ac dolere, sicut appellationibus proprijs operum suorum? Faciem animæ suæ deturpatum habent; de turpitudine animæ suæ verecundiam habent. Miseram hanc sortem animæ, peccatorum maculis a spersæ, vel inuiti

Turpis animę sūma miseria.

Peccatores nolūt nomine suorum facinorū appellari.

inuiti agnoscunt. Repletur multis miserijs. Peccatum excęcat hominem.excæcauit.n. illos malitia eorum, Et hoc malũ miseriam maximam Thobias iudicauit. Quale inquit mihi gaudium, qui in tenebris sedeo, & lumen Cęli non video? Nulla res miseriam meã releuare potest, quia in tenebris sedeo: Quia Creaturas Dei manu effectas, mundi orbem admirabilem, varietatem distinctam rerum, lucem Solarem, pulcherrimum cæli tectum stellis distinctum; terram tanta pulchritudine florũ depictam; amplitudinem maris; cursum fluminum; originem fontium; montium altitudinem; fertilitatem collium; fructus vberes camporum, & breuiter omne illud, quod manus Omnipotentis Dei condidit, videre non possum. O si quandoque persensisses cęcitatem animæ, dum per peccatum splendore, & lumine Diuino priuata, iacet in tenebris, & in mortis vmbra sedet: non miseriam, non calamitatem dixisses, sed delicias cæcitatem corpoream, comparatam cæcitati spirituali. Omnis.n. qui peccat, dicebat Ioannes, non creaturam quidem, sed Deum non videt, nec nouit eum qui fecit omnia. Peccator tollitur a conspectu Dei ne videat, non orbem mundi admirabilem, sed Ciuitatem illam supercælestem Hierusalem, a Deo paratam, ut sponsam exornatam viro suo: non tantam varietatem confusam rerum mundi, sed infinitam dulcedinem gaudiorum Cęlestiũ: non lucem Solis, sed lucem illam quę septempliciter magis lucet quam Sol; lucem illam inaccessibilem æterni Solis, inquam & Angeli, Aquilæ illæ Cęlestes desiderant intueri: non tectum stellarum, sed Theatrum illud Beatorum spirituum, assidentium Throno Diuino: sed illos qui fulgent sicut sol, & sicut stellæ in perpetuas ęternitates: non terram depictam floribus; sed Cęlum ornatum lumine, & splendore Angelorum; sed Ciuitatem illam constructam, ex viuis lapidibus, & margaritis pretiosis; non amplitudinem maris, sed immensum illud pelagus bonitatum, vnde decurrunt flumina ignea charitatis; vnde deriuantur fontes gratiarum & donorum; vnde resiliunt aquę, extinguentes sitim perennem animarum; Non altitudinem montium, sed sublimitatem Throni Diuini; sed celsitudinem montis illius pinguis, montis coagulati, montis in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. In quo non iam pane hordeaceo, sed hęreditate Patris Iacob pascit suos. In quo conuiuium

Cęcitatis animę grauitas.

1. Ioã. 3.

uium sempiternum suauissimis delicijs refertum, suis præparauit; non fertilitatem terræ sed exuberantiam totius boni, sed affluētiam suauitatum, quibus satiandi sunt omnes, eo tempore dum apparuerit gloria Dei. Quam miseranda est hæc cęcitas? Quam deploranda calamitas? Hic potius vsurpandū est; Quale gaudium est mihi, dum in tenebris sedeo? Dum in illo loco obscuro, vbi vmbra mortis, & nullus ordo sed sempiternus horror in habitat; vbi tenebrę crassiores quam Aegyptię vel Cymeriæ sedeo, lumen illlud admirabile, in quo videndum est lumen essentiæ Diuinæ, non video. Repletur multis miserijs.

Prætermittere hic non possum, tres illas vel maximas miserias animæ, per peccatum adductas, scilicet. Remorsum conscientiæ: captiuitatem Sathanæ, & Offensam Dei. Remorsum conscientiæ, dixi maximam esse miseriam animæ. Seipsum etenim vnusquisque & animum suum, seuerum iudicem, sui vltorem sceleris, & vindicem criminis habet. Dixit quidam Poetarum, Lege Deùm stabili, semper metus angis iniquos. Pythagoras autem censuit, neminem esse tam audacem, quem mala conscientia non faciat timidissimum. Cum.n. Deus & natura, in humano corde, scintillam quandam ardoris, ad bonum virtutis amplectendum, atque ad malum fugiendum reliquerit; nemo est qui huius scintillæ natura exustus, non horreat ad missa peccata, atque intus laceretur; nemo est qui scelerum conscientia, vt aculeo quodam non pungatur, Prima.n. peccati pęna, (vt agnouit Seneca,) est peccasse. Improbitas, dicebat Cicero, *a* cuiuis improbo in animo versatur, nunquam sinit eum respirare; nunquam acquiescere. *b* Improbi pęnas luunt, nō tam iudicijs, quam angore conscientiæ fraudisque cruciatu. *c* Animi conscientia improbi cruciantur, tum etiam pænæ timore, qua aut afficiuntur, aut semper sunt in metu, ne afficiantur aliquando. *d* Sua quemque fraus & suus error maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit; suæ malæ cogitationes conscientiaque animi terret. Hæ sunt impijs assiduæ, domesticæque furiæ, quæ dies noctesque pœnas a sceleratissimis repetunt. Hæc conscientia vociferans, Occidisti, Violasti, Offendisti, & siquid aliud tale; est comes indiuisa, turbulenta tempestas, animum perpetua iactationem concutiens, assiduisque terroribus obiectis, incessante

Remorsus conscientiæ grauitas.

a 1. de Finib.
b 1. de Legib.
c 1. de Finib.
d Pro Rosc. Amer.

ter exagitans. Hæc est vermis, ille qui non moritur, sed sempiterno morsu corrodit viscera peccatorũ. Hæc est, serpentes illi pessimi, de quibus Deus per Hieremiam dicebat, quod illis nõ est incantatio; qui, inquit, semper mordebunt vos. Si aliquis vestrum transfixus esset veneñato telo, quod è corpore euelli non posset, nullum tẽporis punctum à dolore vacuum haberet: sic vbi iniustitię mortifera romphea, in animę viscera penetrat, & in pręcordijs hæret, animæque mortiferum vulnus imponit, vix quicquam est, quod vos miseros homines valeat, ex summis angoribus, & assidua dolorum acerbitate liberare. Cum.n. totius miseriæ fontem, intra pectus habeatis, euenit vt nunquam uim molestiæ, a se dimouere possitis; sed quocunque pergatis, eximio dolore & solicitudine constrictemini; neque domi quietem, neque foris oblectationem inueniatis. neque domus, neq; ciuitatis, neque celebritas, neque solitudo uobis, vobis peccantibus iucunda esse potest; dũ animum vulneribus iniquitatis, & iniustitiæ, confossum & conscissum gestatis. Sed sicut, dum alicuius vestrum uiscera ardentissima febris exurit, nullo modo in latus unũ consistere põt, sed modo in hanc, modo in illã partẽ uolutatur, atq; iactatur neq; tñ in tot mutationibus quietem, quam quęrit inuenit; ita & uos peccatores, uix ulla rerum aut locorum mutatione, infernalem peccati fornacem, quam intra se succensam circũmfertis, extinguere potestis. Quid enim est illud, quod ut canis die noctuque latrat ad cordis aures. Tu occidisti, Tu fornicatus es, Tu eripuisti, Tu defraudasti, Tu furatus es; Quid est quod nec minimo tẽpore, ab istis latratibus desinit? Quid uero illi angores & dolores, vt nunquam animo hilari, uel læta facie, ex horum commemoratione consistere ualemus? Sed siue in amplexibus uxorum requiescatis, siue musicos sonos audiatis, siue aliud quippiam faciatis, conscientię aculeis exagitati, tristem semper præseferamus faciem. Repletur multis miserijs. Est & altera miseria animæ peccãtis; Captiuitas. s. Sathanę; in q̃ abegit & coniecit Deus peccatricem animam. Seruias inimico tuo, ait. Moyses, propter peccata, quẽ immittet tibi Dñs, in fame & siti, & nuditate, & oĩ penuria, & ponet iugũm ferreũ super ceruicem tuã, donec te conterat. Ponamus hic aliquẽ ex uobis, esse Regem oĩbus preeminentẽ, & oẽs pręcellentẽ: ad cuius fęlicitatẽ nihil ꝙ mẽte excogitari põt desit: tñ infor-

[Left margin: Conscientia cruciat malos die ac nocte. — Captiuitatis animæ grauitas.]
[Right margin: Hiere. 8. — Deut. 28.]

infortunium deuenisse, vt ipso quidẽ Regno spolietur, & in potestatẽ immanissimi alicuius Tyrãni tradat. Qui crudeliter hac victoria vtés, te ferreis cathenis vinciat, & in stabulo iumentis seruire præcipiat, & furfuraceo pane, aliorũ captiuorũ more, victitare iubeat; neq. aliqñ ab aliorũ captiuorũ miseranda sorte, te leuare vellet, An nõ summũ genus miseriæ, tibi cõtigisse proclamares? An non summas anxietates, summos æstus animi patereris, dum te ex amplissima fortuna, qua semper potitus fueras, in tam diram captiuitatem, & seruitutem adductum videres? Non intra temetipsum lachrymabiliter, cum singultibus & suspirijs diceres? Egone opulentissimus, hoc regnum amisi, & immanissimi Regis seruitutis subactus? Ego ab vxoris, filiorum, Principumque meorum complexu diuulsus? Egóne ferro & compedibus vinctus? Ego cuius mensæ delicijs, terræ marisque diuitię, seruiebant; nunc furfuraceo pane alor? Mene sors infœlix, ad hanc miseriam & calamitatem adegit? Verum misera hæc captiuitas, ad captiuitatem animæ ludicrum est. Malus est Cælesti Regno, quam temporario & terreno priuari. Grauius est æternitatem trãsigere in captiuitate, quam etiam si mille annos. tempus .n. breui spatio definitur, æternitas vero nullo termino circumscribitur. Acerbior captiuitas est, sub Principe mundi Diabolo, atrocissimo generis humani hoste, quam sub immanissimo quouis homine. Grauius claustris gehennæ ferreis, quam compedibus vinciri. Miserabilius inter Dæmones, quam infimæ sortis homines captiuos, diuersari. Luctuosius est in gehenna, quam in stabulo iumentorum commorari. Acerbius inter gehennę igneos globos perpetuo volutari, quam humi cum cæteris captiuis cubitare. In hęc autem vincula, in hanc captiuitatem peccatum nos conducit, Hoc iugum ferreum, imponit peccatũ nostris ceruicibus. Huius miseriæ causa peccatũ est. Homo quia natus de muliere, repletur multis miserijs. Est tertia miseria animæ peccantis, offensa s. Dei. Iam nouimus omnes. ꝙ nullũ bonũ ex nobis habere possumus; ꝙ omnis sufficientia nostra a Deo est; nos añt non sumus sufficientes, neque cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Pluries nobis significatũ est, Deum eo nos amore complecti, sicut solet mater, vel pater, vel nutrix dulcissimum filium. Ego, ait Deus, quasi nutritius Ephraim, portabã eos in brachijs meis. Ego factus sum Israeli Pater

Deut. 32 (margin, mirrored)

Miseria peccantis offendere Deum.

Ose. 11.
Hie. 31.
Psal. 102.

Pater,& Ephraim primogenitus meꝰ est. Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timētib. se. Scitum est ab vnoquoq., omne datū & omne bonum optimum, non aliunde descendere, quam a Patre luminum, qui dat omnibus affluenter. Neque illud ignoramus, Deum esse vt Aquilam volitantem super filios suos, & protegentem ab omnibus, Serpentis ini qui incursibus. Hoc quoque experimur, magis quam scimus, mundum istum, dum sine Deo viuimus, esse abyssum curarum, continuam militiam, assiduam mentis corporisque iactationem; in quo labor laborem excipit; cura curam trahit; dolor ex dolore nectitur; infinitæ curæ atque molestiæ animum peruagantur. Qualis igitur erit calamitas offendere eum, talem ac tantum Bonorum largitorem? Qualis & quanta erit miseria, a gratia eius excidere, a quo vniuersa nostra salus, & omne bonum nostrum dependet? Summam infęlicitatem æstimatis, in iracundiam concitasse Principem vel Regem, a quo affectu amoris complexi estis: Non infælicitatem arbitrabimini, offendisse illum Regem, cui Angeli seruiunt, cui elementa famulantur? a quo Cęlū & terra pendet? ad cuius nutū Cœli columnæ contremiscunt; ante cuius conspectū Vniuersa mundi machina, vix vnius guttæ instar obtinet; cuius beneficio regimur ac viuimus; cuius numine gubernamur, cuius prouidentia disponimur; cuius cibis alimur; ac postremo, sine quo nec esse nec viuere, nec loco moueri, nec spirare ad momētū possumus? propter cuius gloriā, si mille obeundæ essent mortes, nondum illius beneficijs esset satisfactum. Hunc igitur talem ac tantum Regem, bonorum profusorem prodigum, offendisse nō infælicitatem arbitrabimini? Non miseriam? Nō calamitatem? a qua omnes calamitates & miseriæ, siue illæ sint corporis, siue animæ, propter peccatum descendunt? Qui comminatur. Et inquit, Deut. 31. irascetur furor meus, contra eum in die illo; & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationē Inuenient eum omnia mala, & afflictiones, ita vt dicat in illo die. *Vere quia non est Deus mecum, inuenerunt me hæc mala.*

Ast ò nos, tanto miseriores & infęlicissimos, quanto hęc mala & miserias, & infælicitates minus sentimus. Quis enim nostrum aduertit, & persentit languores illos, & mala illa per-

la permaxima, quæ anima quotidie ob peccatorum atrocitatẽ perpetitur? Quis miseram illam conditionem corporis, pro peccatis se sufferre agnoscit? Nullus plane. *Lectantur omnes cum male fecerint*, quasi beneficio aliquo affecerint seipsos; *exultant in reb. pessimis*. quasi fęlicissimũ statum adepti fuissent. Ac vt relinquamus corpus; de quo etiã dixerim obiter, quod peius tractatur a nobis, quam latrina aliqua. Latrinas.n. caute curamus, vti ne obstruantur, stercusq; ad superiora exhalet: corporis autem nostri mala, non emundare curamus, verũ delitijs obstruimus, atq; oppilamus, & fimo ipso ad superna ascendente, vbi Rex ipse sedem habet, cerebrum. s. desidemus, nullaq; mouemur cura. Canis infirmatur & moritur; nihil nõ remittimus, quò perfecte sanetur; corpus nostrum propter peccata, tot malis & infirmitatib. subiacet, nemo est qui relinquat vitia, nemo est qui euomat venenum peccatorum, vt tandem valetudine, & bonis corporis fruatur. Seruus dum exhalat animã, si fidus fuerit, medicos accersimus; expensas facimus, vt vitam longius protrahere queat: corpus nostrum quotidie moritur, quotidie spirat animam propter peccatum, & nullus est qui causam mortis, è suo corpore eradicet; omnes pernici cursus volamus in fęliciter ad mortem. Dicam de anima, vel cum Augustino, vel cum Chrysostomo. Cum Augustino. Longam cænam, malam nemo vult habere, nec ferre longam vitam, malam pene omnes volunt hãbere. Puto nihil in omnib. actionibus, cogitationibus, cupiditatib. nihil male volumus. Terram malam non vis; segetem malam nõ vis vtiq; sed bonam. Bonam arborem vis: equum bonum, seruum bonum; amicum bonum; vxorem bonam. Et quid hæc magna? Quoniam quidem ipsam vestem, malam non vis habere sed bonam; caligam postremo nõ vis habere nisi bonam; aut da mihi aliquid, te velle quod malum est. *Solam animam vis habere malam.* Cum Chrysostomo vero. Ædes pręclaras instruitis, dũ emitis pretiosissimas villas; dum apparatus alios magnificos quęritis, animas vero vt vile aliquid negligitis. Ad ligna vsq; & lapides hoc studium producitis, animam vero, nec minima quidem diligentiæ huius parte, dignam iudicatis. Cumq; vt in domo sta tua antiquo opere admiranda consistat, & tecta aurea rutilent, cuncta moliamini, preciosissimam omnium statuam animam, quatenus auream efficiatis, nullam curam gerere vultis. Dicam

Hominũ insensibilitas qualis.

Animæ minorem habemus curã quã calcei.

Ec ego.

ego. Calceum conspurcatũ luto habetis, & continuò illum extergitis, anima sordib. spurcissimis vitiorum oblita iacet, anima in cęno inferni volutatur, & nullus est qui maculas eius extergat, & emundet. Nihil hic dicere amplius volo, de exquisitis fucis facierum, Qui licet sciamus, Deum ita nos alloquentem, & prohibentem colorem peregrinum faciei, apud Cyprianum. ta lib. increpatorijs sermonib. de nostra facie iudicantem. Opus hoc meum non est, nec hæc imago nostra est. Cutem falso medicamine polluisti, crinem adulterino colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est; vultus alienus est; Deum videre non poteris, cum oculi tibi non sint quos *Deus* fecit, sed quos Diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, cum illo pariter ar sura, Tamen nihil non omittimus, tot sumptus expendimus vt contra Dei voluntatem corpus nostrum colamus, ornemus, & depingamus, Anima in vitiorum squallore consenescit, neq; verbũ de illius ornatu & mũditie a vitijs, mussitamus. Calceus pedẽ prẹmit: ex tunc pedi prouidemus. Scrupulus grauissimus acerbe animam compungit, nihil de illius angorib. de nostris dico angorib. nihil curamus. Quid de nobis, nos ipsi meruimus cur nihil volumus esse malum, nisi nos solos? Quis nos ita fascinauit? Quis adeo cęcos, stupidos, & ab omni humano sensi abhorrentes fecit? O ferreas hominum mẽtes, ò pectora cæca, ò dementiam sanguineis etiam lachrymis deplorandam, Vbi quęso sensus? vbi ratio? vbi iudiciũ? vbi consilium? vbi saltem naturalis periculorum, & malorũ fuga, quę tanto velocior est, quãto periculũ imminens est grauius? Quis nos ita de mente Seduxit? Quid ita sensus nostros obstupefecit? Vnde tantus mentium stupor? hæc tam densa animorũ caligo? Redite, redite, tandem præuaricatores ad cor. Vidistis quod propter peccatum, nullam vitæ horam habemus, aut dolore vacuam, aut labore solutã, aut metu liberam, sed omnem ętatem infinitis difficultatib. affectã, & summis curis & angorib. implicatam. Propter peccatum, vitę principium a fletu ducimus: deuinctisq; membris omnib. in terram abiecti, labores imméfos a ploratib. auspicamur. Cum autem reliqua animantia, præsidijs natura tecta atq; vestita in lucem prodeant; propter peccatum, solum hominem nudum, & ab omnib. rebus inopem cernimus, atq; miserabiliter impedi-

de habitu virg.

ditum, in vitæ primordijs vagientem, statusq; sui miseriā in ipso statim initio lamentantem. Propter peccatum, morborum vim & multitudinem, qui in illam naturam tenerā & imbecillam confestim incurrunt, nullus oratione complecti potest. Propter peccatum, animi voluptates, multis doloribus emptę, neruos omnes incidunt; dolores admoti totum hominem impetu prosternunt: dominandi libido inflammat animum; inuidia eundem conficit & consumit. Propter peccatum, venerunt nuptiarum molestię, familiæ labes, vitæ solicitudines, fori contentiones, lubrica amicorum fides, sociorum proditiones, rerum ciuilium turbines atq; procellæ. Propter peccatum, exhausti corporis deformitas, mors terribilis. Homine, propter peccatum, nihil in terris calamitosius est. Redite igitur præuaricatores ad cor, redite per Deum; miseremini vestri, qui aliorum miserijs miseremini. Ne obruatis tantis procellis calamitatum, vos metipsos; ne excitetis tantas tempestates miseriarum, in vosmetipsos. Si vt faceretis ista, cuicunq; alteri, vos adhortatem, possetis habere qualem qualem excusationem, vt illum tot miserijs exponatis; vt faciatis vobis, in vestrum commodum; nihil prętendere potestis. Maiori in pretio animam, quam vel caligam vel statuam habeatis. Propter Peccatum. n. homo natus de muliere, repletur multis miserijs. Quas miserias cum Socrate vt agnoscatis; cum *Beata Virgine quæ fuit sine macula peccati & sine calamitatibus peccati*, vt euitetis; Christus destructor mortis peccati nobis concedat in sæculorum sempiterna sæcula Amen.

(*)

AD TE SVSPIRAMVS

Tu autem cum oraueris intra in Cubiculum tuum. Math. 6. c.

CONCIO VIGESIMAQVINTA

In qua orationis contemplatiuæ ſeu Mentalis excellentia deſcribitur.

ARDOREM immenſum, quo Deus fugientem naturam humanam proſequitur, ſi quis diligentius meditatus fuerit; illum facile cognoſcet, non in eo tantum, quod hominem ſibi copulare, ſed quod varijs modis, eum ſibi coniungere, familiaremq; efficere cupit. Vt enim centrum, ſine quo conſiſtere non poteſt circulus Orbis, non ab vna, ſed ab omnibus partibus, quamcunque circumferentiam Orbis ſibi adiungit: Sic & Deus cum ſit centrum in medijs & intimis viſcerib. creaturarum; ſine quo nulla creatura nec eſſe, nec viuere, neque moueri poteſt, non vno tantum, ſed multis ac varijs modis rationalem creaturam, in ſuum conſortium aſciſcere exoptat. Hinc cõfert virtutes, ſiue infuſas ſiue morales, hinc copioſiſſima dona Sancti Spiritus, larga manu tribuit; hinc gratiam ſiue illa ſit ad operationem mirandorum, ſiue ad iuſtificationem animę infundit; vt Deiformes efformet, ſuęque naturæ conſortes efficiens, ſibi arctiſſimo, eoque indiſſolubili vinculo coniungat. Et ſponſabo te, inquit Deus, mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide. Inter hæc vero media, quibus Deus animam ſibi obligat, non poſtremum locum obtinet oratio.

Deus hominẽ modis omnibus ſibi coniungere cupit.

Oſe. 2.

Oratio

Oratio enim vt Damascenus reliquit, est ascensus mentis in Deum. Oratio ad hoc instituta est, vt Regalem illam ingressi Aulam, non eam quæ in terris est, sed illam quæ multo sublimior & Diuinior in Cęlis, tanquam vnus ex Angelorum choro, Deo familiares efficiamur. Oratio (vt quidam pręstantissimi dixerunt,) est veluti aurea cathena, è Cęlo in terram demissa, per quam qui ascendere velit, videtur quidem cathenam ad se trahere, re autem vera trahitur ipse ab illa, in Cęlum. Oratio est per quam sponsa Dei anima, Deum absconditum quęrit, atque in sui cordis secretum thalamum introducere, atque in eius amplexus & oscula ruere, delicijsque affluere intentat. Quid est igitur, quod Saluator orantes docet, atque præcipit illis; vt cum supplici præce, quæsituri sunt Deum, intrent in cubiculum. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora in abscondito Patrem tuum?* Quid est quod iubet. Orantes nolite multum loqui, sed suspirate, sed in cordibus vestris abscondi tis meditemini? Intra in cubiculum tuum, & ibi quære Patrem tuum? An non quæsiuit anxia sponsa in cubiculo suo; & tamen nihil inuenit? In lectulo, ait, meo, per noctes quæsiui, quē diligit anima mea, quęsiui & non inueni. Vbi vero inuenit? Surgam & circuibo, inquit, Ciuitatem, per vicos & plateas, quærā quem diligit anima mea. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt Ciuitatem: & paululum cum pertransissem eos, inueni quē dili git anima mea. Cur ergo præcipit Christus? Tu cum oraueris, intra incubilum tuum? Nonne ibi est quærendus Deus, vbi est? Est in cœlo. Dominus in cœlo parauit sedem suam; in Cœlo quærendus ęst: In illa Ciuitate super cęlesti, *dum pertransiuit vigiles* nunquam dormientes, sed semper laudantes, sponsa inuenit quem diligebat; In illo throno sublimi, inter vigintiquatuor seniores residentem, inuenit Deum Ioānes: Est deinde in illo tabernaculo suo Deus, qđ construxit inter homines. Dominus in tēplo in Sancto suo; in tēplo igitur quærendus est per orationē. In templo inuenit eum Maria. Cur ergo præcipit Christus, Tu cum oraueris intra in cubiculum? Ad quid templa per totum terrarū Orbē, constructa sunt, nisi ad quærendū Deū? nisi ad orandum? Cur Petrus & Ioannes, ascendebant in templum, ad horam orationis nonam, nisi vt orarent? Quod si dicas, Deū non modo in tęmplo, vel in Cęlo esse, sed Cęlum & terram im-

Oratio est eleuatio mentis in Deum.

Cant. 3.

plere; itidem ego affirmo; cubiculi tamen secretum, nondũ mihi reseratũ est, præsertim cũ optime norim, Iacobũ Patriarchã nõ ĩ cubiculo, nõ in domo, vbi tot solicitudines & curę aĩm ei⁹ distrahebãt a Deo, Deũ inuenisse, sed in illa vasta solitudine. Vidit in somnis scalã stantem super terram, & cacumen illius tangens Cęlos, Angelos quoq. Dei ascẽdẽtes, & descẽdẽtes per eam, & Dominum innixum scalæ, Quid ergo? Cum oraueris intra in cubiculum tuum. Quid vero? orantes nolite multũ loqui? An non Dauid manib. etiam, non solum voce quæsiuit Deum, & tamẽ inuenit? In die tribulationis meæ ait, Deũ exquisiui manib. meis nocte contra eum, & non sum deceptus. An Ecclesia, voce sonora oẽs suas pręces persoluẽs, Deũ nõ inuenit? cui dictũ est. Ecce ego vobiscũ sum, vsq. ad consumationẽ sæculi? Quomodo igitur. Intra in cubiculũ tuũ? & nolite multũ loqui, sed suspirate? ¶ At lõge verissimũ est, oportere eũ qui oratione sua exquirit Deum; *intrare in cubiculum, sed in cubiculum* illud internum mentis, cuius secreta solus ille qui nouit omnia, intuetur; cuius amplitudinem solus ille replet, qui summum bonum existit. Necesse est orantem, non multum imo nihil penitus loqui, sed pia meditatione ex intimo corde ad Deum sese eleuare. Iubet. n. Christus (vt exponit Author operis imperfecti,) vt anima interiorẽ ingredi atur intellectũ qñ orat; vt nihil cogitet nisi de quo orat & quem orat. vt claudat ostiũ sensus suis carnalis, vt omnes cogitationes carnales, & solicitudines foris excludat. Si autem orans de carnalibus cogitaueris, non introisti interiorem intellectum, nec clausisti ostium sensus; & ideo tacite cum cogitationibus superfluis anima loquens, orationis perdit tempus. In media Synagoga orat, qui in medio multitudinis malarum cogitationum orat, vndique mundi solicitudinibus circundatus. Dũ orans cogitas de vxore, de filijs, de mancipijs, de domo, de possessionib. de pecoribus, de militia, de lucro, de capsis & alijs quæ sunt innumerabilia, quæ super cor incaute orantis ascendunt: hæc est Synagoga malorum. Omne istæ variæ species cogitationum, diuersi sunt immundi spiritus. In media ergo Synagoga orat anima tua, quãdo tot secum immundos spiritus habuerit spectatores, & colloquentes. Oratio deinde, cordis est non labiorum; neque .n. verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. *Sedebit solitarius* dicebat Propheta *& tacebit*

Gen. 28.
Psal. 76.
Allegoria cubiculi.
hom. 13.
Intrare cubiculum quid.
Orare in medio Synagogę quid.

Thren. 3. *bit, & eleuabit se supra se. Sedebit* quietus ab omnibus motibus inodinatis, soli Desiderio conditoris inhærens, *Sedebit* calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris inardescens. *Sedebit solitarius*, secretus ab omni turba vitiorum, ita vt non torqueat illum conscientia; non cordis archana crucient; non coarctet auaritia; supbia nō accuset; nō cōsumat inuidia; nō inflāmet cōcupiscentia; nō inferstet luxuria; gula non dehonestet; rapacitas non obiurget, discordia non dissipet; non ira perturbet; non leuitas dissoluat; non torpor opprimat; non fallat hypocrisis, non distrahat rei familiaris cura: *Sedebit solitarius* Mens enim nostra ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiose subtrahatur. Mens nostra, nullo modo ad vitam intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius a terrenorum desideriorū tumultu sopiatur. Quomodo enim ille meditabitur Beatitudinē Diuinā, qui Deū suum sibi, ventrem constituit? Quomodo ille de Deo cogitabit, qui Dæmonem cū suis actib., ante suos oculos, vt ideam quandam sibi, proponit. Ille, quomodo Cęlum cū suis delicijs aspiciet; qui totus terræ adhæsit? Quomodo eleuabit se supra se per contemplationē; qui semetipsum deprimit infra se, in modum animalium, per vitiorum multitudinem? *Sedebit solitarius*, Intrandū est in cubiculū, secedēdū in solitudinē cū Iacob. *pertransenda est turba custodū Ciuitatis* corporis nostri sensuū, cū sponsa, *Nocte quærendum est*, qn̄ omnia cōquiescunt, cū Dauide, *Sedebit solitarius*; Deū exquisiui manib. meis nocte contra eum. Hoc idē suadebat quidā amicorū Iob. Deus p somniū, inquit in visione nocturna loquit, qn̄ irruit sopor sup hoīes, & dormiūt in lectulo. Tūc aperit aures virorū, & erudiēs eos instruit disciplina. Explicabat, Gregorius in hunc modū. Quia Sancti oēs q̄ diu in hac vita sūt, Diuinæ naturæ secreta, quasi sub quadā imaginatione conspicūt; videmus .n. p speculū in ænigmate, Ideo Deus in visione nocturna loq dicit. Nox quippe est vita præsēs, in qua q̄diu sumus, interna conspicimus sub caliginis imaginatione. Per somniū vero loquitur, Dei .n. secreta nō cognoscimus si in terrenis desiderijs vigilemus. vox Dei p somniū auditur; qn̄ trāquilla mēte, ab huius sæculi actione quiescitur, & in ipso mētis silentio, Diuina præcepta pensantur. Non vacat certe mysterio, cur Moysi non in Aegypti turbine, sed in solitudine Pharan Deus apparuerit; & hoc non qualicūq. sed mirabili & secreto

Solitarij vident Deum.

Greg. 5. Moral.

Per somniū Deū videre q d

Allegoria Moysij orātis

modo. Primo.n.cũ profugo illi, se in Rubo videndũ demonstrasset, calceamenta etiam soluere iussit. Ne appropies huc dicit, sed solue calceamentum de pedib. tuis. Deinde cum Principem illũ, corã populo cohonestãdũ sua visione dignasset: iussit solũ ascẽdere in mõtẽ. Moyses autẽ (vt sacra hystoria docet,) solus ascẽderat in montẽ, cũ Deo locuturus. senioribus autẽ dixit: Expectate hic, donec reuertar ad vos; habetis Aarõ & Hur vobiscũ si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Ac vt maior ad huc esset solitudo, solitudini caliginem addidit, quæ corporea cuncta conspectui loquentis auferret. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Synai, tegens illum nube sex diebus. Quam solitudinem adeo remotam esse voluit, vt præceperit constituere terminos per circuitum, ne populus ascenderet cum eo in montem, neque tangeret fines illius. Omnis enim qui tetigerit montem morte morietur, manus non tangent eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis; siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet. Edocere, voluit Dominus vt ille, quicunque Diuino alloquio, & conspectui eius se immiscere cupit, *calceos curarum terrestrium deyciat* è pedib. amoris sui; pes.n. meus amor meus; vt discalceatus ab amore terrenorum, appareat conspectui Dei, *vt Solus ascendat*, nulla bestia carnalis; nullum iumentum sensuale; nullus homo, humana cogitans debet ascendere cum eo. *Omnia relinquenda sunt, ad radicem montis*, omnia terrena in terram abijcienda, omnia ad radicem montib. internæ contemplationis, ad corpus.s. reijcienda sunt. Solus intellectus & voluntas; Sola anima, his duobus cornib. intellectus & volũtatis adornata, ingrediatur in montem: Solus.n. intellectus & volũtas, *illuminationis illius a montibus æternis*, participes esse possunt. *turbati sunt autem omnes insipientes corde, dormierũt somnum suum, et nihil inuenerunt uiri diuitiarum, in manib. suis.* Nihil inuenire possunt, viri diuitiarum mundi, quærentes isti diuites Deum in manibus suis. nihil possunt inuenire, in manib, suis; non.n. in nocte quęrunt, nõ in solitudine, nõ discalceati sed onusti diuitijs sathanę, diuitijs illis quas leæna & leo, vipera & regulus portarunt super humeros eorũ. Si.n. vt Dauid ita locuti fuissent. *Tibi dixit cor*, cor non corpus meũ, *exquisiuit te facies meas*, non pedes mei, *faciem tuam Domine*, non posteriora requiram. *Si cum manib. suis*, sed vacuis, *sed in nocte*. sed in somnio a terre-

Exod.24. & 16.

Allegoria Moysi cornuti.

Psal.

Isa.30.

a terrenis desiderijs, quæsijssent, inuenissent aliquid in manibus suis, non essent decepti. Si cum Iacobo Patriarcha soli remansissent, apprehendissent Deum. Iacob n. dum mansit solus ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, quem cum superare non posset, dixit ad eũ. Dimitte me, iam n. ascendit aurora. Respondit, non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Sic etiam sponsa, dum pertransisset turbam vigilũ ciuitatis; inueni, inquit, quẽ diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducã illum in domũ matris meæ, & in cubiculum Genitricis meæ. O audaciã humanam, ò patientiã & bonitatẽ Dei, ò supremã fęlicitatẽ. *Tenui nec dimittã* Quid? Audes inijcere manus illi, qui trib. digitis appẽdit orbẽ terrarum? qui manib. suis fundauit terrã, stabiliuit Cęlos, condidit vniuersa? Palmo tuo continere cupis, illum quem Cęli & terra capere non possunt? sine situ vbique pręsentem, sine extẽsione omnia implentem, sine contradictione vbiq; occurentem, sine motu omnia trãscendentem, sine statu intra omnia manentẽ, concludere pręsumis? Tenui eũ nec dimitã? *Nec dimittam*? An forte ignoras, quod ille non circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu? Nõ te dimittã, donec benedixeris mihi? *Non eum dimittam, donec introducam*? O bonitatẽ Dei. Siccine ò Deus meus, deuinctus es a Creatura. Tene inuincibilẽ, vinciet vermiculus? Cõtra te, sine infirmitate fortem, vilis homuncio præualebit? Tene in magnitudine infinitũ, suis angustijs cordis includet? Te pro suo velle abutetur? Te quem nec spatia dilatãt, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula aliqua coarctãt, *in cubiculum abducet?* O miraculũ miraculorũ; Deus a creatura vincitur. Quis maiora Diuinæ bonitatis argumenta excogitare potest? Quod clarius Diuinæ charitatis indicium? Quod firmius spei nostræ robur & firmamentũ? Quo sublimius humanæ naturę dignitas attolli vel debuit, vel potuit? Quis. n. fælicitatẽ, quę ex eo obtigit homini oratione complecti valet? Nihil mihi fortunatius, (aiebat Nazianzenus,) eo homine esse videtur, qui clausis compræssisque corporis sensib. atq; extra carnem mundũq; positus in seq; collectus, nec nisi summa necessitate impellẽte, quidquam humanarũ rerũ attingens, & secum in se & cũ Deo colloquẽs, superiorẽ reb. in aspectum cadentib. vitam agit, Diuinasq; species & imagines puras semp, nec vllis terrenis & errabũdis formis

Gen. 32. — Cant. 3. — in Apologetico. — Contemplantium fælicitas.

mis permixtas,in seipso circũfert, ac Dei rerumq; Diuinarum purũ omnino speculum est,indiesq; efficitur,lucique lucem,ob scuriori videlicet clariorẽ adiungit,ac iã futuri æui bono fruitur & cũ Angelis versatur,& licet adhuc in terris agẽs,terrã deserit atq; a spiritu in cęlo collocatur.Si quis vestrũ hoc amore correptus tenetur,quid dicã intelligit:atq; affectui,ei in quẽ tũ incidi facile ignoscet. Tenui eum nec dimittam, donec introducã. Sed vbi eũ inuenit?Quo in loco eũ appręhendit? In lectulo ;in Somnijs.Statim.n.vt cõpręhẽsus est ab ea spõsus,adiurat filias Hierusalẽ,per capreas ceruosq; cãporũ . Nę, inquit,suscitetis,neq; euigilare faciatis dilectã, donec ipsa velit. Ad instar parentum, qui ægrotantem filium,vbi forte salutarẽ somnũ carpere vidẽt, obseruare solent diligentissime,ne aliquo domęsticorũ strepitu, somnus illius intercidatur:Sic & spõsus,quia agnouit sponsam exijsse extra se,& in illo dulcissimo somnio,transijsse plateas & custodes murorum:& inuenisse dilectũ;tenuisse & introducere ad se voluisse: adiurat.Ne suscitetis,neq; euigilare faciatis dilectã,donec ipsa velit;fruatur me, meisq; alloquis quantũ velit , Leuã meã teneat,sub capite suo quantũ desiderat : dexterã meã collo suo circundet,& in amplexib. eius delicietur,quantũ optat.Sedebit solitarius:Intra in cubiculum . Sic sanctus Patriarcha Abraã,visurus Deũ,iubetur egredi paterna domo,& intra re solus ad mõtẽ. Dixit.n.ad pueros suos , Expectate hic cũ asino,ego aũt & puer illuc vsq. properãtes , postq̃ adorauerimus reuertemur ad vos. Sic Iacobo in solitudine,& in nocte,dũ esset solus, Dominus apparuit. Sic Elię in mõte,cui dictum est. Egredere,& sta in monte corã Domino, & ecce Dominus trãsijt,& spiritus grãdis,& fortis subuertẽs mõtes, & cõterẽs petras ante Dominũ, nõ in spiritu Dominus. Et post spiritũ cõmotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus. Et post ignem sibilus aurę tenuis . Quod cum audisset Elias operuit vultũ suũ pallio, & egressus stetit in ostio speluncę;& ecce vox ad eũ. *Non in spiritu* superbię tumido Dominus vr̃,ad humilem.n.& mansuetũ respicit. *Nõ in igne* iracũdię,vel luxurię vr̃ Dñs.Sol.n.iustitię nõ cadit super iracũdos;supercecidit ignis & nõ viderũt solẽ. *Nõ in commotione Dominus;* Nũquã cõmotioni ait Gregor.cõtẽplatio iungitur,nec pręualet mẽs pertubata cõspicere , ad quod vix trãquilla valet inhiare:

Cant. 3.Re. 19. Gregorius.

Quia

Quia nec Solis radius cernitur, quam commotæ nubes Cœli faciem obducunt: nec turbatus fons, respiciẽtis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit. Sic Apostoli in monte Thabor, gloriam Domini aspexerũt. Sic Paulus vas electionis, vt lumine Diuino impleretur, ad tertium Cœlum euectus est. Sic Ioannes in solitudine Pathmos, Deum in throno sublimi cum vigintiquatuor senioribus residentem intuebatur. Sic omnes Sancti, in illo portu perpetuæ quietis, securitatis & pacis; in illa beatissima ciuitate, in qua nihil est quale hic patimur, quale in hac misera vita cernimus, vbi nulla turbatio sed perenne silentium; in silentio vident Omnipotentem Deum. Quamdiu n. quis permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur; Quamdiu tumultibus conuersationis humanæ, terrenorum desideriorum cogitatione se ingerit, soli Deo vacare nõ potest; Deum inuenire non potest. Sedebit solitarius. Oratio autem ad hoc instituta est, vt Deum quæramus; Oratio est eleuatio mentis in Deum. Oratio est ad hoc inuenta, vt familiares Deo efficiamur: oratio est cathena qua trahimur ad Deum. Quę commodior ad Deum inueniendum esse potest, præter cõtemplatiuam, seu meditatiuam, seu mentalem? *Sedebit solitarius & tacebit, & quia tacebit*, quia nihil loquetur; quia tantum meditabitur, eleuabit se supra se, *Eleuabit se supra se*, siue vt sit solitarius, siue vt sit supra se, & supra naturam suam vnum cũ Deo Per orationem mentis eleuabit se supra se, vt sit solitarius. Certum est etenim, dum homo labijs orat, sæpissime varia cogitationum agmina, impetu maximo irruere in animam, atq; illam sibi familiarem efficere. vt vos ipsi experimini, Nolo adducere in medium exemplum illud D. Bernardi, de quo prodiderunt historiæ, quod vno tempore deplorabat coram quodã milite suum torporem, eo quod neque vnam orationẽ Dominicam voce recitare posset, absque hoc quod non diuerteretur in alias cogitationes. Miles cæpit irridere, seque iactare non tantũ vnam, sed infinitas posse orare, absque cogitationum distractione. Pactum postea inijt cum eo Bernardus, vt si eo modo recitasset, vnã orationem Dñicam, quo promittebat, lucraretur iumẽtũ cui D. Bernardus insidebat. Tali tamen conuentione, vt in conscientiæ vinculum iurasset. Cæpit miles verba proferre, Pater noster &c. Vix medium attigerat præcationis. Exclamauit

Oratio-nis uocalis distra-ctio.

uit voce magna; Et sellam, quis mihi dabit. Si etiam conuenit inter nos, de sella? Sic nos infelices dum ore dicimus. Pater noster. in mente tamē voluimus, Qūo vxori, qūo filijs, & familiæ, succurrendum. Qui es in Cęlis. nos autē de terrā cogitamus terram aratris cogitationum reuoluimus. Oratio vocalis, ita mentem humanam abducere solet, vt de quibusdam Dominus dixerit, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum, longe est a me.* Labijs me honorat, me labijs quęrunt, cor autem eorum longe est a me. Quanta enim nos a Deo reuocāt? Quanta a sublimi intentione detorquent? Quanta interpellāt? Quę turba phātasmatum? Qui populi suggestionum? Me dereliquit, aiebat Dauid, cor meum, non tantum te Deus. Me miserum, lamentabatur Aug. quoniam sic insensata facta est anima mea, vt non terreatur terrore nimio; dum stat ante Deum, & suas illi laudes decātat. Miserum me, quoniam sic indurauit cor meum, vt oculi mei indesinenter non producant flumina lachrymarum, dū seruus sermocinatur cum Domino suo, homo cum Deo, creatura cū creatore; qui factus est ex limo, cum eo qui omnia fecit ex nihilo. Si.n. Angeli te adorantes & laudantes tremunt, mira exultatione repleti; ego peccator dum tibi assisto, dum tibi laudes dico, cur nō corde paueo? vultu palleo? labijs tremo? toto corpore inhorresco? Sicque obortis lachrymis coram te indesinenter lugeo? Volo sed non valeo, quia nequeo quod desidero. *Labijs me honorant*, insonando Sanctificetur nomen tuum: cor autem eorum, non de Sanctificando, sed de polluendo nomine meo per blasphemias, periuria, maleficia, sortilegia, cogitat. Labijs me honorant inuocando, Adueniat regnum tuum, cor autem eorum longe est a me; longe quia in regno Plutonis; dū Regnū Diaboli, & Regnū vitiorum inducūt in animas suas, & Dęmonem suum Principem & Regē constituunt. Ipse.n. est princeps mundi, Ipse est Rex, super omnes filios superbiæ; cor eorum lōge est à me, dum Dæmoniacæ seruituti, se per peccatorum cogitationem subijciunt. Labijs me honorāt, dicentes Fiat voluntas tua; cogitatione autem cordis sui, voluntatem suam et Sathanę adimplere volunt. Dum alius meditatur, quomodo congreget diuitias, destruat horrea sua, hunc spoliet, illi eripiat, illi uiolentiā inferat, & uoluntati propriæ satisfaciat. Labiis me honorant dicentes Dimitte nobis sicut dimittimus; cor autem eorum lon-

Orare labijs quid.

est a me. Iracundia succensi vindictas meditantur. Talem si inuenero in platea, pugnis contundam, illo gladio confodiam, hunc pertraham in iudicium; mancipabo carceri, non dimittam donec reddat vsque ad minimum quadrantem; non ignoscam, quousque tandem, puluere sepulchri conspersos habebo oculos. Cor eorum perennes rixas, implacabiles iras, contentiones indissolubiles, bella interminabilia meditatur. Labijs me honorant orantes. Et ne nos inducas in tentationem; cor autem eorum longe est a me. Cor eorum apertum est ad omnem insultum inimici, omni fornicanti diuaricarunt corda sua. Labijs me honorant præcantes, Sed libera nos a malo: cor autem elegit mala, & accersijt sibi ea: Elegerunt magis mortem quam vitam; mala quam bona; infernum quam Cælum. Hæc impedimenta, istę cogitationes, inuadere solent animam in oratione vocis. Cum autem aliquis, intrauerit cubiculum cordis sui; cum sedebit solitarius & tacebit; cum ostium clauserit super se penetralium suorum, eleuabit se supra se ad solitudinem, dum orare in corde suo cæperit. Tunc deijciet calceamenta de pedibus suis, solicitudinem terrenorum. Tunc dicet ad semetipsum. Intentiones, cogitationes voluntates, affectiones & omnia interiora mea, *venite ascendamus in montem, vbi Dominus videt vel videtur*. Curæ, solicitudines, anxietates, pœnę, seruitutes, *expectate me hic cum asino corpore isto; donec ego, cum puero* ratione scilicet & intelligentia *reuertamur ad vos*; reuertemur enim & reuertemur quam cito. Tunc præcipiet; *vos populares turbæ, & bestiales motus, non transgrediemini terminos* quos ego posui vobis. Si enim aliqua ex vobis accesserit ad me, dum ego cum Deo loquor, iaculo timoris Dei configam, *Lapide fortitudinis immobilis animi, concutiam vos*. Non accedet illic malum, non; & flagellum dæmonis non appropinquabit tabernaculo tuo. Procul astabunt cogitationes vanæ, dispositiones pessimæ, turbationes anxiæ; non accedet, ad te immente tua orantem aliquod malum. Quia tacebis, sedebis solitarius; & quia sedebis solitarius, tacebis & eleuabis te supra te. Nisi forte cogitationem & attentionem tuam ad duo diuertas. quod vt possibile sit non video, vt simul de Deo & Dæmone mediteris. *Sedebit solitarius & tacebit, & eleuabit se supra se.* Per orationem mentis eleuabit se supra se, vt sit vnum

ego

Orationis mētalis utilitas.

Gen. Allegoria Abraam immolantis.

Orās mēte quo. ~~ uenit.

Dei amicitia, hæreditatis æternæ ac Diuini Spiritus charismata donata sunt. Eleuabit se supra se, dum procedet ad illud Solium, ubi immensa pulchritudo, summus ille rerum omnium Conditor & moderator, ex quo omnia oriuntur, per quem omnia conseruãtur, ad quem omnia diriguntur residet. Qui est primum & ultimum ens, in quo est omne bonum, omne uerum omne pulchrum; omne perfectum, a quo omnia pulchra, & bona, & perfecta uelut ab immẽso Pelago riuuli deriuant. Quę tũc colloquia cũ illo miscebit? Quę lętitia & gaudiũ internũ, hinc consequetur? Qui fructus? Quæ commoda? Tunc (vt Augustinus faciebat) alloquetur sponsum. Dulcis sponse, vnam petij a te, hãc requirã; vt inhabitẽ in domo Domini, omnib. diebus vitæ meæ. Præbe ergo mihi contemplationis alas, quibus indutus ad te volitem sursum. Tene cor meum manu tua, quia sine te ad altiora non rapitur. Volitanti ad te animæ, multa sunt quæ obstrepunt. Iussu tuo Domine conticescant omnia. Ipsa sibi anima sileat, omnia pertranseat, omnia quæ creata sunt, transcendat a se & perueniat ad te, atque in te solo creatore omnium oculos fidei figat; tibi inhiet, tibi intendat, te contempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde reuoluat, verum, & summum bonum, & gaudium sine fine mansurum. Quemadmodum enim ceruus desiderat, ad fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te Deus; Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando videbo te Deum meum, quem sitit anima mea? Quando te videbo in terra viuentium? In ista enim terra morientium, non te possum videre mortalibus oculis. Heu me quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar; multum & vere multum incola fuit anima mea. Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo & requiescam? Quam vero magnum gaudiũ sit, quo perfruuntur animæ, in tali & ex tali oratione, quę lingua eloqui potest? Quam magna multitudo dulcedinis Diuinæ, quam mirabiliter inspirat cordibus hoc modo orantium? Quam mira suauitas amoris, quo perfunduntur illi, qui tali cogitatione Deo adhærerunt: Soli norunt qui experti sunt. Quomodo enim Græce loquentem non intelligit, qui Græcam linguam non nouit, nec Latine loquentem, qui Latinus non est: sic lingua huius orationis, ei qui non

Orantis meditatiuè colloquia cum Deo.

Orationis mẽtalis fruct.

non orat, neque meditatur, barbara est. Dixerim hoc tantum. Fælices illi quibus Deus solus spes est, & omne opus eorum oratio. Beatus est ille, qui sedet solitarius, & tacet, & stat super custodiam suam iugiter die ac nocte; vt adhuc in hoc fragili corpusculo positus, prælibare valeat dulcedinem Dei. Nihil enim pulchrius, nihilue dulcius quam inter tenebras huius vitæ multasque amaritudines, Diuinæ dulcedini inhiare, & apud illum teneri mente, in quo vera esse gaudia certissimum est. Fælices æstimamus sanctos, quos elegit & assumpsit Deus, in illam Cælestem hæreditatem, vbi replentur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis potantur, & in lumine vident lumen Diuinum. Fęlices & illi sunt, qui prægustare possunt aliquid eius voluptatis; & si non in lumine, saltem in speculo, speculum illud purissimum intueri; si non cum carne, saltem cum anima aliquantulum euolare possunt, ad videndum illa quæ oculus non vidit; ad audiendum illa quæ auris non audiuit; ad contemplandum illa, quæ in cor mortale non ascenderunt. Fęlices æstimabat Regina Sabba seruos Salomonis, qui ordinem & sapientiam eius intuebantur; Fęliciores sunt illi, q̃ Salomonẽ illũ, Dei sapientiã quantum permissum fuerit, per hanc specularem orationem contemplantur. Qui enim adhæret Deo, efficitur vnus spiritus cum eo; serui autem Salomonis licet famulabantur ei, non tamen Reges creati sunt. Serui qui assistunt per contemplatiuam orationem Deo, non Reges mundi, sed Dij efficiuntur. *Qui adhęret Deo, efficitur vnus spiritus cum eo.* Sicut enim aurum liquidum, quodcunque tetigerit deaurat; vt solare lumen quocunque radios suos conuertit, omnia collustrat; vt ignea vis, cuique admota calefacit: sic Deus, aurum hoc purissimum & liquidissimum (Bonum enim est sui diffusiuum) animam quæ sibi adhęserit, auream, Deam quandam efficit: sic Deus lumen inaccessum, animam sibi coniunctam per orationem mentis, illuminat; sic ignis consumens Deus, quamcunque mentem, seu quodcunque petreum cor, virtute sua in seipsum transformat. Sedebit solitarius & tacebit & eleuabit se supra se, quia propter orationem mentis Deus erit. Bonum est, ait Chrysostomus, semper cum Deo colloqui, per orationem. Nam si boni viri occursus meliorem reddit eum quem con-

conuenerat: magis hoc poterit colloquium, quod dies noctesque cum Deo fit. Sol qui oculis cernitur, si atram nubem radijs suis complexus fuerit eã aut in Irim pulcherrimã transformat, aut aureo eam fulgore splendescere facit: multo magis Deus, qui est Sol iustitiæ, tenebricosam nostram animam, in Irim multicolorem Diuinitatis transformabit. Accedite igitur ad eum, & illuminamini: *Intra in cubiculum, & clauso ostio ora patrem tuum*; tunc illud incensum suaue orationis, succensum in thuribulo cordis tui, intrabit in conspectu Dei. Oratio enim thimiama est, sicut ex reuelatione Ioannis nouimus: Quando Angelus, ante conspectum altaris processit, habens in manu sua thuribulum incensi odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Sicut enim thimiama bene confectum delectat hominem odorantem, sic oratio iusta suauis est ante Deum. Clauso igitur ostio a turbis cogitationum, ora Patrem tuum, quia sedebit solitarius & tacebit, & eleuabit se supra se. Quid vero? In Ecclesia non licebit voce sonora orare? Chrysostomus respondet, Quod eo proposito vetat orare in conuentu hominum, vt videatur a Conuentu. Alioquin in Conuentu fidelium orare, laudabile est, sicut dictum est. In Ecclesijs benedicite Dominum. Et iterum, Adorate Dominum in aula Sancta eius. Laudabile est igitur in Conuentu multorum orare, quãdo mens orãtis solum aspicit Deum quasi nullum habeat circa se, Quia mẽs illius nullũ videt, qui propter neminem orat. Laudabile est in Ecclesia orare; tamen vt orans nihil nouum faciat, quod conspiciant homines; non voce clamet vt audiatur ab alijs; non expandat manus suas vt phariseus in templo, vt videatur a multis, neque pectus suum aperte percutiat, sed absconse sicut publicanus in templo; neque imprudenter oculos tollat ad Cœlum, vt notabilis fiat; & ita quem nemo audit clamantem, nemo aspicit tale aliquid facientem, & inter multos stans in secreto est. Laudabile est & labijs orare, vt D. Thomas docuit, Primo ad excitandam interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuetur in Deum. Quia per exteriora signa, siue vocum siue etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis secundum apprænsionem & affectionem. Deinde ad reddendum debitum; vt s. homo Deo seruiat secundum totum quod ex Deo habet, non solum mente, sed etiam corpore. Laudabilius

Allegoria thimiamatis.

Orandi in Ecclesia quomodo.

Oratio vocalis laudabilis.

22. Q. 83. a. 12.

est tñ priuatã orationẽ in secreto cubiculo,& in penetralib. cor dis orare, Non enim *in commotione Dominus*, *sed in sibilo auræ tenuis*, Non cernitis quod inter homines, si aliquis vestrum ad alterum accedat petendo, cumque magna quippiam voce poscendo, remoueat illum a se, cui tumultuosius supplicabat; quod si idem iste, quiete idipsum etiam faciat ac modeste; tunc potius inflectet eum, qui potest tribuere quod rogatur? Non igi tur gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus; non cum sonitu oris ac strepitu; non ad importunam ostentationem nostri, atque iactantiam proximos nobis clamore appellemus; sed cum omni modestia & contritione mentis, lachrymisque secretis. Intra in cubiculum tuum, egredere extra teipsum, eleues teipsum super teipsum, sedeas solitarius & taceas, & mente tua ad Deum exclames, De profundis clamaui ad te Domine, Tibi dixit cor meum, faciem tuam Domine requiram, *Exquiras manibus sed vacuis*, Sed in nocte, sed ex intimo corde Conditorem tuum; non decipieris; non transibit ante. Paululum cũ pertransibis illas Beatas mentes, inuenies dilectum; quem introduces in cubiculum cordis tui; cum quo familiares miscebis sermones; cum quo vnus efficieris spiritus. Sedebis solitarius & tacebis, & eleuabis te supra te, & super Cœlos Cœlorum; in quibus vt conuersatio nostra sit secum perennis, Christe Iesu sponse quærentis atque te desiderantis animæ, concedere digneris.

Amen.

GEMEN-

GEMENTES ET FLENTES

Oculis tui sicut piscinæ in Hesebon Canticor. 7. cap.

CONCIO VIGESIMA SEXTA

In qua vtilitas maxima lachrymarum demonstratur.

Leuit. 6. SACERDOTVM antiquæ Legis, & illud non postremum erat munus, vt ignem Altaris aurei sempiternum, perpetuo confouerent. *Ignis in Altari meo* (præcipiebat Deus) *semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subijciens ligna, mane per singulos dies. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari*. Hoc idem officium, ille qui non venit legem soluere, sed adimplere, & perficere, vnicuique supplicanti, & Deo præces in nouo Testamento offerenti, commisit exequendum. Succenderat per ignem Sancti Spiritus, ignem amoris in cordibus nostris, in hisce Altaribus plusquam aureis, Ignem ait veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? Q. d. Hoc vnum a vobis omnibus exigo, ne hanc ardentem flammam extinguatis. Hic enim ignis est perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Charitas nunquam excidit. Illud a vobis omnibus exopto, vt hunc ignem Diuinum, omnia consumentem, & in semetipsum transmutantem foueatis, & nutriatis, subijciente intellectu vestro, in hanc fornacem accensam voluntatis, meditationem ligni pretiosi; vel eius in quo salus mundi pependit; vel illius, quod in Ciuitate superna, ex vtraque parte fluminis, procedentis a sede Dei & Agni consitum, affert fructus duodecim, per menses singulos, reddens fructus suos. Ita vt cũ Da-

Ignem amoris fouere pręcipit Christus.

1. Cor. 13

unde dicere possitis. Ecce ô Deus meus, concaluit cor meũ intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. *Estote igitur*, ait Deus, *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. De manu mea factũ est hoc vobis.* Quæ dũ ego perpẽdo, admiratio me vehementissima mouit, cur sponsa quæ amore languebat, & quæ de amoris sui flama gloriabatur, dicens, Dura vt infernus æmulatio, lampades dilectionis meæ, lampades ignis, atque flammarum. Cur inquam hæc sponsa, *oculos habuit, vt piscinas in Hesebon?* Si enim tantopere stillabat lachrymas, vt viderentur esse quasi piscinæ Hesebonis; aqua autem extinguit ignem, quomodo tali ac tanto ardebat amore? Si vero tali ac tanto flagrabat ardore; quomodo *oculi tui fundent largissimas aquas, vt piscinæ in Esebon?* Ast lachrymarum aqua non extinguit, quin potius magis succendit, amorem Diuinum. *Aquę*, inquit, *multæ*, quæ velut è fonte purissimo, scaturiunt ab oculis meis; aquæ multæ quæ erumpunt *ex his piscinis Esebonis*, cinguli mæroris; *oculorum meorum, non potuerunt extinguere charitatem. Nec flumina*, et si effluant instar rapidissimorum, & profundorũ fluminum, nec flumina lachrymarum obruẽt, seu suffocabũt, quin potius magis fouebunt, & nutrient illam. Aquæ istæ lachrymarum, mirandã habent virtutẽ, cõtra virtutẽ aliarũ aquarũ. Quia aliæ aquæ, sempiternũ bellũ gerunt cũ igne; ignis exsiccat illas, illæ viceuersa extingunt ignem; hæc aũt aqua lachrymarũ, cũ igne amoris perpetuo glutino in vnũ coeunt; vt ignis amoris Diuini conuertat petreum cor in stagna aquarum, aquæ vero istæ succendant flagrantissimum amorem; sympathiam enim inter se permaximam habent, vt aquæ lachrymarum sint, & aquæ sint & ignẽ flammantes aquæ: & ignis amoris Diuini sit, & ignis sit & fluidus aqueus ignis. *Fluuius igneus*, vt Daniel aspexit, *rapidusq; egrediebatur a Throno & facie Dei. Fluuius* lachrymarũ *sed igneus egrediebatur* ab anima sponsa. Anima enim iusti, dicebat quidã; Thronus est Sapientię. Ferrunt Chronographi, re periti in orbe Occiduo, quendã fontẽ, ex quo scaturiũt flamantes, & ardentes igneę aquæ, ita vt flammę, ex illa aqua erumpentes, oculis videri possunt. Non est necesse lustrare extremas Orbis partes; Nos sumus in quos fines sęculorum deuenerunt; Nos sumus in occiduis mundi partibus; Da mihi

Marginalia: Isa. 50. — Amor lachrymarum aqua nutritur. — Cant. 8. — Sympathia inter ignem & aquam. — Allegoria fluuii ignei. Fons de quo scaturiunt flamãtes aquæ. — Dan. 7.

hi animam, quæ sæculi gaudijs valedicens, in luctu & lachrymis, ex corde non ex miseria, promanantibus occumbere cupit; Quæ cum Dauide continue plorat, dicens Heu me, quia incolatus meus prolongatus est; Fuerunt mihi lachrymæ meæ, panes die ac nocte, dum dicitur mihi, vbi est Deus tuus? Videbis ex hoc profluuio lachrymarum, flammas amoris vi quadã se egerere. Videbis talem *piscinam, esse*, & fornacem ardentissimam, & fontem aquarum vberrimum. Videbis vt Daniel, *fluuium* sed *igneum rapidissimum, egredientem ab hoc Throno Diuino, ab hac facie* cuiusdam Dei mortalis. Vidit suo tempore Simon Pharisæus, in domo sua Magdalenam, largissimum lachrymarum imbrem, supra pedes Occumbentis Christi produxisse. Qui imber, quantam flammam in eius pectore succendit amoris? oculis proprijs aspexit. Bacchantem enim vidit exagitatam desiderio Christi: vidit continuo & crines resoluentem, & sanctos pedes vberibus lachrymis diluentem, ac proprijs capillis extergentem, pretioso rigantem vnguento. Et hæc quidem extrinsecus cuncta faciebat, ea vero quæ in secreto mentis agitabat, multo erant ignitiora multoque maiora; quæ tantum modo Deus ipse cernebat, ille qui de ipsa sententiam tulit. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Flumina istarum lachrymarum, non poterant extinguere, imo poterant succendere charitatem. Ignis in Altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subijciens ligna. Quod si superinfundet aquam? Ardebit ne ignis? Mosaycus non ardebit, sed Eliæ. Ignis illorum qui ambulant in spiritu & ardore Eliæ, aqua superfusus ardebit. Meministis Eliam symbolum huius olim præmisisse. Vt enim liber Regum enarrat; Elias pactum fecerat inter sacerdotes Baal, & Sãctuarij vt Deus qui exaudierit per ignem, s. qui igne deuorasse sacrificium altaris, ipse esset Deus. Dum Pseudoprophetæ frustra acclamassent idolis suis; Elias præcepit. Implete hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit. Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo; ait. etiam tertio idipsum facite. feceruntque tertio, & currebant aquæ circum altare, & fossa aquæ ductus repleta est. Tunc post orationem factam, cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ

Allegoria Heliæ sacrificantis.

3. Reg. 18

erat in aqueductu lambens. Manifestum est igitur, quod aqua Eliæ, excussit & nutriuit ignem e Cælis delabentem, & sacrificium altaris vorantem. Non minoris efficaciæ est aqua lachrymarum, illorum qui in spiritu & virtute, & in zelo feruenti Eliç ambulant. Adornent tantum altare cordis sui, duodecim lapidibus pretiosis virtutum; fidei, spei, charitatis, iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ, timoris, castitatis, humilitatis, obedientiæ & perseuerantiæ; faciant aquæ ductum in circuitu illius, *oculos* .s. suos efficiant fontes vel *piscinas Esebonis*; superponant spiritum & animā suam, super hoc altare; irrigent largissimo imbre lachrymarum, hoc prætiosissimum holocaustū: descendet ignis Diuinus, & deuorabit hæc omnia; omnia in naturam Diuinitas participatæ conuertet. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. *Sacrificium Deo spiritus* madefactus, & irrigatus aquis lachrymarum. Alijs holocaustis non delectatur Deus, prorsus spernit aurum, hyrcum, arietem. Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum, & adipem pinguium; & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum, nolui. Cum veneritis ante conspectum meū, quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Vt quid mihi thus de Sabba offertis, & calamum suaue olentem, de terra longinqua? Ne offeratis vltra sacrificiū frustra, incensū abominatio est mihi. Holocaustis igitur hisce, Deus non delectaberis. Qui .n. immolat bouē, quasi qui excerebrat canē; et qui. mactat pecus, quasi q interficiat virū: q offert oblationem quasi qui sanguinē suillū offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. *Sacrificium Deo suauissimum*, in Altari cordis oblatū, *est spiritus contribulatus*; spiritus contribulatus non caro contribulata. Nā carnis contribulatio Deo odibilis est: caro siquidem contribulatur quia terrena quæ optat non habet; vel certe, quæ sensit in se, odio prosequitur; spiritus vero contribulatur de culpa, eo quod sit contra Deū quē amat: dolet .n. suum Creatorem & redemptorē offendisse. Sacrificiū Deo spiritus cōtribulatus. Nō est necesse hāc oblationē cultris incidere, nec diuidere in partes, vt faciebant Iudæi sacrificantes. Scindendum est cor, penetralia illius aperienda sunt, sed dolore; non est necesse vt sanguis ab

Margin notes: Psal. 50. — Sacrificia antiqua Deus abominatur. — Isai. 1. & Hier. 6. — Isai. 66

so sed lachrymarum fluenta deccurant. In fletu & planctu scindite corda, & non vestimenta vestra: Lachrymis irrigandum est hoc pretiosum sacrificium; *Descendet ignis Diuinus*; his aquis succendetur & nutrietur. Aquę istæ non extinguunt, sed nutriunt ignem amoris. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur a facie eius. Quod ad quem modum efficiant, paulo latius edisserendum est.

Notissima est illa Sanctorum Patrum doctrina; sanctos in hac præsenti misera vita degentes, non solum Cœlestia sed & terrena, contemplatione assidua meditari. Sed tamen non eodem modo. Oculo enim dextero amoris, atque desiderij aspiciunt bonum Cœleste, dicentes cum Paulo. Nostra conuersatio in Cœlis est. Nos sumus conditi, non vt in mundi huius villa terram excolamus, neque vt in his agris, more bestiarum passim vagemur, vel more brutorum viuamus. Conditi sumus ad Beatam ciuitatem Cœlorum, vt illius non hospites, & aduenæ, sed ciues & domestici simus; Ad sortem & societatem Angelicam, & totius militiæ Cœlestis exercitus, consortium, non militiæ huius quæ est super terram, asciti sumus, Cætera cum spectent prona animalia terram, Os homini sublime dedit, Cœlumque videre. Cœlum videre, decoram domum Dei, & locum habitationis gloriæ nostræ: vbi nihil est tale, quale hic patimur, & quale in hac misera vita cernimus; vbi non sunt tenebræ aut nox, aut quælibet diuersitas temporum. In qua domo non lucet lux lucernæ, aut splendor Lunæ, aut iubar stellarum, sed Deus de Deo, lux de luce, Sol iustitiæ, Agnus immaculatus & candidus, lucidum & pulcherrimum est lumen eius, Cuius Sol, & claritas, & omne bonum, est huius pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio. Conditi sumus ad illam vitam, quam præparauit Deus, his qui diligunt eum; ad illam vitam Beatam, vitam pulchram, vitam ignaram mortis, nesciam tristitiæ; ad vitam sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, Conditi sumus non ad mortem istam miseram, qua indesinenter morimur; sed ad vitam totius elegantiæ plenissimam, vbi nullus est, vt hic in terris, aduersarius impugnans; vbi nulla peccati illecebra; vbi est amor perfectus & timor nullus; vbi dies æternus & vnus omnium

Homo ad quid creatus.

nium spiritus; vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo, mens sine defectu satiatur. Nostra igitur conuersatio in Cœlis esse debet; In Cœlos semper, vel cum Paulo qui ad tertium vsque sanctissimæ Trinitatis Cœlum raptus, vel cum Magdalena, quæ septem vicibus a terra eleuabatur, ad fruendum delicijs Beatæ Ciuitatis supernæ, euolare debemus. Quid enim Celesti ciui, cum animalibus in terra? *Quid enim est mihi in Cælo? & a te quid volui super terram?* Psa.72. Nihil a te volui super terram. Non voluptates, non delitias, non honores, non diuitias, non Regna. Omnia ista quia sunt super terram instabilem, & terram; quia super terram miseriæ & tenebrarum, terram laboris & doloris; super terram quæ in omnibus suis partibus bonorum, spinas & tribulos, curas & anxietates germinauit; quia sunt super terram, nolo a te accipere. Defecit caro mea & cor meum in his bonis, quæ non sunt cordis mei, sed terræ; Qui enim elongant se a te, & qui terræ adhærent, peribunt: Terra, in terram conuertatur necesse est. Terrena sapiens, de terra cogitans, in terram redigitur. Tu autem Deus meus, quia es Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, ideo Mihi adhærere Deo bonum est. ¶ Aspiciunt etiã sancti oculo sinistro, miseram conditionem terrenorum: non vt diligant, sed vt odio prosequentes, ab illa euolare quantocius possint. Considerant enim se esse eiectos de loco voluptatis, vbi conuersatio humana, nihil molestiæ nec indigentiæ sentiebat; reiectos autem esse in terram peregrinationis & miseriæ. Vident cum Dauide, se cecidisse de gradu sublimi & Diuino in terram, *& infixos esse in limo profundi, vbi non est substantia.* Psa.68. *Non enim hic est substantia*, vbi nihil subsistit & permanet, sed omnia trãsitoria sũt. Nõ est hic substãtia vitæ; cũ vita ista sit mors potius dicenda quam vita. Quid enim vitam appellabis, illam vitam quam humores tumidant, dolores extenuant, & ardores exsiccant, arida morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mæror deprimit? Quid vitam censebis, cui mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudijs istius miseræ vitæ, ita finem imponit, vt cum esse desierit, non fuisse putetur? Non est

Mundus non habet substantiã.

hic,

hic, substantia diuitiarum: Viri enim diuitiarum, nihil inuenerunt in manibus suis. Non est hic substantia deliciarum; absinthio enim & felle omnia repleta sunt. Non est hic substantiæ gaudiorum; gaudium enim mundi huius, tristitiam operatur. Non est hic substantia quietis: homo enim nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum. Non est hic substantia Beatitudinis: militia enim est vita hominis super terram. Hic pugnamus cum acerrimis hostibus nostris, in æterna vero Patria, & in Regno illo fælicissimo coronamur. Non est hic substantia boni alicuius, quod sit secretum ab omni defectu; homo enim natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Dum igitur, omnes electi continuo aspiciunt duo hæc; scilicet bonum quo priuantur, & malum quo afficiuntur: naturali autem instinctu bonum desideramus, malum vero abhorremus, & detestamur: defectus autem boni quod concupiscimus, & affectio mali quo præmimur, dolorem generare solent; hinc est quod sancti peregrinantes in hoc mundo, ex vtroque oculo contemplationis, lachrymas fundunt. Ex dextero quidem, amoris, propter desiderium Cœlestium: ex sinistro autem, doloris, propter fugam malorum terrestrium. Ex dextro, amoris; vt faciebat Dauid. Fuerunt, inquit, mihi lachrymæ meæ, panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Augustinus quoque. Erraui, ait, fateor sicut ouis perdita, & procul proiectus sum a facie Domini Dei mei, in hanc exilij cæcitatem; Vbi expulsus a Paradisi gaudijs, deploro quotidie captiuitatis meę lugubre carmen, ingentesque lamentationes; cum recordor tui Mater Hierusalem, dum stant pedes mei in atrijs tuis, sancta & decora Syon; necdum interiora tua conspicere in propatulo valens, sed in humeris pastoris mei structoris tui; spero me reportari tibi, vt tripudiem tecum, illo inenarrabili gaudio, quo lętantur illi qui tecum sunt, coram ipso Deo & Saluatore nostro. Quod si tãtum valet ad extorquendas lachrymas, carere filio, quod plerique non in sepulchrum tantum, sed & in infernum, cum demortuis filijs descendere volunt: Qualis erat Iacob Patriarcha, cui postquam nunciatum est, deuoratum esse a bestijs dulcissimum Ioseph, scidit vestimenta sua, & indutus cilicio, lugens filium suum multo tē-

Lachrymę amoris & doloris.

Gen. 37.

pore,

pore, sæpe sæpius dicebat. Descendam ad filium meum lugens in infernum. Si tantum potest excutere fletum, contẽplatio transeuntis boni, vt Ioseph viso fratre suo, commotis viscerib. erumpentibus lachrymis, eleuata voce fleuerit, ita vt audirent Aegyptij, omnisq; domus Pharaonis. Quanto potentior erit meditatio bonorum illorum Cœlestium, quibus nos priuati sumus? ad quæ nos anhelamus; quibus nostri fratres, in amplexibus Patris Cœlestis fruuntur? præsertim si considerauerimus, miseram & duram captiuitatem nostram, & exilium quo damnati sumus. Memini, Israelitas dum in exilium Babylonis acti essent, sola recordatione Hierosolymæ, suspendisse in salicibus organa sua. Super flumina Babylonis, dicũt, illic sedimus & fleuimus; dũ recordaremur tui Syon. In salicib. in medio eius, suspendimus organa nostra. Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Multo maiori fletu p funduntur sancti, contemplantes & recordantes Hierusalẽ supra Cœlestem; eo quia maiora bona sunt istius, quam illius terrenę. Hierusalẽ terrena erat cõstructa ex lapidib. vilissimis; Cęlestis autẽ ex lapidib. pretiosis. Et erat (inquit Ioannes,) structura muri eius ex lapide Iaspide, & fundamenta muri Ciuitatis, omni lapide prætioso ornata. Et fundamentum primum Iaspis; secundum Saphyrus, tertium Calcedonius; quartum smaragdus; quintum sardonix; sextum sardius; septimum Chrysolitus; vndecimũ Hyacinthus; duodecimũ Amectystus. Et duodecim portę, duodecim margaritę sunt, & singulæ portę, erãt ex singulis margaritis, & platea ciuitatis aurũ mundum tanquam vitrum perlucidum. Hierusalem terrena habębat tẽplum, manib. humanis fabricatum; At in Cęlesti, Ioannes non vidit templũ. Dominus.n. Deus omnipotẽs templum illius est, & Agnus. Hierusalem terrena, lumine Solis illustrabatur, quod tamen defectum patitur, & nebulis obscuratur; At Ciuitas illa non eget Sole, neq; Luna, vt luceant in ea; nã claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est Agnus. Hierusalẽ terrena, subiecta erit dolis & insidijs inimicorum: propter quod claudebantur portę illius, ne asportarentur ab hostib. prętiosa eius: At ciuitatis illius portę, nunquã claudũtur neq; per diem, neque per noctem: nox enim nõ erit illic. Et afferunt ad eã non asportãt ab ea, Reges terræ gloriam suam & honorem. Nõ est pauen-

Antithesis Hierusalem Cęlestis & terrenæ.

Apoc. 21.

pauendum, ne irrumpat in illam aduersarius. Non enim intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciés, aut mendacium, Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure. Hierusalem terrena, erat plena luctu & tristitia; nullus enim in ea omni ex parte fælix esse poterat: At in illa Cælesti abstergit ipse Deus omnem lachrymam, ab oculis Sanctorum: In illa non est luctus, neque clamor, neque vllus dolor, quia prima abierunt. Hierusalem terrenæ deficiebant multa bona, qualis est immortalitas, impassibilitas, & suauissima quies desideriorum; Cælestis autem affluit omnibus bonis. Beati qui habitant in domo tua Domine, dicebat Dauid Beatus quem elegisti & assumpsisti, vt inhabitet in atrijs tuis; Beatus autem est, cui nihil deest. In illa Hierusalem terrena sedes erat Archæ ligneæ, Summi Pontificis, & Regis Iudæorum: In Cælesti autem, sedes est Dei, & Beatæ Virginis, & Regis Regum, & Sanctorum omnium. Ibi Tabernaculum Dei in quo requieuit nouem mensibus, cum hominibus; In illa Ciuitate fulgentissima collocata est sedes Dei & Agni; Ibi (vt Augustinus collegit,) hymnidici Angelorum chori; ibi societas supernorum Ciuium; ibi dulcis solennitas omnium, ab hac tristi peregrinatione, ad eius gaudia redeuntium; ibi Prophetarum prouidus chorus; ibi duodenus Apostolorum numerus; ibi innumerabilium martyrum victor exercitus; ibi Sáctorum confessorum sacer Conuentus; ibi veri & perfecti religiosi; ibi Sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi, & sexus infirmitatem vicerunt; ibi pueri & puellæ, qui annos suos Sanctis moribus transcenderunt; ibi oues & agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaserunt; ibi exultant omnes in proprijs mansionibus; dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omniũ, plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus est ibi omnia in omnibus; & quem sine fine vident, & sine fine semper videndo, in eius amore ardent; amant & laudant, laudant & amant. Fælices nos, & vere in perpetuum fælices, si post resolutionem huius corporis, audire mereamur illa cantica Cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ Patriæ Ciuibus, beatorumque Spirituũ agminibus. Felices nos ni-

nimiumque fælices, si & nos ipsi merebimur cantare ea, & assistere Regi nostro, Deo nostro, & Duci nostro; si digni erimus cernere illum in gloria sua, sicut ipse polliceri dignatus est dicens. Pater; volo, vt quos dedisti mihi sint mecum; vt videant claritatem meam, quam habui apud te ante constitutionem mundi. Fælices nos, semperque fælices in sæcula, si intueri merebimur gloriam, beatitudinem, & pulchritudinem illius Ciuitatis, portas & muros eius, & mansiones eius multas, nobilissimos Ciues illos, & fortissimum Regem Dominum nostrum in decore suo. Vtinam concessa mihi peccatorū venia, moxque hac carnis sarcina deposita, ego etiam miser in tua gaudia, & in veram illam requiem habitaturus intrarem: & tua speciosa atque præclara mœnia, coronam vitæ de manu Domini accepturus ingrederer; Vtinam illis Sanctissimis choris interesse, & cum Beatissimis Spiritibus, gloriæ conditoris assistere, vt præsentem vultum Christi cernere, & illud summum & ineffabile, & incircumscriptum lumen semper aspicere, sicque nullo metu mortis affici, sed de incorruptionis perpetuæ munere lætari possim sine fine. Qui igitur hæc & maiora bona Ciuitatis illius supracœlestis, aspicit, seque ab his exulare agnoscit: quo nam amore in illa succenditur? Quonam desiderio illorum tenetur? Quæ suspiria ex intimis præcordijs, propter amorem illorum emittit? Quas lachrymas ex oculis suis fundit, miserabilem se iudicans, fruitione illius priuari; beatū vero se æstimans, si vel semel ad eam fuerit admissus. An non dicit cum Israelitis. *Super flumina Babylonis* istius magnę, & cōfusæ; potius super flumina, seu *super hoc mare magnum & spatiosum manibus*, vbi sunt reptilia, quorum non est numerus; vbi sunt animalia pusilla cum magnis; vbi est draco sæuissimus, semper paratus ad deuorandum; vbi sunt loca periculosa, Scylla & Charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. *Super hæc flumina* aquæ Sulphureæ & turbidę, *illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Syon*. Fuerunt mihi lachrymæ meæ, panes die ac nocte; poculum meum cum fletu miscebam; in sudore vultus mei, lachrymarum quas sudabam ab oculis meis, manducabam panem meum, dum dicitur; Quia mihi improperatur. O Miser, vbi est Deus tuus? Dum mihi peruersa vxor, caro mea insultat,

[Margin notes: Flumina Babylonis quid. — Psal. 136. — Allegoria sudoris. — Allegoria vxoris Iob. — Iob. 2.]

tat, Adhuc permanes in simplicitate tua? Adhuc non commisceberis Sathanæ & suis inuentis? Adhuc non communicabis carni, & sanguini? Adhuc non habebis partem seu symbolum cum mundo? Simplicem, & purum & immaculatum spiritum seruabis? Benedic Deo, & morere. Vbi est Deus tuus, ad quem tantopere suspiras? Ad quem clamas? Propter quem dolore consumeris? Mihi autem dum hæc audio, fuerunt lachrymæ meæ, panes die ac nocte, dum dicitur mihi. Vbi est Deus tuus? *Suspendimus organa letitiæ in salicibus* infructuosis: Quia illi qui captiuos duxerunt nos, deridebant nos dicentes, *Hymnum cantate nobis, de Canticis Syon*. Ciuis es Hierusalem? Vbi tua Ciuitas? vbi deliciæ? Domesticus es Dei: vbi est signaculum illius mansionis? *Cantate nobis de canticis Syon;* resona nobis illud dulce Alleluia, quod ciues Cœlestes, edocti sunt iubilare in Regno suo. Fleuimus, & suspendimus organa nostra, dum recordaremur tui Syon; dum contingeremus manibus, & attrectaremus miserias nostras. Istæ autem lachrymæ, nonne amoris sunt? Amoris: ex amore siquidem processerunt. Amor amorem gignit, sicut ignis ignem. Lachrymæ quoque istæ amoris & doloris, amorem hunc ignem Diuinum nutriunt & refouent. Dum enim fleo, suspirans ad fœlicitatem amissam, ex amore fleo; Amor autem, quid nisi amorem generat? Dum deploro miseriam quam sustineo, ex dolore mali atque subinde ex amore boni deploro; odium autem mali, quid nisi amorem accendit? Merito igitur Basilius talem sententiam tulit de lachrymis. Vbi fuerint lachrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui illuminat mentis secreta. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon. Oculi tui, ô sponsa quæ amore flagras, sunt sicut piscinæ in Esebon, stillantes flumina lachrymarum, quæ non possunt extinguere, aut obruere charitatem, sed potius succendere ardorem. Lachrymæ igitur ad hunc, immo & non tantum ad hunc sed & alium modū, nutriunt amorem Diuinum. Certum est atque indubitatū, vt ille qui extergit sordes animæ, quod solet efficere charitas, cooperit multitudinem peccatorum; ille qui consumit spurcitias animæ, quod etiam perficit ignis Diuinus; succendit & fouet ignem amoris Diuini. Ignis enim Diuinus, ad hoc datus est, vt vitia consumat.

Improperāt homini Dęmones quid.

Lachrymæ peccata abluunti

Hæc

Hæc est spiritualis flammæ natura, (aiebat Chrysostomus) vt nullam secum carnalium voluptatũ ardere patiatur, sed in alium nos amorem semper accendat. Et idcirco talium rerum cupidus, etiam si cuncta quæ possidet cogatur impendere, si exhorrere delitias; si deridere gloriam; si ipsam postremo odisse vitam, cum ingenti omnia facilitate perficiet. Etenim præcipuus quidem illius ignis ardor, cum alicuius mentem fuerit ingressus, consumit omne delictum; totum inde torporem ignauiamque depellit; & cũ alicuius pectus semel inuaserit, omni prorsus alite pręstat esse leuiorem. Quid vero lachrymæ? An non maculas diluunt? An forte Deo, non coniungunt? Lachrymæ maculas eluunt animarum. Lachrymis lauit criminum immanitatem Magdalena. Lachrymis cæpit rigare pedes eius, & ideo audiuit, Dimissa sunt ei peccata multa. Lachrymis suis stratum rigabat Dauid. Lauabo ait per singulas noctes lectum meum; lachrymis meis stratum meum rigabo: turbatus est a furore oculus meus; poculum meum cum fletu miscebam; & ideo dictum est ei. Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Lachrymis, apostasiæ crimen Petrus abluit; Et egressus inde fleuit amare; ideoque dedit ei Dominus potestatem dimittendi peccata. Sicut enim post vehementes imbres, mundus aer ac purus efficitur; ita etiam lachrymarum pluuias, serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris obfusa caligo dissoluitur. Quare, monebat Gregorius. Quia inquit post Baptismum inquinauimus vitam nostram, Baptizemus lachrymis consciẽtiam nostram. Cum igitur lachrymarum imber abluat animam, in anima quoque ignem Diuinum succendit. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon. Non abs re hic annumerauero alias virtutes lachrymarum, quod s. illæ (vt Bernardus dicebat) vinum sunt Angelorum; quod in illis odor vitę, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, suauitas redeuntis innocentię, reconciliationis iocunditas, & serenatæ conscientiæ suauitas; quod lachrymę purgant mentem, fęcundant spiritum, irrigant cor, animam sanctificant, refrenant illicitos animæ motus, claudunt infernum, aperiunt Paradisum, extinguunt ignem libidinis, eijciunt venenum mortiferum, a Sathana, in pomo Parentibus nostris porrectum; lachrymæ sanant omnem

hom. 4. in Math.

Lachrimarũ encomia & uirtutes.

nem

nem animę infirmitatem; refrigerant tentationum fomitem. Vt enim dum nubes ventis agitatur, si resoluatur in pluuiam, sedantur venti; sic homo cogitationibus malis impulsus, si in lachrymas resoluatur, tentatio citius sedatur. Lachrymæ Agari & Ismaeli consolationem Angelicam promeruerũt; lachrymę Annam sterilem fœcundarunt; filios Israel ab hostium furore eripuerunt. Lachrymæ vitam Ezechiæ, & Tobiæ oculorum visum restituerunt. Lachrymæ Susannam a falso crimine; Saram autem a Dæmonio liberauerunt. Non enim est putãdum, quod lachrymæ defluentes ab oculis, & cadentes in terrã absorbeantur ab illa. Nõ absorbẽtur, sed vel cõuertũtur in lapides preciosos, vt solent cuiusdã arboris lachrymæ, cõuerti in lapides, quos tamen lachrymas vocant; Conuertuntur lachrymæ in Adamantem fortissimũ, per robur & constantiã fidei; in Smaragdum viridem, per spem viuentem reuirascentem; conuertuntur & in Carbunculũ ardentẽ, ꝑ charitatis ardorẽ conuertuntur & in Hyacinthum multi colorẽ, per multiformiũ virtutũ studiũ. Nõ pereũt lachrymę defluẽtes in terram, sed fit ex eis fons lympidissimę aquæ, ascendentis & salientis in Cœlum vsque, Quorum tanta vis & potestas est, vt Deum ipsum vinciant, vt Hieronymus reliquit. Lachryma humilis inquit, tua est potentia, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis; non est qui te accedere vetet, si sola intraueris. Vincis inuicibilem; ligas Omnipotentem. Non pereunt lachrymæ decurrentes in terram, sed beatitudinem acquirunt. Qui seminant in lachymis, inexultatione metent. Dabit coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris. Fęlices lachrymæ, quas benignæ manus conditoris abstergunt. Beati oculi, quæ in talibus liquefieri elegerunt. Quis dabit oculis meis fontem lachrymarum? Quis dabit capiti meo aquam? & lachrymis meis stratum meum rigabo? Domine, ecce anima mea, sicut terra sine aqua tibi; *Dedisti mihi terram aridam:* insidens huic asino corporis mei, vociferor ad te, *Da mihi irriguum superius & inferius*, Da mihi vt amore cœlestis patriæ, & dolore miseriarum producã fontẽlachrymarũ, ex isto petreo corde; durius.n. petris cor habeo. Scio ꝙ tu excussisti olim, aquarũ laticẽ de durissimo silice; tu cõuertisti petram in stagna aquarũ, ecce *durissimũ; silicẽ cordis mei; percute*

Lachrymæ in lapides cõuertunt.

Isai. 51.

Iudic. 1.

Allegoria Axæ.

Allegoria Petræ.

cute illũ virga potẽtiæ tuæ, percute Domine, pcute obsecro hãc durissimam petram mentem meam, pia & valida cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute; & sic de capite meo educ aquam immensam, & de oculis meis verum fontem lachrymarum iugiter manantem, ex nimio affectu & desiderio visionis pulchritudinis tuæ; vt lugeam die ac nocte, nullam in præsenti vita recipiens consolationem; donec te in Cœlesti thalamo merear videre dilectum, & pulcherrimũ sponsum meum, vt ibi videns gloriosam admirabilem & pulcherrimam faciem tuam, omni dulcedine plenam, te supplex adorem, & dicam animæ meæ. Ecce quod concupijsti, iam vides; quod sperasti, iam tenes; quod desiderasti iam habes; ipsi coniuncta es in Cęlis, quem in terris posita, tota virtute dilexisti, tota amore inhæsisti. Ad vos non aliud dico, præter illud, Loquimini ad petram, & dabit vobis aquas. *Loquimini ad petram*, siue ad illam de qua dicitur. Petra autem erat Christus; siue ad petreum cor vestrum, *& dabit vobis aquas*, quibus succendetis ardentem flammam amoris Diuini; abluetis animas vestras; Tandem gaudia seminantium in lachrymis, in exultatione metetis. Quod nobis concedas Christe Iesu, per merita eius, *cuius oculi erant vt piscina Esebonis* supplices obsecramus Amen.

(*)

LACHRY-

LACHRYMARVM VALLE

Super Aquam refectionis educauit me; Animam meam conuertit. Psal. 22.

CONCIO VIGESIMASEPTIMA.

In qua Pœnitentiæ necessitas Nouis Nouatianis sua detur.

SI seuera, an vero secreta animi sui sententia, Deus ille qui iustitias dilexit, postquam in exilium a Paradisi sedibus hominem egit, ante fores eius Angelum, flammeum vibrantem gladium, collocauit; procul hoc ipsum ab humana inuestigatione repositum est. Hoc solum ex Sacris literis optime (& vtinam causa deesset vt nouissemus) didicimus; Quia Deus vindex malorum, eiecit Adam de Paradiso voluptatis, & collocauit ante illum Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Si tamen Diuinari licet; auguror, Deum ideo collocasse Cherubim, cum gladio igneo, ante fores Paradisi: vt quia Cherubin est, scientiæ acumine ex claritate intellectus dotatus, agnoscat omnes illos, qui intraturi sunt Paradisum, An illis iure hæreditario contingant sedes illæ? An secum aliquid indignum Beata mansione, ex hospitio mundi huius deportent? An aliquam labem, seu sordes ex hoc terreno itinere contraxerint? An animæ suæ, peregrinam faciem obduxerint? Quid super isto fundamento, in quo recipienda est Beatitudo Ciuitatis supernæ superædificarint, lapides ne prætiosos virtutum? aurum charitatis? an vero ligna vel fœnum, vel stipulam corruptionis peccatorum? Et quia in illam felicissimam supra cęlestem Hierosolymam, nihil in-

Genes. 3.

Cherubin cum flammeo gladio ante Paradisum collocatus quare?

trat

trat coninquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium. Solus innocens manibus, & mundo corde, habitabit in tabernaculo illo, & requiescet in monte Sancto Dei. Soli mundo corde Deũ videbũt: qui aũt seminant in corruptione, de corruptione & metent. Ideo posuit Deus in manu Cherubini, flammantem igneum gladium; vt omnium omnes maculas cum ipsis contaminatis, igne suo probet, & vel emundet in honorem, vel sempiternis flammis infernalibus, exurat in confusionem & consummationem. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum; & sedebit quasi conflans, & emundans argentũ & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum. Si nihil in eis auri & argenti, gratiæ & charitatis nihil inuenerit, in vltima inferni illa detrudet, & vt stipulam totum exuret. dicens. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Omnibus maleficis pars in stagno ardenti sulphure & pice, quod est mors secunda. Si vero in eis aliquid auri vel argenti charitatis reperiet, maculis tamen aspersum (dicebat Augustinus,) quod hos per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda, transmittet. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vendicabit quædam flammę rationabilis disciplina. Et quantum stulta iniquitas suggerit, tantum sapiens pœna desæuiet, Et quia sermo Diuinus, hunc gladium igneum, quodam in loco, æneæ ollę comparat dicens. Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat æs eius, & stagnum eius defluat: illic sermones ociosi & cogitationes iniquæ & sordidæ; illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturę inferant exundabunt, illic stannum vel plumbum diuersarum passionum, quæ aurum Diuinæ imaginis adulterauerant, consumuntur. Quæ omnia hic ab anima separari, per elemosynas, & lachrymas compendiosa transactione potuissent. Per voracem igitur flammam, cum omnibus hominibus, transeundum sit ad Regnum Cęlorum; præcauens Deus, ne propter multitudinem macularum, quibus aspersi essent homines in hoc mũdo, transeuntes ex eo, ne simul cum illis maculis & sordibus exurerentur, hominem collocauit in valle lachrymarum, in loco fletus & doloris pœnitentiæ; vt tandem labem peccati, aqua ista eluere, & animam contaminatam atque conspurca-

Malach. 3.

Allusio ad ignem Inferni & purgatorijs.

lib. 5. homil. 55.

ſpurcatam emundare poſſit; quo ignis Cherubini in eum non deſæuiat, ſed ſic purificatum & ablutum, ſine adultione, tranſire ad ſedes Beatas permittat. Adumbrauit hoc Deus, ipſe, in labio illo æneo, quod Moyſi præceperat ponere, inter tabernaculum teſtimonij & Altare, *vt miſſa aqua lauaretur in eo Aaron, & filij eius, quando ingreſſuri erant tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri erunt ad Altare, vt offerrent in eo thymiama Domino, ne forte moriantur. Legitimum inquit ſempiternum erit ipſi, & ſemini eius per ſucceſſiones.* Sciebat Deus, quod manus quorundam hominum, plenæ erant ſanguine peccatorum, vt quibuſdam improperabat, Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos a vobis, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Videbat apud Oſeam, quod maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerant & polluerant homines; & quod in manibus eorum, ſanguinem ſanguis tetigit, & peccatum, aliud peccatum pertraxit. Audiebat, omnes crucifigentes Chriſtum vitijs & concupiſcentijs ſuis, decretum in ſe proferre. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Audiebat omnes cum Dauide vociferantes. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meę; aſperges me Domine hyſopo & mundabor; lauabis me & ſuper niuem dealbabor: Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Aſpexit deinde apud Hieremiam, quod omnes conuerſi erant, ad curſum ſuum peccatorum, quaſi equus impetu vadens ad prælium, & ex illo pręcipiti curſu macularant pedes ſuos, vt idem deplorabat. Sordes eius in pedibus eius; quia conuerſa eſt retrorſum, nec recordata eſt finis ſui. Contaminatas igitur manus, & pedes vitiorum luto oblitos, cum omnes habere Deus conſpexit: Fecit autem nos ſibi (vt Petrus dicebat) Regnum & Sacerdotes, ſuper Altare illud Cęleſte, hoſtias laudis & immortalitatis offerentes: Ipſe vero deteſtatur impium ſacrificantem; In illud deinde Cœleſte Templum, nullus ingreditur contaminatus, ſed qui ingreditur, ingreditur ſine macula, Quid igitur egit? Quo conſilio vſus eſt ad expurganda noſtra delicta? Labium ęneum pænitentię, poſuit inter tabernaculum teſtimonij & altare, in hac valle lachrymarum, vt manus & pedes lauemus. Lauamini (pręcepit) mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis,

Exod. 30 — Allegoria labii ęnei. — Oſe. 4. — Hier. 8. — Thren. i. — Pęnitentia abluit peccata. — Iob. 1.

Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix de albabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erũt. Quod si nolueritis, & me ad iracũdiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos. Q.d. Si vultis restituti ad Cęlos, si desideratis inferre ad altare meum hostias laudis; animi puritatem summo studio retinete. Date operã; vt oẽs flagitiorum vestrorũ sordes eluant. Lauate manus vestras sanguinolẽtas & pollutas; Lauate aĩas vestras lachrymis pęnitẽtiæ, si vultis sacrificia mihi offerre; non sit vobis tantę curæ munditia corporis, sed animę sanctitas & castimonia. Vt mihi placeatis qui mentem perscrutor, & omnes animi latebras, & intimos recessus excutio, neq; laboro quali cultu corpus exornetur, sed quali ornatu animus excolatur. Lauamini igitur a malitia vt salui fiatis, Lauamini & mũdi estote; in puritate perseuerate; date operã, ne vos iterũ contaminetis. Multi enĩ se abluunt, sed mundi non sunt, quia statim easdem maculas peccatorum contrahunt, & post lachrymas, quibus sordiũ labes deleuerant, ea quę deplorauerãt repetunt. Vos aũt mũdi pmanete. Nihil diffidatis. Nõ vos terreat crudelis Nouatus, vel aliquis Lutherus, siue Anabaptista, pc idẽs spẽ remissionis peccatorũ: nõ paueatis, ad grauitatẽ peccatorũ vestrorũ. Non memineritis, ꝙ ego dixerim, Insanabilem esse plagam vestram; vel quod, non exaudiam eos. Lauamini tantum in hac valle lachrymarum pænitentiæ, lauamini *in hoc labio æneo, labijs confitendo peccata nostra;* Quamuis sitis quasi coccineo colore, summa improbitate sceleris imbuti, niueum candorem recipietis: quãuis fueritis quasi ostro & murice, summa atrocitate immanitatis infecti, ad candidissimę lanę puritatẽ redibitis, Lauamini tantũ & mundi estote. *Super hoc labium æneum pęnitentiæ,* Dauid fatetur se collocatum fuisse, & mirabilem Metamorphosim perpessum esse. *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Ac si diceret. Postquam delictis meis maculaui animã meam, postquam superbiæ & auaritiæ, & immũditiæ, & manus sanguineæ scelus, me pepulit e Paradiso; me *educauit Deus, super aquam refectionis pænitentiæ.* In lachrymis enim pænitentiæ, dicebat Bernardus est, odor vitæ, sapor gratię, gustus indulgentiæ, Lachrymæ sunt refectio odorifera, quia peccatũ ꝙ delent, est cibus acerbus. absinthio.n, & felle satiauit peccatores Dñs; Lachrymæ autẽ quia delent peccata, sunt exinde

Allegoria confessionis.

Aqua refectionis pænitentiæ.

odor

ador vitæ. Lachrymæ sunt sapor gratiæ, impetrant enim gratiæ balsamum, quod peccatorum immunditia contaminamus. Lachrymæ sunt gustus indulgentiæ, quam promerentur. Super hanc igitur aquam refectionis educauit me, & ideo animam meam conuertit. Ex anima turpi, pulcherrimam effecit; de sorditiæ in mundiciem, de puritate ad puritatem, de maculis ad candorem, de iniustitia ad sanctitatem, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitię, propter nomen suum,

Psa. 118. & animam meam conuertit. Antea [a] erraui a Deo sicut ouis quę perijt; olim erraui per abrupta desideriorum meorum; nunc autem per hanc aquam, animam meam conuertit; dedu- Conuersio Dauid.

b 5. xit me super semitas iustitię; reduxit me ad caulas ouiū suarum electarum. Antea inimicus Dei effectus erā, [b] Odit.n. Deus oēs

c 84. qui operantur iniquitatē; Me virum sanguinū & dolosum, abominatus fuerat Dominus, nunc aūt super hanc aquā, aīam meā cōuertit; ex inimico amicū effecit. [c] Locutus ē in me Dn̄s Deus, locutus est pacē in plebem suam, & super Sāctos suos, & in eos

d 88. qui cōuertunt ad cor. Antea Deum perpetuò erga me iratū vindicem sustinebam; nunc autem animam meam conuertit, [d] Misericordiam, inquit meam non dispergam ab eo, neque nocebo ei in veritate mea. Antea factus eram tanquam vas perdi-

e 55. tum, traditum in manus inimicorum, illapsum in fauces Sa-

f 88. thanæ; nunc autem animam meam conuertit; [e] eruit animam meam ex inferno inferiori, dixit [f] Iam in Dauide nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei; iam ego concidam a facie ipsius inimicos eius & odientes eum in fugam conuertam. Peccatum enim animam peruertit, pęnitentia autem conuertit. Pęnitentia est aqua refectionis, super quam Dominus animam meam conuertit. Quod vt clarius cognoscamus, paulo latius exordiendum est. Iam edocti sumus a Sanctis Patribus, quidnam sit conuersio. Non enim est aliud, nisi recessus a peccato, cum mutatione status prioris desormitatis, in nouum splendorem atque decorem iustitiæ. Conuersio Cōuersio quid.

hom. 12. Super Exod. est recessus a peccato; auersio siquidem est accessus ad peccatum. Cum recitantur verba legis, (dicebat Origenes) communibus fabulis occupari, auersio est. Cum legitur Moyses, de negocijs sæculi, de pecunia, de lucris solicitudinem gerere, auersio est, Possessionum curis stringi, diuitiarum cupiditatib. distendi; Auersio quid.

 gloriæ

gloriæ sæculi & mundi honoribus studere, auersio est. Assistere, & audire verba legis, & vultu ac oculis intendere, cogitatione autem & corde euagari, auersio est. Addo ego. Cũ præcipitur à Christo, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo; distingere, vanas & caducas atque perituras mundi delicias; illas tota fortitudine insequi; totum animum illis addicere; Dei autem obliuisci; de Deo nunq̃ cogitare; in Deũ petris frigidiorẽ esse, auersio est. Auersio est, quotidie innumeras risus occasiones quærere; vt pecuniosi simus, nihil non intentare, sed omnia moliri; laudes & fauores populares, toto effuso patrimonio captare; oculis impudicis fœminam aspicere; corde lasciuiente in illam furore ardere; cũ Euangeliũ cælestibus intonans vocib. dicat, væ ridentibus, væ diuitibus, væ cum benedixerint vobis homines. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est; Christus iudicabat, quod ille qui cõtumelijs fratrem affecerit, sempiternis ignibus obnoxius sit; timidos igitur, & imbecilles, existimare eos, qui tacite sibi illatas contumelias ferunt, auersio est. Bacchari, & plusquam igneo feruore, furere in fratrem, auersio est. Oculum ille si noceat crebo eruendum iubebat: illis igitur vti, qui supremum vitiorum omnium doceant, auersio est. Sanctos esse & iustos Christus volebat; ad omne igitur genus peccatorum currere; omni spurcitia spurcissimam animã reddere; in cæno more brutorũ volutari, auersio est. Cõuersio igitur erit, valedicere mundo; recedere a peccato; relinquere vitia; in nouam vitæ normam redire; nouum splendorem gratiæ acquirere. Conuersio erit, relinquere Sathanam & adhærere seu appropinquare Deo; Dei præcepta obseruare; in nullo contra voluntatem Diuinam contrafacere, sed totis viribus, totoque conatu illius voluntatem adimplere. Quid autem agit pœnitentia? Quod eius est munus? Non aliud quam conuertere. Pœnitentia (vt dicebat Chrysostomus) est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, aduersus Diabolum arma, gladius vim eius præcidens, caput eius amputans, salutis spes, desperationis occasus. Pœnitentia contritum sanat hominem, & tristẽ exhilarat, vitam de interitu reuocat, statum restaurat, honorem renouat, dat fiduciam, vires reuocat, gratiam abundantiorem refundit. Pœnitentia omnia ligata soluit, omnia aduersa mitigat, omnia desperata animat. Pœnitentia rutilantior

Encomia pœnitētiæ (left margin, beside "Quod eius est munus")

hom. de pœnitētia. (right margin, beside "Quod eius est munus")

auro,

auro, splendidior sole; q̄ non vincit peccatum non defectio superat. Pœnitentia respuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam. Super aquam refectionis educauit me, Animam meam conuertit.

Et ne quis pœnitētia verbis tātū, nos cōmendare existimet, dixi cum Chrysostomo, quod pœnitentia est delictorum medicina, & iniquitatū consumptio; q̄ animā a peccato conuertit. Testē habemus ipsū Deū, peccatorū veniā pœnitētiæ tribuentē. Si ait peccatā vestra, rubra fuerint vt coccinū, quasi nix dealbabuntur, per hoc lauacrū salutare. Quid insoluibile est apud nos vt coccinū? Quid vero apud nos, magis albū vt nix, aut lana pura? Tamen promittit, Qui se in hac aqua pœnitentiæ lauerit, peccata illa dealbabuntur vt nix, vel vt lana munda. Quod si non credimus Deo, per exemplum proponenti, credamus iuramento Dei. Dicit Deus. Viuo ego dicit Dominus, hoc vero iuramentum, non est leuis momenti; sed est decens Deo, siquidem non habet maiorem seipso. Iurat autem propter incredulitatem eorum, qui pœnitentiam tollunt. Viuo ego, dicit Dominus, si impius egerit pœnitentiā, ab omnibus peccatis suis, q̄ operatus est & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciū & iustitiā, vita viuet & non morietur. Omniū iniquitatū eius quas operatus est, nō recordabor. Viuo ego, dicit Domin⁹, nullus timeat Nolo, mortē peccatoris sed vt conuertatur & viuat. Quod si neque quia iurat Deus fide dignus est, neque verbo, neq. exemplo neque iuramento credimus; Credamus factis. Non euersa est Niniue, super quam iratus fuerat Deus: Non propter aliud, nisi quod omnes vestierunt se saccis, a maiore vsque ad minorem, non alia causa de causa, misertus est ei, nisi quia Rex surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco & sedit in cinere; quia & homines & iumenta, & boues, & pecora nō gustarunt quicq̄. Nō pp aliud, misertus est Dn̄s sup Niniue nisi q̄ a clamauerunt ad Dominū, in tota fortitudine sua, et conuersi sunt a via sua mala, & ab iniquitate, quæ erat in manibus eorum. Quia vidit Deus, quod cōuersi fuerant a via sua mala, misertus est super malitia, quam locutus fuerat eis, & non fecit. Quid vero Dauid? Qui postquā adulterio immane homicidium coniunxit, scelus profecto enorme, & quod gratiæ Diui-

Pœnitentia peccata consumit.

Ezech. 18.

Ezech. 33.

Ionæ 3.

næ, indignũ constitueret in posterum recipiendæ. Tamen quũ lachrymas fudit abũde, postq lachrymis stratũ rigauit; postq̃ p singulas noctes lauit lectũ suũ; postquam supplicauit Domino, Miserere mei Deus, secundum magnã misericordiã tuã, & secũ dum multitudinẽ miserationũ tuarũ, dele iniquitatem meã; post quam dixit, confitebor iniustitiã meã Domino, tunc remisit iniquitatem peccati eius; tunc Prophetæ testimonio peccatorum veniam recepit. Dominus quoque (ait Nathan Propheta) transtulit peccatum tuum. Quid scelestius Achabo? Rapuit supra reliquos prædones vineã, Dño ipsius crudeliter occiso; Prophetas Dñi psecutus est. Huic cõminatus fuerat De'; Ecce ego indu cã sup te malũ, et demetã posteriora tua, & interficiã de Achab mingentẽ ad parietẽ, & clausum & vltimũ in Israel. Si mortuus fuerit Achab in Ciuitate, comedent eũ canes; si aũt mortuus fuerit in agro, comedent eũ volucres Cœli. At cum scidisset vestimẽta sua, operuisset cilicio carnẽ suã; cũ ieiunasset & dor misset in sacco, & ambulasset demisso capite; Factũ est verbũ Dñi ad Eliã. Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducã malũ in dieb. eius. Manasses autem, quis & qualis fuerit plusquam clarissimum est. Manasses n. tãta scelera comiserat, vt cunctos suos pdecessores, insania atq. malitia, anteiuerit; Tyranide legalem euertit ordinem; templum clausit & abominanda in eo simulachra constituit; idolorum errorem Deo aduersum inuexit Ciuitatem homicidijs impleuit, in Sanctos etiam manus suæ crudelitatis extendit; multaq. alia perpetrauit maiora, prorsus quam vt videretur venia posse donari. Verũtamen ille post tot tantaque flagitia, ab omnibus est mundatus ac dilectus. Quo autem istud effecit modo? Pænitentiæ profecto lachrymis Non est quippe, non est omnino aliquod peccatum, quod non cedat pænitentiæ virtuti. Profer mihi deinde aliquem si potes, sceleribus magis contaminatum, atq. magis venia indignũ, vt Nabuchodonosor Babylonium Regem. Is quantam Diuinæ gratiæ & bonitatis vim in se receperit, vt Prophetam adoraret, & ei Sacrum ac si cuidam Deo fieri iuberet: vt ad Dei veri verã cognitionem rediret, hunc præ cæteris Dijs tanquam sublimiorẽ, sapientiorẽ & potentiorẽ coli prçciperet. Tamẽ post tot accepta beneficia, rursum in veterem superbiam conuersus, & Deũ abnegauit, & eos q̃ nollet in scelus idololatriç consentire

qui

3. Reg. 21.

qui recusarent statuę inclinare poplitem; qui ipsum nollét prę ferre Deo, vinctos in fornacem accensam cõiecit. Quid hoc scelere maius? Quid ista crudelitate indigni? Heccine facinora merentur veniã? Secundum iudicium Anabaptistarum, non fuit dignus indulgentia. At secundum Diuinam misericordiam, nolẽtem mortẽ peccatorum, dignus est iudicatus. Huic.n.tam atroci ac impio, qui potius fera quam homo censendus erat, Deus misit Prophetã, qui ipsum ad resipiscentiam hortatur, variasq; offert occasiones, mutãdi animum in melius: primo miraculũ quod in ardenti fornace contingit; dum flamma ipsius refrigerabat puerulos, & ab incẽdio sua virtute in seip sam, & in alios scelestes retracta conseruabat, alios autem qui cõijciebant in fornacẽ, suffocabat atq; adurebat. Deinde misit faciem quã ipse Rex vidit, & Daniel interpretatus est, quę idonea erat saxum durissimum, nedũ animã inflectere. Huic suadet postremo per Prophetam, Quamobrem Rex cõsilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperũ; forsitã ignoscet Dominus Deus delictis tuis. Et licet post tot miraculorũ animaduersiones, post tãtas monitiones, aliquãtulũ correptus sit; tamen post finem dierum, postquam leuauit oculos suos ad Cęlũ, & benedixit Altissimo, & viuentẽ in sempiternum laudauit; postquam egit pęnitentiam de scelere quod patrarat: in ipso, (inquit ipse) tẽpore, sensus meus reuersus est ad me, & ad honorẽm Regni mei decorẽq; perueni, & figura mea reuersa est ad me, & Optimates mei, & magistratus mei requisierũt me, & in Regno meo restitutus sum, & magnificẽtia mea amplior addita est mihi. Viuo ego dicit Dominus. Nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. O Diuinã bonitatẽ immensam, o clemẽtiam indicibilem. Statuerat quidẽ Deus, vt anima quæ peccauerit moriatur; vt quacunq; die comederẽt ex arbore sciẽtię boni & mali Parentes nostri, confestim morte morerẽtur. Qui.n.auertitur a vita, & venenũ mortis vt aquã bibit; dignus est vt a vitę vsura excidatur. Peccauerũt parẽtes nostri, suasu serpẽtis; *Venenũ aspidis inferni manducantes*, vitę vsum sibi pręciderunt; tamen Deus ex sua imensa bonitate, Nolo, inqt, mortẽ peccatoris; volo vt ad me conuertaris o Adam. Vade in hanc lachrymarũ vallem, & sicut imitatus es serpẽtem inferni, vt comederes felleũ, & illum mortiferum cibũ; imitare serpentes

Bonitas Dei in recipiendis peccatoribus.

tes terræ in euomendo illud. Serpētes.n.dū persentiunt se veneno infectos esse, serpunt & progrediūtur ad aquā, & in illā proijciunt, quicquid nociferū gustarunt. Ecce eijcio te in vallem lachrymarū; *Ecce habes labium æneum pęnitentię. Panis tuus in vtero tuo, cōuersus est in fel aspidū intrinsecus;* diuitias igitur quas deuorasti, euomas in hac aqua. Ne diffidas, *de uētre tuo extrahet eas Deus. Caput aspidū suxisti;* ecce vides q̃ *Dedi tibi riuulos flu minis, torrentes mellis & butyri,* euomas hoc pestiferū venenū; nolo vt moriaris. Nolo mortē peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat. Statuerat quidē Deus, vt anima quę peccauerit, deleatur de libro vitę. Peccauerat Moyses peccatū, grauissimū infidelitatis, precatur, supplicat; Dele me de libro vitæ. Deus tamē ex immēsa sua misericordia ait. Nolo mortē peccatoris, sed vt cōuertatur nolo te delere de libro viuentium, in manib. meis.n. descripsi te. Quomodo autē ego paterer manū mearum commaculationē? Dum.n. delet scriptura de libro, maculatur liber *Si ego delerē te de manib. meis, motā quadā turpem inducerem super eas.* Dicerent.n. Hęccine est Dei misericordia? Talē ne Dominū erga vos clemētē habetis? *Siccine malitia uincet sapientiam?* Nos quū mali simus, non statim ex cathalogo familiæ seruum inobedientē delemus, nō illico peccantē proscribimus à nobis; Deus seruū inobedientē delinquentē, confestim delebit de manib. suis? Nolo vt ista indigna, de me aliquando effutiantur. Nolo mortē peccatoris. Nolo in furore meo arguere, nolo delere de manib. de albo meo nolo expūgere peccatorē; volo misereri, si conuertatur ad meos cōplexus; exopto vt viuat, si ad me fontē vitæ redierit. Hominis.n. malitia mensurā habet, mea vero pietas & clementia mensurā non habet. Humana malitia qualiscunq; fuerit, humana malitia est, mea vero pietas & clemētia, quia est incircūscripta, ipsa igitur malitiā superet necesse est. Cogita scintillā, si in mare ceciderit, num poterit stare, aut apparere? Quantū scintilla ad mare se habet, tantū hominis malitia ad meā clementiā & pietatē, imò non tantum modo, sed & longe supra. Nā & pelagus tametsi magnū sit, tamē mensuram recipit, mea vero pietas & clementia mensurā non habet. Nolo ergo mortē peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Statuerat Deus apud semetipsum, Cum, inquit. extenderitis manus vestras, auertā oculos meos à vobis; & cū multiplicaueritis orationē non exaudiā. Tamē cū

Allegoria penitētię pulcherrima

Ioan. 2.

sup-

supplices tẽdit manus ad Deũ. Manasses, cũ ad eũ lachrymis perfusis vociferatur. Tu Deus iustorũ, nõ posuisti pœnitentiã iustis qui tibi non peccauerunt; quoniã peccaui super numerũ arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meę, incuruatus sum multo vinculo ferri, & nõ est respiratio mihi. Peto rogans te remitte mihi, ne simul perdas me cũ iniquitatib. meis. Respondit Deus. Nolo mortẽ huius peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Laua a malitia cor tuũ, vt saluus fias. Lauamini, mundi estote, & peccata vestra abluentur. Licet sitis peccatores teterrimi, pænitẽtiæ tamen virtute, ad animi candorem & puritatẽ reducemini. Promiserat Deus, quod illos qui sunt cõuersi in dispersionẽ, non requireret; Suscitabo, inquit, pastorẽ in terra, qui dispersum non
Zach. 11. quęret. Errauit Dauid, tamẽ quia pręcat cũ lachrymis, Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuũ Domine. Quęsiuit ille, & inuenit, & reduxit. Inueni, ait, Dauid seruũ meum, oleo sancto meo vnxi eũ, nihil iã proficiet inimicus in eo. Errauerámus nos omnes, velut oues in deserto, deuiauimus ab illis gregib. pascuæ Cælestis; suscitauit tamen pastorẽ, qui quæreret nos. Nolo mortẽ peccatoris. Dũ hęc ouis perierat, nõ conuocauit amicos aut vicinos; non dixit cõgratulamini mihi; sed potius lugete mecum; ploratus illos assumitte, ac triste & flebile quiddam mecum exclamate; maximã.n. iacturã feci. Nõ quia tot aut tot auri talenta, è manib. exciderunt; neq; quod magna vis lapidũ pretiosorum, sed quod is qui omnium illorum pretiosor est. Nolo mortem peccatoris. Abijt Christus pastor bonus, & requisiuit, ouẽ perditã; vsq; ad inferos etiã processit, infixa.n. erat hęc ouis in limo profundi, vbi nulla erat substantia, vbi vmbra mortis &
Luc. 4. nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. Quid hic mussitabitis o crudeles Anabaptistæ? Ab eo misericordiã excludetis, qui misericordiã prędicare venit? Qui venit sanare cõtritos corde, & prędicare captiuis remissionẽ, & dimittere confractos in remissionẽ, & prædicare annũ Domini acceptum, & diem retributionis, ab eo misericordiã excludetis? Ab eo misericordiam excludetis, a quo pęnitentia commẽdatur? Pęnitentiã agite & appropinquabit vobis regnũ Cęlorum? Interrogemus Saluatorẽ. Cur ad nos de sinu Patris, cur de Cęlestib. Thronis in terrã descendisti? Et respondet. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pęnitẽtiã. Exquiramus ab ipso. Quid gestas super humeros?

Anabaptistarũ error de pęnitentia.

Ouem

Ouē, quæ a montib. illis ęternis, in hanc abyssum deuiauerat, quæ perierat. Super quo fit gaudiū in Cęlo? super quodam peccatore pęnitantiā agente. Angeli gaudent: & vos inuidetis? Gaudens Christus suscipit, & vos impedietis? Christus ad pęnitētiā hortatur. Pęnitētiā agite & appropinquabit vobis Regnū Cœlorū. Vos autē in sensu peruerso, extorquentes Paulū qui testificabatur Christum propter peccatores venisse, quorum ille primus erat, dicitis, Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt ēt donū Cęleste, & particeps facti sint Spiritus sancti; gustauerunt nihilominus Dei verbū, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pęnitentiā. Fatemur quidem quod *impossibile est tales renouari ad pęnitentiam*, non autē per pęnitētiā. Fatemur quod *impossibile est tales renouari per Baptismum*; per Baptismū.n. vetus homo in nobis renouatur; per baptismū gustamus quasi prælibamus, & tantū labris attingimus, gratiā Dei, donū illud Cęleste; nō.n. tunc paruuli cooperare possunt gratię Dei; nō tunc possunt deglutire illud. Abrenuncio tibi Sathana. Per Baptismū a tenebris peccatorū, *quasi alter cæcus, in natatoria Siloe* illuminamur. Per Baptismū pgustamus similiter extremis labris, pręlibamus bonū verbum Dei, & virtutes futuri sæculi, *Impossibile est igitur prolapsos ad peccata, renouari per Baptismum ad pænitentiā*, non per pęnitentiā. Vt.n. homo ex materno vtero semel, sic ex aqua & Spiritu sancto semel nascitur. Pulcherrime post Augustinū Oecumenium, Theophilactū, Ambrosium, Chrisostomus interrogat. Quid ergo? Exclusa est pęnitentia? Num pęnitentia exclusa est? Absit. Sed renouatio per lauachrum regenerationis: Non.n. dixit. Impossibile est renouari in pęnitentia . Non igitur impossibile est renouari per pęnitentiam; cum promiserit, renouabitur *vt aquilæ percutiētis rostrum ad petrā* (confitentiū ad Petrā, & loquentium ad Petrā) iuuentus tua. Impossibile est renouari ad pęnitētiam. Vobis igitur inter dixit renouari ad pęnitentiā; vobis sacrilegā iterationē Baptismi prohibuit. Vos.n. quia Baptismum insulse cōmiscetis & confunditis cum Pęnitentia, dicentes idē esse prorsus Baptismum & pęnitentiā; & ideo sępe sæpius baptismata reiteratis, vt Bellarminus obseruauit. Vobis interdixit, & impossibile iudicauit, vt iterum renouemini ad pęnitentiā, crucifigentes vobis secundo Christū. Qui.n. secundo Baptizat (ait Chrysostomus) secundo

Baptismus non iterādus.

Hebr. 6.

Baptismi virtus qui operatur.

Allegoria aquilæ, super Confessione.

cando eum crucifigit. Sicut. n. Christus mortuus est in cruce, sic & nos in baptismate, non carni sed peccato. Nobis autem, non iudicauit impossibile esse renouari per pęnitentiam. Per hanc. n. Christus regnum Cęlorum apropiatum designat. Per hanc subito rapuit latronem ad Regnum. Per hanc Dauid post flagitium, fęlix iterum recepit Spiritum Sanctum. Per hãc Manasses post cruenta facinora, Deo meruit fieri acceptabilis. Per hanc Petro Apostolo, postquam ter negauit Saluatorem, data est indulgentię dextera. Per hanc filius prodigus, regressus ad Patrem nõ solum amplexum osculumq; paternum, sed etiam æpulum vituli saginati, vestemq; insignem meruit adipisci. Per hanc mulier fornicaria vberes stillauit lachrymas, fonteq; sui Bapt. prorinus lauit pedes Christi, crineq; detersit. Per hãc Niniue Ciuitas magna, populusq; integer Barbarorũ, subito Deũ placuit. Sup aq̃ refectionis educauit me, & per hãc aq̃, animã meã cõuertit. *Super hãc vallẽ lachrymarũ pęnitẽtiæ* emisit Deus vt alter Noe, Allegoria Noe, & columbæ.
Gen. 8. *colũbam quæ non habuit cor*, q̃ lamẽtabatur, cor meũ dereliquit me; quæ lubrici veneno serpentis sauciata, in lapsum conuersa, non valens vlterius super aspidem & Basiliscum conscendere, & draconem, & leonem calcare: *qua abluta aquis pænitentiæ, in uenta oliua misericordiæ, reuertitur ad Archam Ecclesię, & manu Diuina emissa, atq; exporrecta suscipitur benigne*. Per hanc vallẽ pęnitẽtię, per hoc mare rubrum, traducit omnes quicunq; sunt intraturi, in terram Cęlestem promissionis. *In hac aqua contribulat capita Draconum*. submergit Aegyptios, crudeles illos Dæmones qui nunquam requiem concedunt animab. nostris, sed lutea figmenta fabricare, luto vitiorum se contaminare præcipiunt, & quadam vi adstringunt. Syrus ille Naaman leprosus a lepra peccati, huius aquæ virtute lotus est. Super hãc probatica piscinã, omnes ægrotos, male habentes, sordidos, & inquinatos collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animã meam conuertit. Vtinam vel etiam nos, nos peccatorum sanie contaminati, hac eadem aqua labes nostra eluamus, & animã nostram conuertamus. Sed prohdolor accidit, Deus vociferatur. Lauamini mundi estote, Pęnitentiam agite. Nos autem lutum in animam congerimus; nos quibusuis spurcitijs animam nostram contaminamus. Lauamini tandem, sed mundi estote; Cant. 5. mundi perseuerate. Sancta illa indignatio vos inuadat. *Laui pedes*

Allegoria maris rubri.

Allegoria Iordanis & Probat. piscinę.

des meos, quomodo inquinabo illos. Egone pedes animæ meæ inquinabo? Egone quæ monilibus aureis gratiarum ornata sum, me contaminabo? Ego sponsa Dei, futuro tempore lateri Dei assessura, me commaculabo? turpitudinem, cicatricem, sordiciem in meos pedes inducam? Laui pedes meos? Non inquinabo; nunquam inquinabo illos. Lauamini sed cito, dum tempus est lauandi; dum sumus in hoc balneo salutari. Hic.n. Deus audit deprecātes; hic supplicantib. nobis indulget; hic iniquitates nostras delet; hic consolatio conuersis lugentibusq; donatur, illic terribile agitatur examen: hic venia, illic seuera discussio; hic longanimitas illic districtio; hic miseratio, ibi diligentia: hic arbitrij libertas, illic horenda iudicia; hic in requie, illic in angustia; hic fruitio, ibi cruciatus: hic cupiditas, illic pęnæ: hic risus, ibi fletus: hic negligentia, ibi supplicium: hic contemptus, illic sempiternus ignis: hic exquisitus ornatus, illic immortalis vermis: hic fastus, illic humiliatio: hic rapinæ, illic dentium stridor: hic auro texta vestis, illic tenebrę atq; caligo; illic si plangemus vel rogemus infinita, sed huius aquæ neque paululum quid destillabit ardentibus nobis. *Si nolueritis, reuerti & mundari, gladius meus deuorabit uos* ait Dominus *gladius meus flammeus, quem ante Paradisum obfirmaui, deuorabit vos, consumet flammis perpetuis.* Discedite maledicti in ignem æternum. Quod a nobis auertas Christe Iesu obsecramus, per merita Santissimæ, & immaculatæ matris tuę, Amen.

In inferno nulla redēptio.

(*)

LACHRI-

LACHRYMARVM VALLE.

Vallis autem siluestris, in qua direxerant aciem, habebat puteos multos bituminis. Gen. 14. c.

CONCIO VIGESIMAOCTAVA.

In qua de Mundi insidijs & periculis agitur.

PATIENTIAE & fortitudinis perfectissima idea, sanctus ille ac timens Deum Iob, dum conditionem status humani consideraret, vitam nostram cuidam certamini similem esse dicebat. *Militia* inquit, *est vita hominis, super terram*. Nisi me animus fallit, existimo quod nouerit illud sapientis: quia Deus in pœnam peccati, armauit vniuersam creaturam, in vltionem inimicorum suorum; & Orbi terrarum pugnare præcepit, contra insensatos; ideoque dum homo in huius mundi limina pedem figit, procedit in aciem contra vniuersam creaturam; aduersus Orbem terrarum, & præcipue contra illum regem Behemoth. de quo Paulus testatus est. *Non est*, ait, *nobis colluctatio, aduersum carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates; aduersus mundi rectores tenebrarum harum; contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus*. Dimicandum nobis est, non cum infirmis, sed fortissimis militibus, cum Angelis quibus nulla fortitudo terrena exæquari potest; cum Principibus & potestatibus, qui imperio suo, omnes subditos suos ad bellum concitare possunt, non autem cum aliquo infimo ex cohorte illorum: Certandum non cum stultis & improuidis, sed astutis militibus; contra spiritus prælium mouendum, quorum

Iob. 1. — Militia vita hominis.

Ephes. 6. — Acies Dæmonis cum quo militandum.

rum oculis omnia patent; qui omnes modos circumueniendi et debellandi norunt: qui nunquam somnum oculis carpunt, neq. vllam tentandi occasionem prætermittunt, neque vllam personę conditionem attendunt. Cõgrediendũ cum spiritibus in Cæ lestibus, nõ in terris sed in aere caliginoso existentibus, vnde facilius quæuis iacula contra nos intorquere, acrius infæstare, citius deuincere queunt. Militia est vita hominis super terram. Quæ militia, ꝙ prœliũ quã atrox sit? facile hoc exẽplo conijcere potestis. Ponamus hic, ꝙ oculis nostris aspiciamus, horũ Nouẽ Regũ, q̃ pugnarũt adinuicẽ, exercitũ ex militib. tũ peditib. tum equitib. constantẽ; qui camporum planicies, ipsos mõtiũ vertices, hinc peditum, hinc equitum phalanges contegant; Inter quos sint aliis sagitatores, alij funditores, cẽturiones, Duces, cataphracti equites & iaculatores, Videamus deinde machinarum copiam, hostium procinctã aciem vniuersam; æs item armorum oppositum Soli splẽdorẽ reddat, atq. a solaribus radijs & galearum & clipeorum corruscatio vibretur; hastarum fragor, equorumq. hinnitus in Cælum feratur; neq. montes, neq. campi appareant vbique æs vbique ferrum. Tum sint quinque Reges illi, contra quatuor cum instructis, armatis, efferis quibusdam ac trucib. viris, Inter quos videamus auersandos formidolososq. aspectus, & armorum apparatũ, ab alio apparatu diuersum; & immensam multitudinem, & conualles, & alta præcipitia, & montium iniquitates. Congrediantur igitur vtrinque, ita vt aspiciamus aduersarios, in equis volitãtibus incantatione quadã insidere, & cataphractas per aera ferri. Hinc subsequantur belli calamitates, missilium iaculorum niuis instar ingruentium impetus; multa illa caligo & tenebræ obscurissima nox, quam sagitarum multitudo efficit, Solis radios densitate sua auertẽs: puluis nõ minor tenebris omniũ oculos excæcans. Hinc sanguinis torrentes, cadẽtium gemitus, stantium clamores, iacentiũ aceruos, rotas sanguine tinctas, equos præ cadauerũ multitudine, vna cũ suis sessoribus in caput præcipites: fit terra vniuersa mixtim hæc omnia continens, sanguinem, arcus, sagittas, equorum vngulas, hominum capita simul iacentia, & brachia, & collum, & tibia, & pectus transfixum; cerebella ensibus traiecta, iacula, cuspidem effractam, cui hominis oculos tanquam infibulatus hæreat. Illi vero quinq. Reges,

Descriptio per hipothesim spiritualis belli.

Applicatum ex Chrysostomo li. 5. de Sacerd.

ges, miseré a quatuor viui cōpræhēdātur, & in durā seruitutē, nulla nō morte duriorē abducātur. Hęc oīa licet atrocia sūt, atrocius tñ est prælīū militię nostræ; maius atque horribilius, si tibi forte caliginosam illā Regū superbiæ, Regū inferni & Principum tenebrarū contra nos instructā aciē, conflictumq. insanū oculis istis cernere liceat. Non .n. illic æqui, aut ęs, aut ferrum, non currus, non rotæ, non ignis, non iacula ista quæ cernimus, verum alia machinamenta, ijs quæ dixi terribiliora. Potētib. istis non est opus thorace nō scuto, neq. ensib. neq. hastis; sed vel nudus, execrādæ illius militiæ aspectus talis est, vt humanā aīam, a corpore ipso dissoluere possit; nisi ea admodū generosa fuerit, atq; adeo antequā a virib. ipsa sui auxiliū petat, Diuinę in se clemētię prouidentiam senserit. Sic sane si liceret, corpore hoc exuto, aut etiam cum ipso corpore, perspicue atque intrepide, vniuersam illius aciem, bellumque contra nos instructum, ipsis oculis coram contueri, videremus vtique non sanguinis torrentes, neque corpora demortua: sed animarum lapsus tam multos, seu vulnera tam grauia, vt tibi statim belli illius pictura, q̄ modo expressi, puerorum delectamenta & ludicrū potius quā bellū videri possit. Tā multi certe ac frequētes ij sunt, qui indies singulos feriuntur, quorū vulnera non idē mortis genus pariūt, sed quantū inter se dissident anima & corpus, tantū est certe inter mortē hāc, & illā discrimen. Nā quoties plagā aīa accipit, eādemq. capit, hic prostrata quidē iacet, malę aūt conscientię cruciatu contabescens; postea vero quam separata a corpore hinc emigrarit, ęterno cruciāda supplicio traditur. Quod si quis existit, qui Diaboli plagas non persentiat; nimirum illius morbus ex ea indolentia ingrauescit. Quęcunq. n. plaga vna inflicta nō mordet neq. attristat, is certe facile & alterā excipit, itemq. & hac accepta tertiā; neq. n. intermittit, ad extremū vsq. spiritū feriens nefarius ille, quotiens inuenit animā supinā, prioresq. plagas contēnentē. Porro si cōgressus modū expendere velis; hunc vero longe acriorē ac magis diuersum cōperies. Neq. n. quisq̄ est qui tā multas fraudis, doli, artificij, formas norit, quam multas, sceleratus ille hostis. Qua quidem in parte, maior illius vis ac potentia inest: neq. inimicitias quis tantas, tamq. incōciliabiles aduersus hostes sibi infensissimos gerere potest, quantas ille aduersius humanam naturam gerit. Porro si quis examinet

Belli spiritualis atrocitas.

lenti, immodico ornãdi corporis studio, lasciuiæ & luxuriæ flãmis, zelotypię furore, ira, inuidia, varijs supstitionib. linguę virulentia, continuo maledicendi & maleprecandi vitio. Contra omnes promiscue, procedit cum incursu, & cum vniuersa phalange peccatorum, multis odijs, dissidijs perpetuis, ventris ingluuie, torpore circa spiritualia, solicitudine ad temporalia. Ita vt nullus sit quem ille timeat; omnes impugnet; omnibus iste spurius Goliath immane conflat prælium. Postremo vt semel finiã, acerrimum est hoc bellum, quia hostis impar viribus nostris, *Dum illi Reges manus conserebant ad inuicem*, Reges vtrique erant, hominum aciem congregatam ducebant. At hic, nos sumus vermes, dicam etiam, homines, lubrici, faciles ad decipiẽdum, fragiles ad resistendum, ad malum proni, ab bonum inepti, ad terrena bona procliues, ad spiritualia tardi atque difficiles, sui amantes, Dei rerumque Diuinarum negligentes, multis & varijs cupiditatibus obnoxij: Dæmones autem sunt Reges, sunt Principes & potestates, Rectores mundi tenebrarum harum, sunt Spiritus Cælestes nulli ex his affectionib. subiecti. Militia est vita hoīs super terram. Verũ, quonã in loco acies suas, contra nos produxerũt? Vbinã locorũ nobiscũ confligere processerunt? In vallem lachrymarum, quæ illorum viribus est adiumento, nobis vero ruinam minatur. *In valle Syluestri, quæ habet multos puteos bituminis direxerunt aciem*. Si fuisset congrediendum, non in valle, sed in montibus illis altissimis, in quibus tempore quodam vulneratus, prostratus, & depræssus iacebat, seu de quibus vt fulgur turpiter cadebat; haberemus galeã spẽ victoriæ maiorem; vires suas cum nostris Michael cõiungeret, illumque accusatorem fratrum conficeret; sed in valle concertandum est. Si fuisset concertandum quidem in valle, sed non
Isai. 34. *in valle Syluestri*, vbi socij sumus struthionum & fratres Draconum; vbi serpentum ignitorum nullus est numerus; vbi occurrunt Dæmonia, Onocentaurus & pilosus clamantes alter ad alterum, Percute, macta occide: Vbi *latronum immanis crudelitas, nullus autem est vel Leuita vel sacerdos Mosaicus* qui adiuuet vel prohibeat. Si fuisset in valle & illa etiam Siluestri, sed non illa *quæ habet multos puteos bituminis*, Dixissem potius mellis, quibus oblinire solet sua iacula, & cuius dulcedinis specie, sua venenata tela contegit; facile victoriam nobis pollicere-

Allegoria syluę Hiericõtinę.

Dæmonis astutia.

quia luce bonitatis cuiusdam circumfusum, & dulcedine & suauitate amictus, omnes illud in suo corde recipiunt. Multos vulneratos deiecit hoc Dæmonium, & fortissimi quique interfecti sunt ab eo. Quanti & quales Episcopi, (testabatur Augustinus) & clerici post confessionem & victoriarum calcata certamina: post magnalia & signa mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, quum volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, idest luxuria? Quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Multos ab hac peste cecidisse vidi, de quorũ sanctitate, non minus quam Ambrosij vel Hieronymi æstimabã. Cadent a latere eius mille, & decem millia a dextris suis. Ast non incongrue quoque dicitur; vallem istam lachrymarũ *habere multos puteos bituminis*, Sathan etenim more aucupum, quia insidias nobis incautis struit, omnia arma sua bitumine, seu quodam visco intinxit, vt & facilius capiat, & diutius tanquam alitem viscus, in sua potestate detineat. Quis enim non dixerit viscum esse, dum Sathanas, iuueni vitiorum cathenis deuincto, proponit longitudinem vitæ, & senectutem annosam, aptam pœnitentiæ agendæ, iuuentutem autem sceleribus dedicandam? Dum inquit, veniet tandem tempus illud, quando septuagenarius ineptus eris sęculo, quãdo delitiæ & peccata te relinquent; tunc ieiunijs macerabis corpus; tunc valedices Dęmoni, eo tempore te totum consecrabis rebus Diuinis, & omne tempus insumes in excolendo animo. Nunc autem dum es in flore iuuentæ, fruere bonis quæ sunt; vtere creatura celeriter, vbique relinquas signa lętitię; quoniam hęc est pars tua, & hęc est sors tua. Agant pœnitentiam senes, ieiunijs atterant corpus Anachoretæ; flagris illud conficiant Religiosi; contemplentur cœlestia Monachi; te autem non prætereat flos temporis: nullus sit locus quem pręterea luxuria tua. Quid verò? An non bitumen est illud quo detinet, in profundam abyssum peccatorum ruentes, Misericordię ostensio Diuinæ? Facias, ait, quicquid lubet; Alienis te iniquines matrimonijs; aliena diripias, & sibi consciscas; te tumidum super alios demonstres; omne scelus, & omne flagitium exerceas; Ne timeas mala tibi aliquã ingruere; misericors est Deus; Dimittet tibi, te eleuabit ex quacunque profundissima voragine; nõ delectatur ille in perditio-

Dæmon quem semel sibi subiecerit, non vult dere linquere.

ne pecatorum. Nonne dimisit Petro, quod ipsum negauit? Negare & abiurare etiã tu potes; dimittet tibi. Nonne dimisit Paulo, qui Ecclesiam persecutus est? Inferas & tu bellum Ecclesiæ; in cõflictum euoces Sacerdotes; in vincula conijcias orphanos dimittet & tibi. Nõne absoluit Magdalenã, quę septiformi Dęmonio peccatorum, ac pręcipue luxuria detinebatur? Intrent in te vniuersi si volent: illis te in seruitutem trade; sis etiam publicanus vel peccatrix publica; dimittet tibi. Bitumen est istud; viscus est, quo detinet illaqueatos. Delitiæ enim eius sunt esse, cum filijs peccatorum. Non vult vel minimum vnguem dimittere, illum quem semel subiugauit. Vult tanquam durus & crudelis ille Pharao Aegyptius, vt terrena tractemus; de terra cogitemus; terrenos construamus carceres; durissimam susti neamus seruitutem; vbi nec requies, nec solatium, nec libertas, nec aliquod bonum sed sempiterni cruciatus detinentur. Vult vt in istis puteis, perpetuo defixi perseueremus; neutiquam autẽ permittit, vt transeamus iter trium dierum penitentiæ, per mare rubrum lachrymarum, ad offerendum sacrificium illud Domino, de quo Dauid, aiebat. Sacrificiũ Deo spiritus cõtribulatus, cor contritũ & humilitatũ Deus non despicies. Vallis aũt silue stris, in qua direxerũt aciem, habebat puteos multos bituminis.

Allegoria Pharaonis.

Quinam vero sint isti putei; Dũ perquirebã diligentius, inueni illos esse, quorũ Ioan. meminit in sua Diuinissima Canonica dicens. *Omne q; est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscẽtia oculorũ, aut superbia uitę*. Hic sunt putei veteres, nõ valentes continere aquam, ad quos diuertunt illi, qui derelinquũt Deum fontem aquarũ viuentium. Hę sunt *cysternæ veteres, continẽtes aquã turbidã*, turbationũ mentis & corporis, turbationũ in vita, in morte, & post egresũ e sæculo. Hę *sunt aquæ Marath incultæ solitudinis*, ad quas veniunt illi, qui ingressuri sunt p medium hostiũ, in illam terram Sãctificationis & Beatitudinis. Hos puteos aquarum morientium, atque Stygiarũ nõ effodit Deus, non Abraam, non Isaac, nõ aliquis ex Patriarchis, sed ipse Dęmon; vt si in vnũ saltẽ non põt, in alterũ vel tertium, dimicantes in hac terra inuia, & inaquosa conijcere & pręcipitare queat. Da mihi vel vnum militẽ, cõcertantem cũ Sathana, qui in vnã ex his foueis non ceciderit aliquando? Quin. Demonstra mihi vel vnum peccatorem, qui non in omnes puteos istos sulfureos

1. Ioan. 2

obruerit. *Concupiscentia carnis est puteus.* Fouea profunda, dixit sapiens, est meretrix. Ab hac autem quisquam immunis vnquã fuit? Quẽ sulphureæ illius aquæ, non adusserunt? Sit vel Ioseph ille pudicissimus, vel Aquinas innocẽtissimus, vel purissima Catherina; motus tñ & flãmas huius ignis, persentiat opus est. Veniet vel vxor Putipharis; vel puella aliqua lasciuiens, vel Maximinus, qui tibi prælium ciet; & si in solitudinem ab hoĩum remotissimo conuictu te recipias, veniet ipse Sathanas, qui tibi vt quõdã Machario, vel Antonio facesset negotium *Fortitudo Dæmonis in lũbis eius & virtus illius in vmbilico ventris eius.* Si in aliquo alio vitio, fortitudo eius est reposita, certe magis in peccato carnis; vbi caro ipsa a nobis circũgestata, siue dormiamus, siue vigilemus, siue illã mollib. vestiamus, siue aspero cilicio affligamus, flãmis suis fortitudinẽ eius adiuuat. In orationẽ te recolligas, otio dissolute viuas, diuitias cõtrectes, paupertate premaris, in foro, in cubiculo, in Ecclesia, in multitudine populi; in solitudine sis, renitente ẽt intellectu & voluntate, insultus lũborũ, & vmbilici ardores, huius profundæ foueæ te vt nõ infestẽt, impossibile est. Interrogemus adolescẽtes, viros prouectæ ætatis decrepitos senes, virgines, coniugatas, viduas, steriles anus, Reges, Principes, Diuites, Sapientes, insipientes, Sãctos, peruersos, Anachoretas, Ciuitatem inhabitantes, Ab omnibus istis quæramus. Carnis impuros motus passus es aliquando? Fuisti liber a tentationib. carnis? Sathan, intorsit ne aliquando telum ardentissimum, ex puteo isto in tuum animum? Omnes respõdebũt, nemo ex nobis est qui effrenes impetus carnis non pertulerit. Producent mihi adolescentes Prodigũ filiũ, oĩa cũ meretricib. consumẽtẽ; ostendent pueri Iosephũ vel Bernardũ Sanctissimũ ab hospitib. attentatũ; demonstrabunt viri, Amonẽ iura naturæ in sorore suã stuprantẽ; accusabunt senes, duos illos inueteratos malorũ, concupiscentia in Susannã feruentes. Ostendent virgines, Magdalenã peccatricẽ; coniugatæ Bersabeam adulterantẽ steriles anus Sarai generantẽ. Demonstrabunt Reges, Salomonem fornicantẽ; Diuites epulonẽ luxuriosum; sapientes, Aristotelẽ amore quodã impuro flagrantẽ; principes, Moysen in amplexib. Aethiopissæ recumbentẽ, fortes, Samsonem in sinu Dalidæ ligatum; Anachoretæ, illum sexagenarium militem, sexaginta annis tormenta ista patientẽ. De quib. hoc verissimum est

Carnis concupiscentia.

Iob. 40.

Carnis stimulos nemo est qui non persentiat.

quanto corpus & motus illius, fortius comprimebant, tanto acrius insurgebant, & violentiam maiorem inferebant. Ignis pu tei istius, similis esse videt' igni sulphureo. Vt. n. igné sulphureũ ille qui suffocare vel extin guere cupit flatu suo, magis inflammat & succendit: ita ignis sulphureus, sordidus, impurus omnia deuastans, omnia inficiens luxuriæ flam ma, quanto magis extinguitur, & cõprimitur, tanto fortius consurgit. Biduanis siue triduanis, demus etiam tibi supra naturæ vires, quadraginta dierum ieiunijs corpus extenues; veniet Sathana, vt ad Hilarioné vel Macharium, vel vt ad Catherinam, qui tibi carne carnis bellũ excitabit. In flammas, in aquam, in niué gelidã, in spinas pungentes, te vt aliquis Bernardus, aut Franciscus, aut Be nedictus conijcias: p vulnera corporis, & sanguinis torrentes, flagrorum vi erumpentes, educes quidé pro illo tépore vulnus mentis, sed quod eadem tentatio non redeat, impossibile est. Sexaginta annos licet in seruitute Diuina perdures, vltimam exhales animã, semper dæmonium meridianum astabit. Memini me legisse de quodam sene, in eremi cultura & Diuinis laudib. confecto. Is, cũ ad vltimũ vitæ terminũ deuenisset, & iã agonizans spiraret animã, accessit quædã ex sororibus eius, vt experiretur, si in de mortuo corpore, aliquid super esset vitalis caloris, & manu con trectauit morientis manus; ille tanquã é profundo somno excitatus proclamauit. Amoue paleã; Adhuc igniculus viget. Iamiã alterum pedem, posuerat in alium mundum; iam ante Diuinũ & illud siue tremẽdum siue faustissimum Tribunal rapiebatur, jam siue inferni flammas, siue gaudia Cæli animo cõtuebatur iã ex emortuo corpore fugiebat, tamen vociferatur, Amoue pal leã, adhuc igniculus viget. Quid censendum est de sæculi hominibus, & de illis in iuuentutis tempore, delicijs omnib. affluentibus, quales flãmæ succensæ sint in lumbis eorum, si in lumbis Anachoretę, asperã & incultam, & omni miseriarũ genere refertã vitã viuentis, & huius moriẽtis, igniculus viget? Fortitudo eius in lũbis eius, & virtus illius in vmbilico eius. Tñ nos crudeles, igni igné succẽdimus & fortitudiné Dæmonis luxu nostro adiuuamus. Scimus equidé, ex Bernardo, q huius certaminis p batus & emeritus miles fuit; ꝙ Ignis infernalis materia est gula flamma superbia, scintillæ praua colloquia, fumus insania, cinis immunditia, finis autem gehenna; tamen quib. ciborũ gene-

Sexagenarius in cultu Diuino senex fornicatione tentatus.

Luxuriæ flammarũ fomentum.

tibus,

ribus, non fouemus illũ? Venter distentus cibo, & ęstuans vino cito spumat libidinē; quibus vinis nos non ingurgitamus? Quibus epulis luxuriā nō excitamus? Sine carne & vino, cito friget Venus, & a Patre libero ad inconcessam Venerem, gradus est proximus intemperantiæ: quomodo abstinentia nobis placeat? Opera declarant, crassum corpus demonstrat. Sic sic omnes de gradu suo in has foueas ruunt, nullus est quasi, qui pernicem fugam, & casum in hos profundos puteos cohibeat. Quasi *omnes facti sunt, vt equus & mullus* insanientes, quibus non est intellectus; *Nullus est qui maxillas* indomitæ istius bestiæ *freno abstinentia, & chamo* continētiæ constringat. Omitto insaniam mentis, corporis mala, fortunarum vastitatem, in quæ continuo vos, vos qui incidistis in puteum luxuriæ, incidistis. Recensere vobis nolo, quomodo luxuria, Pentapolim cum adiacentibus regionibus igne sulphureo, sulphureum ignem subuertit & combussit; quomodo Sichem cum populo interemit; Quod hæc filios Iudæ percussit: Iudæum & Madianitidem pugione transfodit: tribum Beniamin pro vxore Leuitæ deleuit; filios Heli sacerdotis in belo prostrauit, Vriam occidit, Amon interfecit, plurimos lapidauit: Quod ista Ruben maledixit, Samsonem in vincula coniecit, & Salomonem reprobum effecit. Non est necesse me dicere, morbos, mærores, clades, inanes sumptus, quæ controuersiæ? Quæ insidiæ? quæ ex hisce commertijs odia, pullulant. Dico tantum de pœnis inferni; omnes nouimus, quod caro Regnum Dei non possidebit; quod fornicatoribus & luxuriosis, pars est in stagno ardenti sulphure & pice. Cur hæc, flammam istam non extinguit? Habet quiddam (dicitis) dulcedinis ac suauitatis mulieribus congredi, At primo a vobis quæro, quæ potest esse voluptas in tanta turpitudine? Nolo prosequi modo, amatorum pugnas, neque bella inter se riualium, nec accusationes & crimina; Demus, quod licenter summaque cum libertate, obscæna illa libidine fruaris; neque riualem aliquem habeas, nec a speciosa illa muliere contemnaris; pecuniarum tibi sit tanta copia, vt eas veluti ex manantibus fontibus haurias, & largissimè impendas, quanquam impossibile est, hæc omnia simul conuenire. Quam tu uoluptatem in lasciuia ostendes? Num in ipso congressus tempore? At illic omnia in tumultu ingenti.

Carnis pœna.

ti, in ardentibus equuleis, in insania, in concussione & feruore vehementi aguntur. Tumultus, perturbatio, equulei, insania, concussio delicię sunt? Num forte postquam voluptatem exstinxisti? At libido transacta, semper sui relinquit pœnitudinem, & nunquam satiatur, & extracta reaccenditur, Demus tibi quod voluptatem extinxeris omnem. Quid de illo igne sulphureo, perpetuo ardente dices? Deliciæ sunt flammæ inferni, nec ne? Sicut in diebus Noe nubebant, & nuptui tradebant, & venit diluuium, carnem illam corruptam aquis obruit; ita erit aduentus filij hominis. Viuas vt lubet, luxurieris, mœcheris: in omnem luxum te efferas; veniet non aqua sed ignis, qui te coniectum in istam fetidam foueam aduret. Aqua ista turbida quam bibis ex hoc puteo, vertetur tibi in ignem comburentem. Quid tunc dices, dum corpus tuum, coniectum in rogum inferni ardebit? cum Dæmones prunas subijcient? picem superfundent, te ex vno in aliud latus volutabunt? Præcaberis cum luxurioso epulone, guttam aquæ refrigerantis; ducent te postea in stagnum, dum à calore nimio transibis, ad gelu extremum, vbi stridor dentium, & fletus sempiternus tantum tibi permittetur; illis tamen lachrymis, non extingues sed magis accendes ardorem. fluuius ignis ebullit, ò nos infælices; flamma succenditur, ò nostram socordiam, nos delicijs & luxui vacamus, & sine vllo metu peccamus. In valle siluestri vbi direxerant aciem, erant putei bituminis.

Auaritię mala & pericula. Est deinde alter puteus bituminis, in quo demergit homines, Princeps militiæ istius. *Concupiscentia. s. oculorum*. De qua dicebat Paulus. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Hic est puteus in quem incidunt diuites huius sæculi. Hę tentationes, hi laquei oppositi, in diuitiarum cupidine inexplębili. *Desideria multa & inutilia*. An non stulti qui fatuos, qui nanos habent (dicebat Chrysostomus) oblectationis non clementiæ gratia? Qui feras nutriunt, qui canibus student, qui equos ornant phaleris, horumque non secus ac paruuli affectu rapiuntur? Hæc omnia inutilia sunt atque superflua; nihil in his necessarium; nihil vtile. *Desideria inutilia*. Quæ enim vtilitas, diuitiarum imodicus amor, si diuitiæ ipsæ non explent 1.Tim.6.

sed

sed augent desideria? Si auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur? Sicut enim ignis, cum ligna quæ consumit acceperit, excrescit, & vnde videtur ad momētū flamma comprimi, inde post cernitur dilatari; sic ardor diuitiarum appositis & congestis diuitijs, non comprimitur sed dilatatur. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Auarus inferno similis esse, a quibusdam iudicatur. Infernus enim quantoscumque deuorauerit, nunquam dicit. Satis est. Sic, & si omnes thesauri confluxerint in auarum. *Desideria inutilia.* Puteus enim diuitiarum in quem incidunt homines, non dissimilis est puteo illi, in quem Tantalus immersus erat. Vt enim iste, neque poma dependentia gustare, neque aquam labra licet attingebat bibere quibat: sic & auarus, sit vel ipse Mydas aurum comedens, vel ille Diues horrea destruens, & vsque ad fauces animam suam replens, desideria ista sunt inutilia. dicetur illi. Stulte, hac nocte rapient a te animam tuam, & hęc quæ congregasti cuius erunt? Asportabis tecum aliqua in sepulchrum? Congregabis in terram aurum, argentum, lapides pretiosos, & suppellectillem copiosam? Post mortem, coniunges domum ad domum? dilatabis horrea tua? frueris bonis auare acquisitis? Nō utiq; Viri diuitiarū nihil inueniēt in manibus suis. Fugiet iste mundus cum suis fallacibus diuitijs, quem tu auide cōprehēdere volebas; Nō descēdet tecū in puteū inferni vestis splendida, non aurum splendidum, non lapides coruscantes, non seruorum caterua, non agrorum latitudo; relinquent alienis diuitias suas, Diues cum dormierit non sumet secum omnia, pręter aliquot vlnas panni; nudus egressus est de ventre matris suę, nudus reuertetur in foueam inferni. sepulchra illorum, domus eorum in sempiternum, in quæ non descendet cum eis gloria eorum. *Incidunt diuites in desideria multa, & nociua.* An vero non est desiderium nociuum, semper rapere, & nunquam satiari, nec Deum timere, nec hominem reuereri? nec patri parcere, nec matrem cognoscere, nec obtemperare fratri, nec amico fidem seruare, viduam opprimere, pupillum inuadere, reuocare in seruitium liberos, proferre testimonium falsum, iura naturæ ac præcepta Dei penitus violare? Hæc sunt desideria diuitum. Insatiabilis est sola auaritia diuitum. Semper rapit & nunquam

satiatur;

sancitur; non Deum timet, non hominem reueretur, non patri parcit, non matrem cognoscit, non fratri obtemperat, non amico fidem seruat, viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitium vocat, testimonium falsum profert, ad mortuos vsque impias extendit manus, iura naturæ & pręcepta Dei & omnia prorsus violat auarus. Nonne horum causa iudicia sunt instituta? Desideria nociua, quorum gratia quidam errauerunt a fide. Non enim sinit cupiditas, iter Cęli aspicere. Sicut enim cum quis recto itinere gradiens, si in aliquid aliud intendat animum, pergit quidem, sed sæpe dum nescit, vrbem illam pertransit, ad quam properabat, pedesque sui frustra ministerium prębent; ita ferme & in cupiditate contingit. *Et circumdederunt seipsos doloribus multis*. Doloribus in vita, Diuitię enim spinarum in morem, quacunq; ex parte tangantur, cruentant manus, & vulnera infligunt, Quibus n. curis anguntur auari, quibus doloribus cruciantur, quis explicare queat? Doloribus post mortem. Difficile est n. diuitem, intrare onustum in regnum Cœlorum. Desideria diuitiarum, mergunt homines in interitum & perditionem, & perditionem æternam.

Auari perdunt mũdũ & animam.

Tamen ista diuites nihil mouent, quia aureus fulgor excęcauit eos; Dicite mihi, a vobis cum Christo inquiro. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentũ patiatur?* Quid expedit coacetuare aurum, lapides, gemmas, facultates, pecunias, & cum his in interitum putei inferioris demergi? Quin potius, dicite mihi, *Quid prodest homini, si vniuersum mundum perdat, & animæ quoque suæ detrimentum patiatur?* Auari perdunt vniuersum mundum, dum singula vilissima auide perquirunt; dum auro, pecunijs, & margaritis, expleri desiderant. Candore lucentis margaritę attrahuntur? Margarita est maris aqua, quę in eius finibus iacuit deiecta. Rapit illorum animum auri fulgor, & nitor argenti? Argentum & aurum, terra & cinis & fuerunt prius, & modo sunt, Placet eis pretiosa & serica vestis? At vermium ille contextus est; opinio est & humana pręsumptio: nihil habet in se naturalis pulchritudinis. Laquearia deaurata, domus magnificę illos delectantur? At hęc omnia ludricra sunt puerorum; omnia ista vel ignis, aut vetustas consumet atque deijciet. Dum igitur his animum apponunt, quid nisi vniuerso mundo abiecto,

Diuitiarum uanitas.

qui

qui perditus est pauperibus, vniuersum perdunt, pauca aliqua & hæc vilia congregantes? Quid igitur homini prodest, si & vniuersum mundũ perdat, & animæ suæ detrimentũ patiatur?

Vallis siluestris habebat multos puteos bituminis. Est tertius puteus in quem misere, Icari super sydera volantes, tandem incidunt: *Superbia vitæ*. Ista fouea præalta non tantum sublimium, vt pote in sublimib. nata, sublimia appetẽs, sed & despectorũ, & vilissimorũ, vt pote in terras de Cęlis collapsa, recipit, dicã melius decipit animas. An nõ decipiunt illi, qui sũpbiæ spiritu inflati supra se efferuntur, & demũ infœlices corruũt, & in immũ barathri infernalis conij iuntur? Quid.n.nõ stultitiã censeretis, si figulus vas efformatum ex vili materia, conspurcatum stercoribus, inferre vellet in Abacum Regiam, vbi omnia fulgent atque omnia corruscant? vbi omnia sunt aurea, & argentea pulcherrimo artificio elaborata vasa? Quid superbis terra & cinis? Nos sumus vasa ex limo terræ confecta, stercoribus & immunditijs plena. Quid enim per os, per nares, per oculos, & cæteros corporis meatus effunditur, imò vi quadam se egerit, nisi spurcitiæ? Quid ergo cogitatione nostra, nos supra nos & super alios, & super sydera eleuamus? Quid superbis terra? Quid superbis cinis? Si vero & illud attendere velimus, quia superbos abominatur, & deprimit atq; deijcit Deus in abyssum inferni, & quo gradus superbiæ altior, eo casus grauior. Quid superbis terrà & cinis? Sis etiam velut Angelus ille splendidissima Dei imago, & opus Diuinum perfectissimum; dicas tantum in corde tuo; Ascendam in Cœlum, sedebo & regnabo, ambulabo in magnis & mirabilibus super me; proijciet te Deus etiam si de Altissimo Cœlesti solio; non pęnitebit eum, adeo pulcherrimum naturæ decorem deformasse, & deturpasse, atque flammis inferni deuorasse. Habeas caput aureum, brachia argentea, crura ærea; sis totus speciosissimus & fortissimus, vt Nabuchodonosor, vt non similis tibi reperiatur in terra; superbia si te leuauerit supra te; te infra te deijciet, vt more iumentorum cum bestijs viuas, & illorum naturam induas. Superbia enim Nabuchodonosor in bestiam transmutauit; sicut humilitas Iosephum ex mancipio Principem constituit. Superbia Adamum ex Paradiso expulit, vt humilitas latronem in Paradisum introduxit. Superbia Gigantum linguas

Superbię uanitas.

Superbis Deus resistit.

Superbię mala.

sen

diuisit & confudit, vt humilitas cunctas congregauit dispersas? Superbia Pharaonem in aquis submersit, vt humilitas Moysen de aquis exaltauit. Hæc est illa feruens olla, quã Hieremias uidit, in quam incidunt & in qua decoquũtur, omnes Principes & Potestates tenebrarũ. Quid ergo superbis terra & cinis? Si aliquis vnum ex vobis (vt quondã Dæmonium Christum) in excelsum pinnaculũ, vel in aliquam turrim altissimam conduceret, & vel diceret, mitte te deorsum, vel periculũ deijciendi intentaret, vbi quidẽ primum dũ caderes, animam efflares, deinde cũ terrã attingeres, cõcussis omnib. membris tuis, terra ipsa os suũ aperiret, & te non in suã vastissimam voraginem, sed in inferni barathrũ deijceret; quis vestrũ oro per Deũ, ascensum illius turris moliretur? Superbia est quæ vos eleuat, non supra montium præruptorum vertices, non super culmina turriũ, sed super vos, uos.n. altiores estis ipsis, et Cœlis; periculum maximũ imminet, casus grauissimus & atrocissima collisio; *Infernus aperuit os suũ absq; vllo termino, in quem descendunt sublimes atque gloriosi; in quo incuruãtur uiri, olim* erecti per superbiam; in quo humiliantur homines & oculi sublimium deprimuntur. Quid ergo superbis terra & cinis? Cur in hoc prœlio dimicans, in hunc puteum cęteris profundiorem pręceps ruis? Vallis siluestris habebat puteos multos bituminis. Hi sunt putei illi, de quib. sanctus Barlaam, Iosaphat Regi recensebat, & hac similitudine adumbrabat. Qui delectationes mundanas desiderant, & animas suas fame veritatis perimũt, similes sunt cuidam homini, qui dũ a facie vnicornis, ne ab eo deuoraretur velociter fugeret, in quoddam maximum barathrum cadere cępit. Dum autem caderet, manibus arbusculam quãdam apprehendit, quę erat in terra. Pedes vero suos, in quadam basi lubrica & instabili fixit. Respiciens vero vidit duos mures, vnum album, & alium nigrum, incessanter radicem arbusculę quam apprehenderat in manu corrodentes; & iam prope erat vt eam abscinderent. In fundo autem barathri, vidit draconem terribilem spirantem ignẽ, & aperto ore ipsum deuorare cupiẽtẽ. Super bases vero vbi pedes tenebat, vidit quatuor capita aspidũ inde prodire. Eleuas autem oculos, vidit exiguũ mellis, de ramis illius arbusculę pcedere. Oblitusq. periculi in quo vndequaq. positus erat, seipsum dulcedini illius modici mellis totum dedit. Hoc symbolo vir

Hier. 1.

Isai. 5.

Barlaami similitudo de mũdo.

Ioan. Damascen. in uita Barlaam & Iosaphat.

lo vir sanctus nos, nostramque vesaniam adumbrauit. Nos .n. sumus, quos vnicornis ille vt leo rugiens, prœliãtes persequitur. Nos infœlices in aliquem puteũ bituminis, vel concupiscentiã carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiã vitæ, terga Dæmoni insequẽti vertẽtes, incidimus; Scimus arbusculã vitæ nostrę, quam in manib. quidem tenere videmur, sed reuera nobis excidit, a duobus muribus albo & nigro, die & nocte consumi. Nouimus basim corporis nostri esse lubricam, casum mortis facile minãtẽ, Quatuor aspides, elemẽta s. quatuor, continuẽ contra nos exsibilant, dissolutionem corporis procurantes. Subtus pedes nostros, in his puteis videmus oculis nostris, quod infernus dilatauit animam suam, & aperuit os suum absq. vllo termino. Draconem quoque teterrimũ, teterrimas flammas vomẽtẽ, ad deglutiendũ nos paratum esse agnoscimus, dulcedo tamẽ modici mellis ita fascinauit, vt neq. periculũ vitæ, neq. cruciatus inferni, neq. tormenta horrenda Sathanæ, ex his foueis peccatorum extrahere possunt. Quid tandem voluptatis, in isto felleo melle prægustatis? Mel istud, an non amaritudinẽ habet coniunctam? Amaritudinem in vita Deliciæ .n. mundi huius amarissimo absinthio sunt permixtæ. Promittit Sathan, florem serenissimæ iuuentutis præstare, vitam diuturnam, diuitiarum copiam, familiarum abundantiam, pacis amœnitatem; Dicite vos, vos cuncti testamini; surgat etiam Adam cum omnibus filijs & vno ore dicite. vtrum in his puteis, in hac valle siuestri militiæ nostræ, habuistis gaudium sine dolorẽ, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu, diuitias sine paupertate, delicias sine mœrore, honores sine anxietate, Bona mundi sine grauissimo & maximo dispendio animæ? Quod si aliquem mihi demonstretis, vt illum quem Sanctorum quidam in balneo inuenit se gloriantem, quod nihil mali vnquam perpessus fuisset, quod nullum infortunium ei accidisset, sed omnia cuncta iucunda, singula ex animi voto; aperiet tandem terra os suum, infernus dilatauit animam suam; puteus est bituminis, in quem cecidit ille; draconis esca, & sulphureę abyssi (in quo Angelus Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, ligauit & clausit, & signauit super illum) factus est. Militia est vita hominis sup terrã. Vallis autem in qua direxerãt aciẽ

Mũdi bona felleũ mel.

Fallacia Sathanę.

Apoc. 20

ha-

habebat puteos multos bituminis. Cú igit simus milites hosté diligentissime (monebat Ambrosius) explorare debemus, ne nobis nocturnus irrepat. Athletæ sumus? manibus aduersario propiores simus, quam vultu, ne oculos feriat nostros. Liber obtutus sit, argutus incessus vt irruentem effundamus, cedentem occupemus, vulnus vigilantissimo aspectu effugiamus, forti congressu repellamus. Milites sumus? fortes igitur & Adamantini in hoc certamine persistamus. Fortis quidem est aduersarius, & cui nulla potestas valeat cóparari? sed fortioré habemus Dominum, qui nos defendit. Donabit certanti victoriam, qui certanti dedit audaciam. Non nos hostium turba, non bellantium forma terreat; Goliam hunc superbum, robustum, armis terribilem, ingentique turba munitum, si *Dauid paruulus, humilis, candidus* puritate, charitate rubicundus fueris; vno ictu lapidis fidei prostrabis, tantamq. Allophylorú acié turbabis & fugabis Quod si quandoque in aliquem, ex puteis istis bitumineis incideris; si tibi negotium facesset Leo crudelis, in his tribus vitijs; sis ille *Banaias filius sacerdotis, qui descendit & percussit Leonem in media cisterna, in diebus niuis:* Filius es sacerdotis illius Magni secundum ordinem Melchisedech; si fugiens aduersarium decides cogitatione in puteum superbiæ? occidas Leonem Dicito, superbis Deus restistit, humilibus autem dat gratiam suam, & gloriam; si incides in puteum auaritiæ? Dicito, Facilius est camelú intrare, per foramen acus, quam diuitem in regnum Cœlum. si in foueá luxuriç? percute hanc bestiam. Fornicarii nó habét parté in Cœlo. Occide sed *in dieb. niuis* pœnitétiç, nó in diebus ignis iustitiæ. Occide *sed in medio cysterne*; quia in imo nulla est spes victoriæ. si occideris & pstraueris, si legitime certaueris, coronabit te Dominus corona gloriæ victorem gloriose Triumphátem, vel in curru igneo Heliæ, te deducet in Ciuitatem illam perpetuo fælicem, vbi Triumphatores, trophęa reportantes, astant cum palmis victoribus, ante Thronum Dei, in sæcula Sæculorum. Amen.

Allegoria Dauid & Goliç.

Allegoria Banaię.

2. Reg. 23

AD-

ADVOCATA NOSTRA

Ergo Murus, & vbera mea sicut Turris; ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Cant. 8. cap.

CONCIO VIGESIMA NONA.

In qua, Beatam Virginem esse Aduocatam & Mediatricem suadetur.

2.Reg.14 AMOREM feruentem, solertem prudentiam, nunquam non memorandæ illius Thecuitis nostrę Sanctissimæ Virginis Mariæ, similem imo maximis partibus excedentem, amorem Thecuæ fœminæ, non abs re pronunciauerim. Ea enim vt Regum hystoria narrauit, vna dierum dum vellet Absalonē parricidam seu fratricidam (occiderat enim in conuiuio, Amon fratrem suum, suam sororem stuprantem) in gratiam Dauidis reconciliare, amoris flamma succensa, ingressa est ad Regem; & cadens coram eo super terram, adorauit & dixit. *Heu me, serua me Rex. Heu mulier vidua ego sum, mortuus est enim vir meus, Et ancillæ tuæ erāt duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro; nullusque erat qui eos prohibere posset; & percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio, aduersum ancillam tuam, dicit. Trade eum qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem; & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non superſit viro meo nomen, & reliquiæ super terram. Et ait Rex ad mulierem. Vade in domum tuam & ego iubebo pro te. Viuit* Allegoria Thecuæ.

Dominus, quia non cadet de capillis filij tui, super terram. Quod si aliquis contradixerit tibi, adduc dum ad me, & vltra non addet vt tangat te. Maximus certe amor fuit istius mulieris, prudentissimum consilium, fortitudo quædam inuicta, animus non fœmineus sed virilis. Quis enim pro illo, qui toties Paternum odium in se excitarat, vt in gratiam recipiatur, supplicaret? Quis pro illo, qui fraterno sanguine noxias polluerat manus, vt sibi delictum atque facinus horrendum condonetur, exoraret? Quis nō terrorem ex maiestate Regia conciperet? Quam irati ac velut sæuientis Leonis, igneus Regis furor, ab ista præsumptione nō deterreret? Ioab fortissimus ille virorum, dilectissimus Regis Dauid, nō est ausus vel vnum verbum mutire Dauidi; Abigail cum Bersabeæ, licet tanto amore prosecutæ a Rege, conticebāt; sola Thecua furorem Regium non veretur; sola ingreditur & supplices tēdit manus; vna mediatricem atque Aduocatam agit, in causa & defensione Absalonis. Simile quiddam, immo maius quiddā perfecit, Sanctissima Virgo Maria. *Duos illa habuerat filios*, alterum naturalem quem ex proprio vtero profuderat, & cui proprium sanguinem dederat, quem suæ carnis mole circumtexerat: cui Virgineum lac ex vberibus virgineis labijs instillabat. Alterum vero non naturalem sed adoptiuum, quem in sinum misericordiæ suæ, vt filium receperat. Est enim Maria Mater cunctorum, viuentium, nos autem sumus eius licet indigni filij. Ast o infœlicem casum, *Processerunt vterque filius in agrum* Caluariæ *& ibi iurgio concitato*, spurius Caim, ingratus & crudelis adoptiuus filius, manus iniecit in naturalem; innocentissimum nouum Abelem ligno crucis affixit, tandem morte turpissima & omni morte crudeliore peremit, occidit. Nec tum cessauit hominis furor, sed in mortuum, imo viuentem in corporibus nostris Christum, impias tetendit manus; rursus crucifigens Christum vitijs, & concupiscentijs in corpore suo. Quamobrem Rex ille Regum furore percitus, disperdere consurgente uniuersa creatura, hominem voluit; nisi noua Thecuitis, amore feruentissimo salutis nostræ flagrans, accessisset & Aduocatam seu Mediatricem misericordem, & potentissimā se egisset, dicens, ad Deum. *Heu me, serua me Rex. Ancillæ tuæ erant duo filij.* Vnus quem tu ex corde, ante Luciferum in æternitate, & ego ex vtero in tempore genui; & alter

Maria habuit duos filios.

quem

quem tu in patrocinium Maternum mihi commisisti: *Et rixati sunt aduersum se in agro*. Rixati sunt in Paradiso, in monte Caluariæ, in vinea feracissima vinitores,& demum in deserta mundi solitudine. *Nemo erat, qui eos prohibere posset*, Tu patienter permittebas, expositum ludibrijs affici; Ad te vim passus in Cruce vociferatus est. Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me. Hinc euenit quod spurius percussit legittimum,& interfecit eum. Et clamans voce magna adiutorium, emisit spiritum. *Nunc autem vniuersa cognatio eius*; Omnes illi, quibus dedit potestatem filios Dei fieri; vniuersa cognatio illi deuincta per creationem; cuncta parentela sanguine eius respersa; terra.s. quæ suscepit sanguinem eius, clamat vindictam, contra hunc viuentem adoptiuum meum filium. *Trade eum, aiunt, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui*; Indignus.n.est vita, qui in vitę autorem sacrilegas extendit manus. Ecce o Deus *quærunt extinguere scintillam meam*, quam ego sub vmbra alarum mearum excitabam & fouebam: Indignus est, aiunt, amore tuo, qui dilectum tuum tibi extinxit; qui filium tuum, eum in quem tu summo amore ardebas, cuius amore languebas, qui te in tantam dignitatem vt mater Dei nomineris euexit; clauis ferreis & dira lancea, diriorib. autem peccatis confodit. *Trade eum* eijce de clientela, vt occidamus eum pro anima fratris sui. Recordare igitur Domine Deus misericordiæ tuæ, vt non multiplicētur proximi sanguinis ad vlciscendum; & nequaquam interficiant filium meum. Nec vana fuit supplicatio: nec frustra accessit Aduocata; nec inānis conatus fuit mediatricis; impetrauit, reconciliauit in gratiam funestum parricidam. De altissimo Cœli Diuino solio, Deus Pater illi respondit. Viuo ego dicit Dominus; nolo mortem peccatoris. Nolo vt cadat de capillis filij tui super terram. *Qui contradixerit tibi, & qui in clientelam tuam receptum eripere voluerit*; tu es castrorum acies ordinata, apprehende & adduc eum ad me, imò ipsa contere caput serpentis, & vltra non addet vt tangat te. Fidem huius meæ sermocinationis facit, illa Sanctissimi Patriarchæ Dominici, qui sanctitatis suę obsides dedit tres mortuos a sepultura excitatos, & summos Pontifices Honorium tertium, populo prædicare cupientem resuscitationem Neapoleonis, & Gregorium nonum, ipsum in album sanctorum re-

Visio. S. Dominici de Beata Virg.

in vita Sācti Dominici.

ferentem, & huius apparitionis memoriam facientem, Visio inquam illa Sancti Dominici, fidem facit eius quod modo diximus. Aspexit.n.vir sanctus Deum, furore in genus humanũ succensum, trib. iaculis vt quondam Dauidis, scelera quib.tũc inundauerat mũdus, vindicare cupientem; vbi è vestigio procedentẽ Beatissimã Virginẽ, Aduocatã & mediatricẽ peccatorũ vidit, suppliciter expostulãtẽ, vt hãc offensã hominib. pia misericordia dimitteret; se de cetero promittens curaturã, vt mitteret in mundum aliquem Sãctorum, qui illos ab errore viarũ suarum conuerteret, & Dei timorem, amorem & pęnitentiam, doctrina suaui edoceret. Cum autem percontaretur Deus, vt olim apud Isaiam. Quem mittes? & quis ibit ad eos? Ostendit Sanctissima virgo, S. Dominicum & Frãciscum, vt alterum Isaiam & Hieremiam, duos dilectissimos suos ministros. Ecce sunt ait, isti; istos ego mittam. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra. Duæ oliuæ, qui populum ad pœnitentiam, & tuam misericordiam reducent; qui charitatem in proximum, amoremq; in Deum, in cordib. humanis extinctum accendent: sunt & duo candelabra, qui lumine doctrinæ suæ mundi tenebras dispergent, & ad agnitionem veritatis illuminabunt. Placatus ab iracundia sua Deus, flagella auertit, iacula retorsit, hominibus propter preces Virgineas pepercit. Quidni parceret? Exaudietur inquit Bernardus, & ipsa pro reuerentia sua. Ad Deũ verebaris ò homo accedere? Solo auditu territus, ad folia fugiebas? Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem, filius talis obtineat? Exaudietur vtiq; pro reuerentia sua: pater.n. diligit Filium. An vero trepidas, & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem dedit Maria. Sed forsitan & in ipso maiestatem vereare Diuinam? quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus? Aduocatum vis habere & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria: non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudiet & ipsa pro reuerẽtia sua. Exaudiet vtiq; matrẽ filius, & exaudiet Filiũ Pater. Quid.n? Põt ne filius aut repellere, aut sustinere repulsã? Nõ audire, aut non audiri filius põt? Neutrum plane. Inuenisti ait Angelus, gratiam apud Deum. Filius monstrat Patri vulnera, Mater

Maria exaudit.

ter autem ostendit Filio vbera? non potest esse repulsa, vbi sunt tot amoris insignia. Hæc sunt vbera de quib. B. Virgo gloriatur. *Ego* ait *Murus, & vbera mea sicut turris, Ego sum murus,* Postquam.n. Saluator, ille qui per misericordiam suam, erat ante murale protectionis peccatorum, per iustitiæ rigorem mutatur in vindicem; postquam ex prophetis & ex fortissimis Ioab, non esset qui se opponeret murum pro domo Israel, vt furorem Domini, precib. & sapientia sua auerteret; postquam fortissima turris nomen Domini, ex Protectore factus est Iudex malorum; postquam ex illo Altissimo propugnaculo, Sagittæ eiaculantur, non contra Sathanam hostem crudelem, sed Adamum fugientem, qui continue plorat. Sagittæ tuæ infixæ sunt in me, & confirmasti contra me manum tuam: *Ecce ego murus,* ego præsidium, ego me opponere volo pro domo Ecclesiæ, & pro filio fratricida. *Ego murus, & vbera mea facta sunt velut turris fortissima,* His ego defendam populum meum; his ego tuebor peccatores; hæc ego demonstrabo irato filio meo, Ecce fili, dulcissime vbera quæ te lactauerunt, quę tibi cibum & potū ministrarunt; quæ te biennio refouerunt. propter hæc Filius meus parcet postratis. his ego furoré eius in amoré comutabo.

Mariæ vbera ut turris.

li. 5. c. 4. Quod si vbera Veturiæ matris Coriolani, tantum potuerunt apud filium suum, vt illis, illis Romanum defenderet imperiū; multo magis poterunt vbera mea apud filium meum; his ego defendam populum meum. Sed libet hic asscribere hystoriam huius præclarissimæ fęminę, q̄ apud Valeriū maximū extat in hęc verba. Coriolanus maximi uir animi, & altissimi consilij, optimeque de Repub. meritus, iniquissimæ damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit. vnde euenit, quo latebras quæsitum uenerat, ibi breuissime summum adeptus est imperium; & quem pro se salutarem Imperatorem, Ciues habere noluerant, pene pestiferum aduersus se Ducem experirētur. Frequenter.n. fusis exercitib. Romanis, victoriarum suarum gradibus, aditum iuxta mœnia urbis Volsco militi struxit. Qua propter fastidiosus ille in æstimandis bonis suis populus, qui domestico non pepercerat, exuli coactus est supplicare. Missi ad eum depræcandum Legati, nihil profecerunt. Missi deinde sacerdotes cum infulis, æque sine effectu redierunt. Stupebat Senatus, trepidabat populus, viri

Coriolani & veturiæ exēplum.

pariter & mulieres, exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani Mater, castra Volscorũ petijt. Cuius vbera vbi filius aspexit, propere vt amens matris complexum petijt. Illa autem ex præcib. in iram conuersa, ad eum ait. Sine, ut prius quam complexum accipiam, sciam, An ad hostem, an ad filium venerim; captiuane an mater in castris tuis sim? In hoc me longa vita, & infælix senecta traxit, vt exulem, deinde te hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? Nisi te peperissem, Roma non oppugnaretur. Multaq; insuper addidit complorando. Quib. & vxoris ac paruulorum fletib. motus, matrem complexus. *Expugnasti*, inquit, *& vicisti iram meam. Patria quamuis merito mihi inuisa, precibus huius admonitus, cuius utero conceptus, & vberibus lactatus sum, te dono.* Continuoque agrum Romanum, hostilibus armis liberauit, atque vnius parentis aspectu, bellum atrox salutari pace mutauit. Quid hic hæretis? Fæminæ istius animum inuictum, pietatemque in Patriam admiramini? Iure merito. Etenim si alicuius alterius crudelis matris filius, tot & tanta a suis Ciuibus, de quibus bene metuerat perpessus fuisset, credo quod illius furorem magis excitasset; hæc iniuriarum & filij, & familię oblita, non excitat sed mitigat; non exacerbat sed exacerbatum ad misericordiam commouet. Grandis pietas, non fæmineus sed Diuinus quidam animus. Sed miramini potius nostræ dulcissimæ matris pietatem. Christus eius filius Diuini vir animi, & Altissimæ sapientiæ, optime de genere humano meritus; ab illis ingratis iniquissimæ & turpissimæ damnationis atque proscriptionis ruina prostratus, ad cęlestes ciues, tunc generi humano aliquanto infensos confugit. Vbi factus totus Orbis Imperator, contra genus humanum vitijs commaculatum, exercitum collegit, vt tandem vindicaret se de hostib. suis. Ad quem supplicandum, & ad misericordiam inflectendum, miserant primo Legatos, illos scilicet Sanctissimos Patriarchas & Prophetas, q̃ ingeminabãt. Vsq; quo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura? Effunde iram tuam in Gentes, quæ nomen tuum non nouerunt, & in Regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Nos autem populus tuus, &

de

ones pascuę tuę. Domine Deus virtutum conuerte nos,& ostē de faciem tuam & salui erimus. Miserant deinde ad eum summos sacerdotes cum infulis,Pōtificalibus indutos,qui inter vestibulum & Altare plorabant. Parce Domine, Parce populo
Hier. 15. tuo;& ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Sine effectu tamen redibant. Vniuerso populo misericordiam impetrare non poterant; nihil profecerunt,quia sine desiderato effectu re dierunt. Deus.n.sæpius testabatur. Si steterint Moyses,si Iob & Samuel, & Daniel, coram me venerint, non est anima mea ad populum istum,eijce illos a facie mea, & egrediantur, Qui ad mortem ad mortem, & qui ad gladium ad gladium, & qui ad famem ad famem, & qui ad captiuitatem ad captiuitatem. Abominatus fuerat Deus hæreditatem suam. Quando autem accessit ad eum Mater ipsius; Quando illi monstrauit vbera, quibus eum lactauerat, putatis quod continebit in ira sua misericordias suas? Existimatis ꝙ amore feruentissimo in illam ex tra seipsum elatus, illis pro quib. supplicauerit, non miserebitur? Exempla forte ab humanis,ad Diuina non valebunt? Sed & per maxime. Ille enim qui in visceribus humanis pietatē,& immensum quendam amorem, erga parentes indidit; illum
Psa. 144. in suo pectore non extinxit, sed infinitis partibus auxit. Ille qui filijs vt parentibus obsequantur, nihilque eorum amore denegent præcepit, hanc ipse legem, & viuens, & moriens seruauit. Ille qui voluntatem timentium se facere solet,(vt Dauid reliquit) & depræcationem eorum exaudire; multo ma-
Psa. 101. gis amantium se,& multo magis matris suæ dulcissimæ,uoluntatem adimplere, & depręcationem exaudire solet. Ille qui respicit ad orationem humilium, & non spernit pręces eorum; respiciet quoque & ad orationem illius, cuius humilitatem respexit Dominus,& non spernet præces ipsius. Quod si tantum potuerunt vbera Veturiæ, ut eorum aspectu atrox bellum pace commutaretur; multo magis poterunt Beatissimæ Virginis quę dicebat. Ego murus,& vbera mea quasi turris. Veturia .n. amore quodam humano, qui defectum patitur & mutationi subiacet, & sępissime in filijs erga decrepitos parentes frigescit a filio suo dilecta fuit: Beatissima autem Virgo a Filio suo, amore illo immenso Diuino,omni ex parte perfectissimo,quo in Cęlestib. tabernaculis,eo magis in ipsum effunditur,quanto

Ab humanis ad Diuina exemplū.

Antithesis Veturię & Mariæ.

gnasti & vicisti. Patria tua, quamuis mihi inuisa, tuis præcibus admonitus te dono.

O fælicem Matrem; sed ò nos fęliciores, quibus talis Aduocata contigit. Fælix equidem est illa, cui filius nihil denegare potest, sed iam non pro illa, sed pro nobis. Castra enim ad quæ processit Deipara Maria, inexpugnabilia sunt & ab omnibus dolis inimicorum remota; in illa nullus vnquā hostis irruere potest. Pro nobis orat, nos protegit, nos in amicitiam Diuinam reducit. Lætare Pater Adam, (monebat Bernardus,) sed tu magis ò Eua Mater exulta, quia sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: & quod infælicius est, prius peremptores quam Parentes. Ambo inquam consolemini, super Filia & super tali Filia: sed illa amplius, de qua malum ortum est prius; cuius opprobrium in omnes pertransijt mulieres. Instat namq. tempus, quo iam tollatur opprobrium; nec habeat vir, quid causetur aduersus fęminam. Propterea curre Eua ad Mariam, curre mater ad Filiam, filia pro matre respondeat; ipsa matris opprobriū auferat; ipsa pro matre satisfaciat, Sed cur respondeat pro matre filia? Quamobrē pro Eua satisfaciat maria? Respondet Augustinus, & ante ipsum Irenæus martyr. Propterea Maria satisfaciet pro Eua; quia fuit Aduocata ipsius. Sicut, inquit, Eua virū habens, & virgo adhuc existens, inobediēs, & sibi & vniuerso generi humano, causa facta est mortis; sic & Maria, habens prædestinatum virum, tamen virgo obaudiens & sibi, & vniuerso generi humano, causa facta est salutis. Inobedientiæ Euæ nodus, solutionem accepit per obedientiam Marię; Quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem; hoc Virgo Maria soluit per fidem. Et quemadmodum Eua, per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, pręuaricata verbum eius, ita & Maria per Angelicum sermonem, Euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo. vt Virginis Euę, Virgo Maria fieret Aduocata. Et quemadmodum astrictum est, morti genus humanum per Virginem, ita soluatur per Virginem, æqua lance disposita, Virginalis inobedientię, per Virginalem obedientiam. Sanctissima igitur Virgo Marię, ideo pro Eua respondet, & pro Eua satisfacit, quia fuit Aduocata Euæ, imo Aduocata & Mediatrix totius generis humani.

[Margin notes: ser. 2. sup. Missus est. — li. de symbolo ad Catecch. & ser. 2. de annunciat. li. 3. aduers. hæres. c. 33. — Aduocata Euæ Maria.]

ni. Ego murus & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo pacem inueniens.

Hereticorum de Aduocatione Mariæ error.

Scio quam grauissime Nouatores, debacchentur in Sanctissimos Patres, illisque vehementissimè succenseantur, quod Mariam Euæ & omnium nostrum Aduocatam esse reliquerunt. Galasius vociferatur, ex eo magnam Christo iniuriam conciliari. Chemnitius vero, neque per febrim somniare posse censuit, vt Eua tūc cum Virgo esset, inuocaret Mariam Aduocatā suā, quę nondum nata erat. Alij vero, Mariam frustra esse Aduocatam nostram, cum Ioannes nobis Aduocatum statuerit Christum ipsum. Si quis inquit peccauerit, Aduocatum habemus, apud Patrem Iesum Christum iustum. & ipse est propritiatio, pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Ipse (vt Paulus testatur,) introiuit in ipsum Cęlum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Christi igitur gloriæ derogatur, (aiunt isti,) quod Beata Virgo, alia a Christo Aduocata quæritur. Atque vt de Eua, istis admodum gloriæ Christi cupidis respondeamus; ex ipsorum præcursore Laurentio Valla, qui toties in Sāctorum scripta, maledicam vibrauit linguā, nomen Aduocati aperiendum est. *Quicumque*, inquit Valla, *alteri adest in causa, officij gratia, Aduocatus appellatur, etiam si nihil dicat, atque agat.* Igitur secundum Vallam, non sunt ita necessario connexa, vt a cliente Aduocatus inuocetur, & clientem defendat. Potest enim aliquis, misericordia motus, etiam si nō inuocetur, defendere aliquem; & potest Aduocatus protegere aliquem, etiam si nihil præcetur pro eo, & nihil dicat, nihilque agat pro eo. Ad quem modum Dauid, appellabat Deum aduocatum in tribulationibus; etiam si Deus non supplicasset Dęmoni, vel inimicis a quibus contribulatus fuerat Dauid. Maria nonne adfuit ad negotium Incarnationis, vbi causa humani generis, & vbi causa Euæ agitabatur? Imo permaxime; ipsa enim fuit principiū. Et nisi illa protulisset, Ecce ancilla Domini. Fiat mihi secundum verbum tuum, Eua maledicto obnoxia esset. Ad fuit certe operi incarnationis, & multum egit; sanguinem.n. suum Dei filio, in redemptionem & reconciliationem Euæ, & omnium nostrum ministrauit; corpus ex ea assumptum, est illud, in quo Christus Aduocatus factus est pro nostris, & pro totius mundi peccatis. *Multum locuta est pro nobis.* Multum.n. est

Margin notes: in annotat. lib 5. lienæ addit is. — 1. Ioan. 2. — Heb. 9. — lib. 4. elegāt. c. 12. — Aduocati officiū. — Luc. 2. — Maria astitit in causa Euæ.

est dixisse. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Fiat mihi de verbo secundum verbum tuum; verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea, secundum verbum tuum. Multum est dixisse. fiat obsecro mihi verbum, non prolatum quod transeat, sed conceptum quod maneat, carne videlicet non aere indutum. Fiat mihi (adiecit Bernardus,) non tantum audibile auribus, sed & visibile oculis; palpabile manibus; gestabile humeris; Nec fiat mihi Verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & viuum, hoc est non mutis figuris, mortuis in pellib. exaratum, sed in forma humana, Meis castis visceribus viuaciter impressum; & hoc non mortui calami depinctione, sed Sancti spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factū est; nemini post me faciendum. porro multifarie multisque modis, olim Deus locutus est Patribus in prophetis, & alijs quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur; mihi autem oro, vt in vtero fiat iuxta verbū tuū. Nolo vt fiat mihi, aut declamatorie prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatorie somniatum; sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum. Verbum quod in se nec poterat fieri, nec indigebat; dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundum verbum tuum. Multum locuta est pro Eua, Multum egit pro reconciliatione nostra. Non igitur somniare oportet, vt Maria Aduocata sit Euæ. Qd si adhuc Chemnici, pertinaciter contra tuū Vallā asseris, necessarium fore, vt Aduocatū cliens interpellet; id quidem tibi gratis concedimus, sed tamen demonstrare non potes, quod Eua non inuocarit Mariam. Non est necesse per febrim somniare. vt aliquis absentem, & nondum in rerum natura existentem inuocet. Nondum enim Christus ante natiuitatem temporaneam, habebat carnem nostram sibi coniunctam. Dicam audacter. Nondum erat Christus; Deus & homo, ante natiuitatem ex Virgineo vtero. Fuit quidem verbum in principio apud Deum, & verbum erat Deus, Fuit Christus ante Virginem Deus; antequam enim Abraam fieret, ego sum. Post Virginem tamen fuit Deus & homo; Ante Virginem non fuit Deus homo. Fuit Deus, sed non Deus homo. Sancti Patres tamen, inuocarunt Christum Deum hominem; Patriarchæ & Prophetę & vniuersa Judęorum Synagoga cre-

hom. 4. sup Missus.

Eua inuocauit Mariam.

sub priori Testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Et alio quodam in loco, idem Paulus qualem verum, & solum mediatorem Christum intelligi vellet, mox explicauit post ea verba. *Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, mox illa subijciens; *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Vbi videmus nullam hic intercessionis, verum solius intercedente morte redemptoris, redemptionis fieri mentionem. Talis autem Mediator, qui pretioso sanguine suo nos redemerit, non est nisi solus Dominus Iesus Christus. Beata Virgo, quia nõ calcauit cum filio suo, torcular illud sanguinis; quia non dedit semetipsam, in redemptionem pro peccatis nostris; quia suum non effudit sanguinem, vt pacificaret Cœlestia & terrestria; quia non deleuit in Cruce, quod erat contra nos chyrographum decreti euacuans illud in semetipsa; quia non fuit affixa Cruci, non eius latus fuit lancea apertum, non effluxit ex corde ipsius, sanguis & aqua in ablutionem peccatorum; non fuit eo pacto Aduocata & mediatrix. Pulcherrime idipsum distinxit Cyrillus. Mediator, ait, Dei & hominum Iesus Christus est, non solum quia reconciliauit homines Deo, verum etiam quia naturaliter, & substantialiter, & Deus & homo in vna substantia est. Hoc enim modo naturam nostram, sibi Deus reconciliauit. Nam aliter, quomodo vnum mediatorem Christum Paulus dixisset? Multi. n. Sanctorum mediationis ministerio vsi sunt: & ipse Paulus clamat. Rogamus pro Christo reconciliamini Deo. Moyses quoque mediator fuit. Ego, inquit, sequester & medius fui inter vos, & Dominum in tempore illo. Ministrauit enim filijs Israel legem datam a Deo. Mediator etiam fuit Beatus Hieremias, præcipue quando clamabat ad Deum. Recordare mei stantis coram te, ad loquendum pro ipsis bona. Singuli Prophetarum mediatores fuerunt, Apostolorum quoque singuli. Quomodo igitur vnicus mediator Dei & hominum Christus. nisi noua inauditaque in alijs, mediatio sua sit. Sed modum quoque perstringere non alienum est. Quod igitur duo quædam sicut medium coniũgit, ab vtroque necessario tangitur, & hoc modo diuersa per medium coniũguntur. Prout tamen aliqui homines (addidit S. Thomas) cooperantur ad vnionem hominum cum Deo, dispositiue vel ministerialiter, possunt dici mediatores.

Maria nõ est mediatrix sicut Christus.

Christus & sancti quomodo sunt mediatores.

lib. 12. Thesaur. cap. 10.

2. Cor. 5. Deut. 5.

3. par. q. 26 art. 1.

Quia

Quia igitur Beata Virgo Maria cooperata est, & super omnes alios Sanctos plus, ad vniendum homines cum Deo. Quia in corpore proprio, reconciliauit hominē cum Deo, in eius. n. vtero Iustitia & pax osculatæ sunt; quia in hac terra Virgine, Magni consilij Angelus, luctatus est cum semine Patriarcharum; quia orationibus suis, magis quam aliquis alius sanctorum, reconciliationem humanam impetrauit, & magis se murum, pro populo Dei, quam Moyses, vel Hieremias, vel Daniel opposuit: In ipsa Christus qui fecit vtraque vnum, illum medium parietem maceriæ dissoluens, duos condidit in semetipso, in vnum nouum hominem: iuste ergo mediatrix & Aduocata appellata est. Quod si qui sunt qui nobis obijciant, nunquid non sufficiebat vnus Christus. Respondet pro nobis Bernardus. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nūc omnis sufficientia nostra ex eo est. Sed nobis non erat bonum hominem esse solum. Fidelis plane, & potens mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; sed diuinam in eo reuerentur homines Maiestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio Deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium: Quia etsi didicit ex his quæ passus est compassionem, vt misericors fieret; habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum cera fluit a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei. Iam itaque, ne ipsa mulier Benedicta in mulieribus videbitur ociosa, inuenietur equidem locus eius, in hac reconciliatione. Opus enim est mediatore ad mediatorem istum, nec alter vtilior nobis quam Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus, pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis; hęc propitiationis. Illa suggessit præuaricationem; hæc incępit redemptionem. Illa Sathanæ iugum in colla nostra iniecit; hæc autem pede suo excussit. Nihil ita timent Dæmones quam Mariam. Norunt enim quia ipsa est illa fæmina, quæ cōterere debuit capita illorum, Norunt quod *illa sit qua Sisaræ* crudelis Tyranni, *lacte vberum suorum prostrati, clauo tempora transfixit*. Beata igitur Virgo, est Aduocata & mediatrix nostra. Ego murus, & vbera

Maria ad uocata ad Christum.

Serm. super signū Mag.

Allegoria lactis.

Iud. 4.

vbera mea sicut turris, ex quo facta sum, coram eo pacem inueniens. Tu igitur o Benedicta Virgo, Domina nostra, mediatrix nostra, surge & amplectere misericordiam redemptoris, & da praeces iugiter pronobis, quos cernis tam grauiter offensos, ante oculos conditoris. O Regina mundi, scala caeli, ianua Paradisi, audi praeces pauperum, ne despicias gemitus miserorum. Eia Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos, ad nos conuerte, placa praecibus Iudicem, quem singulari puerperio genuisti Saluatorem, vt qui per te particeps factus est humanitatis nostrae, per te quoque nos consortes efficiat Diuinitatis suae, nunc & in saecula seculorum Amen.

(*)

ET

ET IESVM

Dedit illi nomen quod est super omne Nomen. Philip. 2.

CONCIO TRIGESIMA.

In qua Nominis IESV excellentia declaratur.

MIRABILIS prouidentię & sapientiæ suę, Sanctus ille Patriarcha Ioseph, & si alia non pauca acceperit præmia, maius tamẽ illud fuisse existimo quod *Pharao Rex Aegypti, tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius; vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & Præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti. Dixit quoque Rex Aegypti ad Ioseph. Ego sum Pharao; absq. tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem, in omni terra. Aegypti. vertitque nomẽ eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi.* Gen. 41 Qui res omnes pro dignitate earum considerat, agnoscet, quia non poterat aliquid excellentius, vel sublimius Iosepho conferri. Magnum est beneficium, eliberare captiuum, & hunc omnib. ignotum, vilem, & pauperem, bonis fortunæ ditare; ex ignobili nobilem, ex misero fælicem, ex peregrino Ciuem facere: illud tamen omnibus eminentius est, post Regem, supra omnes principes, Comites, Duces, Senatores, Consilarios secundum habere locũ, & Regni gubernacula ex animi sentẽtia gubernare, & titulo excellentiori atque digniori, quam Rex ipse nominari. Pro magno iudicant homines, si eos fælicitas ista contigerit, vt ap-

pellentur Reges, Pontifices, Imperatores. *Nomen bonum maioris esse credunt quam diuitias*, quam opes, quam aurum, & argentum vt aiebat Salomon. Pro magnificis titulis, illi qui generoso sunt animo, exsudant, noctes ducunt insomnes, vitam exponunt periculis, impossibilia etiam aggrediuntur. Persuasi quod *melius est nomen bonum, quam diuitiæ multę*. Nomé enim bonū, virtutes illas & dotes animi internas, pręclare gesta facinora, designat; diuitiæ autem hominem insatiabilem, omnibus seruituti subiectum miserijs; omnib. dicam plerumque vitijs expositum demostrant. Nomen Doctoris, Sapientiam quandam Diuinam in homine elucentem: nomen Equitis, fortitudinem animi infractam; nomen Ducis, bellorum dignas sempiterna memoria victorias; nomen Pontificis, gubernationem prudentem Ecclesiarum declarat. Iosepho tale nomen impositum est, quale nec ipse Pharao merebatur. Sublimius est enim Saluatorem esse quam Regem; sublimius & maius Iosepho nihil poterat, infra maiestaté Regiā cōferri. Nisi hallucinor, eodé consilio vsus est Deus Pater, cum Filio suo. Somniauerat Deus per visionem nocturnam Prophetarum, futuram esse famem, non panis sed verbi Dei super terram; ita vt paruuli eiulatibus sanguineis peterent panem, nec inueniretur aliquis qui frangeret eis. *Ecce ego mittam vobis* ait Deus, *famem, non famem panis sed famem verbi Dei*. Veniebant ad domos hominum amici de via, lassi, defatigati, fame pereuntes; illi .s. qui nec siliquis porcorū satiari poterant; nihil habebat homo quod poneret ante illos. Fames enim erat in vniuersa terra illa. Ibant vniuersi, media nocte vociferantes ad Deum. Amice, commoda mihi tres panes; Ille tamen durius respondebat. Quousque veniret Nouus Ioseph Christus, ille *qui olim iniectus erat in puteum* aquarum viuentium; qui a fratre suo sed non vterino, (quia per amorem, non per intellectum procedit a Patre, consubstantialis Patri, & Filio Spiritus Sanctus) spiritu sancto, iniectus est in vterum virginis Mariæ. Spiritus Sanctus superueniet in te: Ille qui postea natus est in domo carceris, in stabulo non hominum sed iumentorum; Qui dicebat, Ecce ego qui loquebar adsum: ego saluabo, ego enim in hoc veni in mundum, vt famelicos reficerem. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annuntiandū mansuetis misit me, vt mederer contritis corde & prædicarem captiuis

Allegoria Ioseph.

Luc. 11.

Allegoria Incarnationis.

Isa. 61.

uis indulgentiam,& clausis apertionem;vt prędicarem annum placabilem Domino;vt consolarer omnes lugentes, vt ponerē fortitudinem lugentib. Syon,& darem eis(qui. s. cinerem tanquam panem manducabant, & poculum cum fletu miscebāt) coronam pro cinere,oleum gaudij pro luctu, palliū laudis pro spiritu mæroris. Quæ omnia manifesto agnoscens Deus Pater, & virum similem Christo Domino, qui ita Spiritu Dei plenus esset non inueniens, hunc ipsum constituit Principem, super vniuersam terram. Dabo,inquit,tibi gentes hæreditatem tuā, & possessionem tuam terminos terræ, Reges eos in virga ferrea,& tāquam vas figuli confringes eos. *Vno tantum solio* Paternitatis te precedam. Ego enim ero tibi in Patrem, tu vero eris mihi in Filium: Pater autem(vt docebat Hilarius) maior est authoritate donantis,non tamen minor est Filius, cui vnum esse donatur. Vno tantum solio Regni te præcedam. Licet enim Filius,sit æqualis Patri secundum Diuinitatem; minor tamen est Patre secundum humanitatem, *Tulitque annulum* Beatitudinis & Scientiæ Diuinæ,ex sua essentia prodeuntis,& in suam essentiam reflexione quadam mirabili redeuntis: & dedit eum Animæ Christi. Christus enim ab initio conceptus sui,quia in speculo Verbi Diuini omnia contemplatur,beatus fuit felicitate illa,qua Pater cum Verbo & Spiritu Sācto ab æterno fruebatur. *Vestiuitque eum stola byssina puritatis*, Christus.n.peccatū nō fecit,nec dolus inuentus est in labijs eius. *Collo torquem auream* prouidentię,gubernationis,& iudiciorum circumposuit. Omnia enim quæcunque habuit Pater; Omne iudicium dedit Filio. *Fecit eum ascendere,super currum suum secundum*; Humanitas.n. Christi,inferior ē Diuinitate;superior tñ quacūq.creatura siue Cælesti siue terrestri,siue visibili,siue illa q nō oculis cerni, sed tātū cogitatione apprehendi potest. *Iussit eū circūducere,in secundo curru* honoris & gloriæ, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent. Dum enim introducit(ait Paulus) iterū Primogenitum in orbem terrarum, dicit. Et adorent eum omnes Angeli eius. Non audistis cum Pastoribus, dum Christus nascebatur, Angelos & multitudinem militiæ Cęlestis,laudantes Deum & dicentes. Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus,bonæ voluntatis? Gloriam istam ineffabilem Domini nostri,vidit quōdam Daniel Propheta, Aspiciebā donec

Marginalia: Christi gloria. — Ps. 2. — Dan. 7.

donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit; vestimentũ eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana alba. Thronus eius flammę ignis, rotę eius ignis accẽsus. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius: millia millium mi nistrabãt ei, & decies centena millia assistebant ei. Aspiciebam & ecce cum nubibus Cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem, & regnũ; & oẽs populi, tribus et linguę seruiẽt ei. Potestas eius, Potestas ęterna; & Regnum eius ꝙ non corrumpetur. Tali gloria & honore dignatus est Deus Pater, filium suum. Maius tamen & sublimius est, ꝙ *vertit nomen eius & vocauit eum Saluatorem Mundi*, Quod dedit ei. Nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu oẽ genu flectatur, Cęlestium, terrestrium, & infernorũ, & oĩs lingua cõfiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris. Glorietur Saluator, sibi data esse alia nomina, vt. s. appelletur. Adonai, Tetragrammaton, Qui est, Alpha & O, Omnipotens, Oriens, Emanuel, Sanctus, Terribilis; Recẽseat alios titulos illustres, sibi impositos, vt. s. vocetur. Admirabilis, Cõsiliarius, Deus, Fortis, Princeps Pacis, Pater futuri sęculi, hęres vniuersorũ, Altissimi Filius, Splendor glorię, Figura substantię, cãdor lucis ęternę, speculũ sine macula, Verbũ ęternũ, Lux mundi, via, veritas, & vita, Pastor, Magister, Dñs, sacerdos in ęternum, Aduocatus, mediator, Rex Regum, Agnus mansuetus, Leo potẽs, Radix Dauid, Flos Iesse. Congerat alia mille nomina, quib. scriptura Sacra eũ appellauit; nullum nomen aut Diuinius, aut sublimius vt hoc nomen nouum, quod est supra omne nomen habet. Ad nullũ. n. illorũ oẽ genuflectitur, nemini ex eis poplites flectunt, nemini caput inclinãt, & reuerẽtiã exhibẽt creaturę, ꝑter nomini nouo Iesus. In nomine Iesu, omne genu flectitur Cęlestiũ, terrestriũ, & inferorũ. Nomines Christũ quouis titulo, dicas Christum esse Regem, Principem, Deum. Quis est qui veneretur illum? Nomines Iesum, & ecce Angeli tremunt, laudant, benedicunt, concinunt Gloria in excelsis Deo; ecce homines reuerentur, capita inflectũt, genibus in terram procumbũt: ecce Dæmones ad nomen Iesu, cruciantur, pauent, & vociferanẽ. Iesu quid venisti ante tẽpus torquere nos? Prędicet deinde Saluator noster, sibi datum esse Annulum scientiæ Beatæ; se esse vestitum stola byssina candoris & puritatis, siue etiam glo-

Nomẽ Iesu excellẽtius alijs nominib.

nouit, sapientiam de corde suo, & scripsit illam in codice. Figuram vidisti; perspice veritatem. Ille scripsit sapientiam in codice: iste in cordibus humanis. Dabo legẽ meam in visceribus eorum, & in corde eorũ scribã eã. Ille renouauit sapiẽtiã in corde suo, sed illã humanã & infusam; iste ab æterno habuit, & illã quidẽ sine obliuione & imperfectione Diuinã. in ipso sunt oẽs thesauri sapiẽtię, & sciẽtię abscõditi. Ille docuit sapientiã, sed illã quę ęnigmatica est, secũdũ quod cognoscimus Deũ in vmbra, et in speculo; iste palam de Patre suo annunciauit nobis; iste lumine suo collustrauit mentes oĩum, vt videant lumẽ illud inaccesũ, et incircũscriptũ: Iste Cherubinorũ seu Seraphinorũ alas aliquantulum amouit, vt possimus videre, & cõprehendere cum oĩbus Sãctis, quę sit latitudo, & lõgitudo, & sublimitas; scire ẽt supereminentẽ scientię charitatẽ Christi. Ipse illuminauit oculos cordis nostri, vt sciamus quę sit spes vocationis eius; & quę diuitię glorię hęreditatis eius in Sanctis, & quę sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos: Iste docuit mysterium, quod alijs generationibus, non est agnitũ filijs hominum. Sed nec tantũ filijs hominum, imò absconditum a sęculis, ipsis Spiritibus Beatis. Per Ecclesiam etenim edoctã a Christo, innotuit nũc Principib. & Potestatib. in Cęlestib. multiformis sapiẽtia Dei, secũdũ pfinitionẽ sęculorũ; quã fecit in Christo Iesu Dño nostro. Iesus deinde dicitur ille filius Iosedec, qui cępit ędificare tẽplũ Dei in Ierusalẽ. Vidistis figurã; perspicite veritatem. Ille renouauit templũ ex lapidib. demortuis & insensibilib. iste ex viuis pretiosis, in quibus non in fumo sed per gratiã, inhabitare dignatus est. Fuerũt, (ait D. Thomas) ante Christum alij, quibus potuit hoc nomen Iesus conuenire, secundum aliquam rationem; puta, quia aliquam particularem & temporalem salutem attulerunt; sed secundum rationem spiritualis & vniuersalis salutis, hoc nomen proprium est Christo.

Hier. 31. | 1. Cor. 13. | Ephes. 3. & 1. | 1. Esd. 5. | 3. P. Q. 37. art. 2.

Si recte memini, in scripturis sacris, Quatuor viros nomine Saluatoris, pter istos tres enumeratos, appellatos inuenio. s. Ioseph Patriarchã, Othoniel, Aod, & Gedeonem, Iudices populi Israel. Quibus si cõparare voluero Iesum Saluatorem nostrũ, illos infinitis partib. excedet, Is. n. salutẽ non vtilli aliquã tẽporalẽ, momentaneã, paruo tẽpore durantẽ, sed spiritualẽ sempiternã, nõ vni populo aut nationi, sed vniuerso Orbi terrarũ attulit. Ioseph Patriarcha ideo vocatus ẽ Saluator, qa prudẽti cõsilio,

Christi & Iosephi comparatio.

nõ suo sed Pharaonis frumẽto, pseruauit Ægyptũ a fame. Christus aũt noster Saluator, ex amore illo feruentissimo, Pane Cęlesti corporis sui, vniersum mũdũ refecit, Sanguineq. suo pretiosissimo inebriauit. Quę charitas? Quod beneficiũ, charitatẽ istã & beneficium hoc immensum, exequare potest? Moriebantur passim homines in vasta solitudine, per quam conducebat Deus ad terram promissionis; in ea nec aqua, nec panis inueniebatur; omnes murmurabant, *Quid bibemus? Quid manducabimus? Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Pluerat illis tandem Dominus panes de Cœlo; verum Patres manducantes manna, mortui sunt; cibus iste non satiabat animas; non viuificabat sed morti refouebãt. Septem temporibus, quasi alijs septem annis, ab Adam vsquè ad Noe, & a Noe vsq. ad Abraam, ab Abraã vsq. ad Moysen, a Moyse vsq. ad Dauidẽ, a Dauide vsq. ad Machabeos, & ab istis vsque ad tempus illud faustissimum, quando panis in domo panis, Saluator noster in Bethleem natus est, sterilitas maxima erat super vniuersam terram. Solus ille satiauit animam inanem. Non Moyses, dedit vobis panem de Cælo, sed Pater meus me dedit vobis, Panem de Cælo verum. Ego sum panis viuus, qui de Cęlo descendit. Nisi manducaueritis ex hoc pane, non habebitis vitam vobis, Qui mãducat ex hoc pane, viuet in æternum. Quæ noua dulcis Iesu, reficiendi ratio? Quæ fercula inaudita? Vbinam terrarum, iste panis decoctus est. Quis vnquam carne propria, fame morientes cibauit? Quid vero? qui manduçat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitã æternam? Quasi vesci carnibus humanis, vitæ ęternę alimenta ministret? Cur ergo Massagetæ vel quicunque sint illi Barbari crudeles, carne humane vtentes, ignib. morti s perpetuæ traduntur? Charitatem Diuinam erga nos demonstrare voluit; viscera ipsa & cor suum amoris igne concrematum, oculis aspiciendum proposuit Amantes cupiunt vniri cum amatis? non possum ego ait, magis vobis coniungi, quam vt me, meam carnem manducetis; vt in me conuertamini; vt ex me, & ex vobis vnus spiritus, & vna anima modo indissolubili fiat. Vitæ desiderio tenemini? ego sum vita, ex me vitam habere potestis, nisi mihi iungamini, & nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. O charitatem immensam, ò beneficium inæstimabile. Cupiebas ōi im ò homo, saturari de micis cadentibus de

Exod. 16

Christi immensa charitas.

men-

mensa diuitis cuiusdam? ecce non micas sed panem, nō de mensa epulonis sed de Cælo, non manibus pistorum, sed spiritus sancti virtute formatum dedit tibi. Panem Cęli dedit eis, Panē Angelorum manducauit homo. Panem de Cælo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Desiderabas antea. Quis det nobis de carnib. eius, vt saturemur? ecce ipse seipsum distribuit, accipite & māducate. Sed quid? Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Accipite & bibite. sed quod poculū? Preciosissimi cruoris mei, hic est calix Sāguinis mei, Noui & æterni testamenti, qui pro vobis effundetur. Non tibi apposuit carnes vitulorum, aut ceruorum, aut leporum; non volatilia, non pisces, nō quoscunq. mari & terra exquisitos cibos; ipse seipsum apposuit, ipse carnem suam, ad releuandam famem vniuersi Orbis, omnib. nobis tradidit. Dedit ei nomen super omne nomen. Saluatoris etiam nomine appellatus est Othoniel, qui Regē Syrię expugnauit & oppressit eū. Vocatus est ēt Saluator Aod, ille q̄ vtraq. manu p dextera vtebatur, & Eglon Regē moab, secreto interfecerat. Gedeon quoq., qui Madianiticum furorē, testeis lagenis expugnauit, Saluatoris nomen obtinuerat. At Christus nō ab hoste corporali sed spirituali; nō a tēporali sed ęterna captiuitate, vniuersum mundum liberauit; non octogenariam aut millenariam, sed perpetuam pacem hominum, cum Deo constituit. Saluos faciet (inquit Propheta) filios pauperum, & humiliabit calumniatorem; ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorū corā illo. Filios, ait, pauperum saluos faciet. Pauperum .s. illorum qui eiecti ex hæreditate Paterna, & ex bonis Paradisi, pulsi sunt in vallem miserię, solis pelliceis animalium mortuorum, hæreditario iure retentis. A quo autē saluos faciet, istos filios pauperum? A calumniatore, & Dæmone, & humiliabit calumniatorem, accusatórem fratrum, illum qui commouit Deum vt percuteret innocentem virum vlcere pessimo; In huius enim captiuitatem nos omnes abducti fueramus, huius vinculis plusquam ferreis vinciebamur, eius seruituti subijciebamur. Quid vero non crudele, in nos non exercebat? Quæ mala, quas miserias nobis non inferebat? Mala in corpore grauissima; alium cæcitate, alium vertigine, alium dolore pedum percutiebat; hunc in ignem, illum in aquā conijcie-

Iud. 3.

Ps. 71.

Saluauit nos Christus a quo

Dęmonis crudelitas erga nos.

conijciebat; illum suspendio, istum bellicis armis è vita eripiebat. Pessima vero in animam inijciebat. Dæmon.n. cum sit ma- Dæmō qđ fecit ma mūdi auctor (vt quidā notauit) nequitię origo, rerū hostis, corruptor de. sæculi, & hominis semp inimicus; illi laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptas ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, imittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, Diuina tentat. *Tentauerat*, vt repetam omnia ista, *Dæmon Diuina* dum homines ad tantā vesaniā deduxit, vt neglecto vero atq. illo supremo Deo, tetrum & horrendū Satanam, pro Deo haberent & colerent. Nec illum tantum, sed & homines impuros, bruta animalia, lapides & ligna insensata, in locum Diuinum reponerēt. *Violarat Dæmon humana*, dum in ista Tyrannide detineret captiuos. Infandorum enim idolorum cultura, vt ait sapiēs, oīs mali causa est, & initiū & finis. Qui incōmunicabile nomen lapidib. & ligno imposuerunt, sunt aut filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habētes; neq. vitā, neq. nuptias mūdas iā custodiunt, sed & alius, alium per inuidiam occidit, aut adulterās contristat, & omnia cōmixta sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio, & periuriū, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, Natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio, mechiæ & impudicitię. *Dissiparat Dæmon affectus* suorū captiuorū; nūquā .n. in vno velle persistebāt, sed modo illud, modo aliud desiderabant. Sicut foliū q a vēto rapitur, nunc in hāc, rursus in illā partē pertrahitur, & stabili loco cōquiescere nequit; sic & isti, postquā ab arbore omniū Bonorū Deo, in quo est perpetua quies defluxerūt, in reb. caducis captiuitatis suę, affectuū suorū requiē inuenire nō valebāt *Turbarat Dæmon pacē hominum*, inter Deū & illosmetipsos. Inter Deū; quū superbo Adæ filios inflabat, vt Turres fabricarēt ad inuētionū suarū, bellūq. Deo inferrēt, ilū que de Cęlis ad terras exturbarēt; Deus vero, vicissim misit sagittas suas & dissipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos, cōfudit linguas eorū. Odio ē.n. Deo impius & impietas eius *Turbarat pacē hominū inter se*. Quot.n. bellorū tumultus nō sūt orti? Quot rixæ, cōtētiones, inimicitiæ, sub iugo Dæmonis non sunt excitatę? Nec mirū. Vt.n. Deus qa charitatē exoptat, oēs

ad vni-

ad vritatẽ hortatur & cõmouet; sic Dæmon, q̃a amori vehemẽ tissime infensus est, oẽs ad discordias, ad lites, ad tumultus, pertrahere solet. *Immittit Dæmon errores.* Nõ est difficile videre, quãta errorum caligine detinebatur, cæca illa Antiquitas, ante Aduentum Christi. Quidam animas humanas, transire in bruta asserebant; alij cum corpore interire, & in aerem resolui aiebãt; quidam Deum esse Corpus, vel aereum vel igneum; alij animam mundi, alij Dæmonem bonum dicebant. Nonnulli, boues, homines scelestos, viperas & Dracones, cepe & allium, insuper ligna & lapides, Deorum nomine vocabant. Alij ciuitatem esse in duodecim partes, ad offerendum duodecim Zodiaci stellis distribuendam; alij litandum Soli vel Lunæ, vel singulis syderibus iubebant. Vnusquisq; pro Deo illud venerabatur, ex quo aliquid emolumenti expectabat. De beatitudine humana; de modo viuendi inter homines; de ratione status Rei pub. de virtute, honesto, vtili, iocundo; de vitijs, quosnam errores non disseminarit? vel quos in mentes hominum induxerit, non est possibile omnia, breui sermone comprehendere. Verissime quidam illorum fassi sunt. Erauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Aptabat ruinas, laqueos tendebat, lapsus parabat, fodiebat foueas mortis & inferni. Mortis quidẽ foueas, vt animas enecatas, & separatas a Deo vitæ authore, in foueas inferni & mortis secundæ, violenter intruderet, & sempiternis ignib. sulphureis, alijsq; penis cruciaret. Qui tunc clamores, ad Deũ ab hominib. captiuitatẽ hãc persentientib. non fiebant? Quas supplicationes lugubres, nõ faciebant? Emitte Domine Dominatorẽ terrę, de Petra deserti ad montem filię Syon. Vt quid Deus repulisti in finẽ, iratus est furor tuus, super oues pascuæ tuæ? Leua manus tuas in superbias eorum in finẽ, quanta malignatus est inimicus in sancto? vsq; quo improperabit inimicus? irritat aduersarius nomẽ tuum in finem? Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem? Ne tradas bestijs animas cõfitentes tibi, & animas pauperũ, quas humiliauit calumniator, ne obliuiscaris in finẽ. Respice in testamẽtum, quod pepigisti cum Patrib. nostris; inclina Cęlos & descende, & libera nos de inimicis nostris. Othonielis potẽtiã iste inimicus non veretur: Aod gladio suo interiora eius effundere non potest; Gedeonis

Dæmon errores seminauit.

Sap. 5.

deonis

deonis lagenas,& tubarum sonitum non pauescit;non est pote stas q̃ cõparetur ei super terrã. Exurge tu ipse Domine, adiuuã nos,& libera nos pp nomẽ tuũ. Nomẽ tibi impositũ est Saluato ris,propter hoc nomẽ tuũ libera nos. Et liberauit pauperẽ a potente; humiliauit calumniatorem; ipse compescuit potentiam eius;compræssit vires ipsius; ipse eiecit eum de mundo; profligauit a finibus Ecclesiæ fidelium; ipse ouem quam in faucibus suis captiuam detinebat Sathanas, è gutture eius eripuit. Cum mortui essetis in delictis (ait Paulus) conuiuificauit Deus cũ illo,donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti,quod erat cõtrarium nobis, & ipsum tulit de medio,affigens illud Cruci, & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter,palã triumphans illos in semet ipso. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum; Non a Madianitis vel Moabitis,sed a Dęmonũ nequitia & immani crudelitate,nõ è compedib. ferreis,sed ex iniquitate. Ipse.n.erat solus qui dimittebat peccata;ipse solus gratia sua animas contaminatas,adornabat;ipse sanguine suo abluebat;ipse pacificabat omnia siue in terris,siue quæ in Cęlis discordia erãt;ipse Cruce sua Paradysum aperiebat;infernũ deuastabat;pecus illud occisionis,in macello inferni mortuum,sanguine suo viuificabat;& de pęnis ad pręmia,de carcere duro ad Regni solium,de flammis ardentib. ad Cęlestes fontes, de miseranda sorte ad summas delicias traducebat;languidas animas,& passim vbiq; morte consumptas,ad vitam reuocabat. Habuit,inquit Bernardus,& Iudea quosdam Iesus,quorum vacuis gloriatur vocabulis; Illi.n. nec lucent,nec pascunt,nec medentur; Idcirco Synagoga in tenebris est,vsq; adhuc,fame & infirmitate laborãs. Et non sanabitur,nec saciabitur,quousq; sciat meum Iesum, Dominari Iacob,& finium terrę. Et illi quidem,*præmissi sunt tanquam baculus ad mortuum*, Prophetam pręueniens, & sua interpretati nomina nequiuerunt; vacua quippe erant. Superpositus mortuo baculus est,& non erat vox,neq; sensus quoniam baculus erat. Descendit qui baculũ misit, & mox saluum fecit populum suũ a peccatis eorum:probans se esse quod dicebatur. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?nimirum qui dicit. Salus populi ego sum. Iam vox,iam sensus est,& patet,eũ non inane nomen portare instar priorum. Non paruum fiduciæ robur præstat mihi,

Colos. 2.

Ser 15. & 15. super Cant.

Allegoria Helisei.

4. Reg. 4.

quod

quod magnus ille vir Propheta, potens in opere & sermone, de excelso Cœlorum monte descendens, visitare dignatus est me, cum sim puluis & cinis; misereri mortuo, inclinare se iacenti, contrahi & coæquari paruo, cæco partiri lumen oculorum suorum, os mutum oris proprij osculo soluere, debilesque manus suarum roborare contactu. Hoc semel contulit vniuersitatati, hoc quotidie singuli in nobis actitari sentimus, & cordi scilicet tribui intelligentiæ lumen, & ori edificationis verbum, & manibus opus iustitiæ. Dat sentire fideliter, dat perferre vtiliter, dat efficaciter adimplere. Et *est funiculus triplex, qui difficile rumpitur.* ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad Regna Cœlestia; si recte sentias, si digne proloquaris, si viuendo confirmes. *Oculis suis tetigit meos,* interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu. *Ori meo iunxit suum*, & mortuo signum pacis impræssit, quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliauit nos Deo, iustitiæ mortuos. *Os ori applicuit:* iterato inspirans in facié meam spiraculum vitæ, sed sanctioris quam primo. Nam primo quidem in animam viuentem creauit me, secundo in spiritum viuificantem reformauit me. *Manus suas meis supposuit*, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ; aut certe manus suas misit ad fortia, vt doceret manus meas ad prælium. *Et oscitauit puer septies:* Videmus enim Ecclesiam, ex quo vitam Propheta incumbente recepit, quasi septies oscitare; quia septies in die laudem dicere consueuit. Si etiam teipsum aduertas, in hoc te noueris viuere vita spirituali, ac mysticum hunc implere numerum, si sensualitatis tuæ quinarium, charitatis binario subijcis, exhibesque iuxta Apostolum, membra tua seruire iustitię in sanctificationem, quæ prius exhibuisti, seruire iniquitati ad iniquitatem. Hæc est salus, hæc eliberatio quam Saluator mundi Christus, attulit vniuerso mundo: quod Diabolum mali auctorem, hominis inimicum deuicit, atque prostrauit, & a Tyrannide ipsius hominem eripuit; laqueos ab eo paratos rupit, & dissoluit; foueas effossas periculorum obstruxit; stimulos corporum quibus adurebat mitigauit; cogitationes pessimas quas suggesserat ille, è mentibus fugauit; iras immissas compræssit; ad virtutis amorem accendit;

vitio-

vitiorum inseruit odium; errores profligauit; animos humanos luce fidei collustrauit; discordias vniuit; pacem cum Deo, cum hominibus, cum Angelis, & vniuerso terrarum Orbe homini conciliauit; humana violata ad primum statum reformauit; Diuina attentata & commixta, suo candori, & maiestati restituit; Authorem totius mali vinculis ferreis alligauit. Si mihi non creditis, Ioannes Apostolus vidit Angelum descendentem de Cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & appræhendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas, & ligauit eum, & misit in abyssum, & clausit & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Dedit illi nomen quod est super omne nomen, quale nec Ioseph, nec Iosue, nec Iesus Ecclesiasticus, nec filius Iosedech, nec Othoniel, neq; Gedeon, neq; aliquis alius habuit; quia salutem gentium, qualem nullus hominum vnquam attulit mundo. Suauiter rumino ista, cum Bernardo, & replentur viscera mea, & omnia ossa mea germinant laude. Quid retribuam tibi Domine, pro omnibus quæ retribuisti? quæ de nouo contulisti mihi? Quas tibi gratias referam? Quæ munera, pro beneficijs tuis tibi persoluam? Fecisti me cum non essem, redemisti me cum perijssem, perieram, & mortuus fueram, ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti, ad seruum Rex descendisti; vt seruum redimeres, teipsum tradidisti; vt ego viuerem, tu mortem suscepisti; mortem vicisti, me restaurasti cum te humiliasti; abieram, in peccatis venundatus eram, venisti pro me, vt redimeres me; & tantum me dilexisti, vt sanguinem tuum pretiosum dares pro me. Adeo charo pretio me reduxisti de exilio, redemisti de seruitio, de supplicio retraxisti, nomine tuo vocasti me, me signasti sanguine tuo, Quādo erraui, ad uiam reduxisti me; quādo ignoraui, docuisti me; quando peccaui, corripuisti me; tristem cōsolatus es me, desperantem confortasti, cadentem erexisti, tenuisti stantem, euntem deduxisti. Quando veni suscepisti me, quando dormiui custodisti me, quādo de ventre inferi, & de profundis tenebrarum, & de faucib. Dæmonis, cum lachrymis clamaui, exaudisti me; dixisti. Exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, longitudine dierū re-

Christus ligauit dæmonem.

Apoc. 20.

Beneficia allata per Christum

plebo eum, & ostendam illi Salutare meum. Quid ergo referemus tibi, ô Deus Saluator noster, pro omnib. quę retribuisti nobis? Aurum & argentum non est mihi: tuus est Orbis terrę & plenitudo eius, mihi tantum memetipsum reliquisti, me in manum consilij mei tradidisti, animam meam in manus meas posuisti; Aliud nos pauperes non habemus, *præter hæc duo minuta* animã & corpus; ecce nos ipsos tibi tradimus, tibi deuouemus, nos tuę seruituri subijcimus. Postquàm Tobias ille, quem Raphael Angelus duxit & reduxit sanum, & pecuniam ipse a Gabelo recepit, vxorem illi conduxit, & dęmonium ab ea compescuit, gaudium parẽtib. eius fecit, illum a deuoratione piscis eripuit, Patri lumen oculorum restituit, & omnib. bonis repleuit, tantisq; beneficijs affecit: non inuenit qualem mercedem, siue quid dignũ poterat, beneficijs eius recompẽsare pręter seipsum Quid nos dignũ poterimus dare Saluatori nostro, ꝓ bonis qb. affluenter repleti sumus? Nos n. duxit per inuia pericula solitudinis mundi: nos reduxit ad domum Ecclesię, pignus gratię nobis contulit; nos in fide viua sponso ęterno & immortali despõsauit; dęmonium ab Ecclesiæ finib. propulsauit; gaudium in cęlis militię Cœlesti effecit; nos a deuoratione draconis serpentis antiqui eripuit; cęcitatem nostrã splendore ortus sui illustrauit; bonis omnib. & animę & corporis, & in hac vita mortali, & in cęlesti Patria maiorib. & ampliorib. repleuit. Quid illi dignum ad hæc poterimus dare? Statuis, vt illi Romani Patriæ liberatores non delectatur, delubra despicit, obeliscos & pyramides altissimas dedignatur, bonis nostris non indiget. Nos ipsos igitur seruituri illius subijciamus & animas nr̃as ipsius voluntati con

Iud. 8. secremus. Postquam Gedeon, populũ Israel liberasset a Madianitarum furore, non alio, tantis beneficijs suo saluatori poterãt gratificari, nisi vt illum Dominum suum sibi præficerent, dicentes. Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberasti nos de manu Madian; Ecce Saluator noster, iugum oneris Sathanę, & virgam humeri nostri, & sceptrum crudelissimi exactoris, superauit sicut in die Madian; Ecce nunc lætantur coram Deo, sicut qui lætãtur in messe, sicut exultant victores capta ꝑda, quãdo diuidũt spolia. Dicamus Christo saluatori, *Dominare tu nostri, quia nos liberasti de manu Dæmonis*, indignus. n. est viuere, qui tibi viuere recusat, qui vt viueremus mortuus est. Totus

Viuendũ est Christo.

tus eram in morte, totum me resuscitasti: tuum igitur sit totū id quod viuo, & totus me totum tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea viuat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres, totum me refecisti, ut totum me haberes. Diligam te igitur Domine uirtus mea, diligam te ineffabilis exultatio mea, & viuat iam non mihi sed tibi tota uita mea, quę perierat in miseria mea. Viuam iam non ego, sed viuas tu in me. Ad hoc.n. tibi Deus, dedit nomen super omne humanum nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur, ut omnia interiora mea benedicant nomini tuo; ut Anima Cęlestis, sensus autem ad inferiora deprimentes, cum carne terrena, poplites suos inflectant in nomine tuo; tibi confiteantur, quod tu es in gloria, & non in confusione, sed in Regno tuo, quod in me instituisti, siue in gloria Regni cęlestis ad quod tu Saluator potentissime, nos perducere digneris, Amen.

(*)

IESVM.

Ego & Pater vnum ſumus. Ioan. 10 cap.

CONCIO TRIGESIMAPRIMA.

In qua, Filium Dei, eiuſdem ſubſtantiæ cum Deo Patre eſſe demonſtratur.

EAM eſſe legem & perpetuam conditionem ſuperiorum, non tam ex Philoſophia quam ex quotidiana experientia didicimus, vt illa omnia bona, quæ in inferiorib. creaturis diſperſa ſunt, in ſeipſis adunata, & quaſi in vnum quiddam eminens recollecta amplectantur. Teſtimonium iſtius non aliud eſſe volo, præter noſmetipſos. Homo etenim, quia ſuperior quacũque viſibili creatura, a Deo creatus eſt, omnium quoque rerum, quæ ſub aſpectum cadere poſſunt perfectiones, vnus in ſe ipſo in vnum complexas continet. Habet enim eſſe cum lapib. viuit cum plantis, mouetur vt Orbes Cęleſtes, ſenſu viget vt animalia perfecta. Quatuor autem elementorum bonitates quod habeat? clarum eſt; cum ex illis tanquam ex maſſa quadam, corpus noſtrũ cõmixtum & concretum eſt. Hæc autem tali & tanto vinculo in vnum connexa ſunt; vt vnum ſine altero reperiri & conſiſtere nequit; nec eſſe ſine vita, neq. vita ſine motu, nec motus ſine ſenſu, nec ſenſus ſine corpore, neque corpus ſine ſuis elementis homo habere poteſt. Vnum ſi demas omnia accipis; Omnia enim iſta, vt Philoſophorum verbis vtar, quæ in inferioribus diſperſa erant, in homine vt põte ſuperiori creatura, vnite & eleuate continentur. Omnia iſta in homine, vnius eſſentiæ humanæ ſunt. Quocirca nihil eſt mirum, ſi in ſupremo illo

Superiora inferiorum perfectiones vnite continent.

Rerum omnium conditorē, qui potenti sua virtute, omnibus bonitatem suam communicauit abundè, Verbum per quod fecit omnia, *Filius vnigenitus Dei, qui est in Patre & Pater in illo, modo quodam ineffabili*, vnum in essentia, in honore, in potentia in gloria, cum Patre sibi coæterno sit, sicut ipse Saluator noster testatus est *Ego & Pater vnum sumus*. Si enim Deo nulla peregina forma, nullúue accidens aduenire potest; Nec.n. aliunde bonus (vt reliquit Bernardus) quam vnde magnus; nec aliunde iustus aut Sapiens, quam vnde magnus & bonus; nec aliunde denique simul hæc omnia est, quam vnde Deus, & hoc quo que non nisi seipso, sola summa & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hāc sibi vendicat meram singularemq. suę essentię simplicitatē, vt non aliud & aliud, nec alibi quoq. & alibi, sed ne quidē modo & modo inueniatur in ea; nēpe in semet manens, ꝙ habet, est: & ꝙ est, semper & vno modo est. In ea & multa in vnū, & diuersa in idē rediguntur, vt nec numerositate rerum sumat pluralitatē, nec alterationē de variatione sentiat. magnitudine est magnus, sed q̄ in ipso ē, ne aliq̄d Deo maius sit, bonitate bonus est, sed nō alia quam ipse est, ne melius aliquid ipso inueniatur. Verbum aūt, sapiētia & perfecta Imago Filius Dei, est in Deo Patre; vnius quoq. essentię, non extraneę substantiæ, sed eiusdem potentiæ & virtutis cum Patre est. Ego & Pater vnum sumus. ¶ Sufficiebant quidem ista credentibus, & simplici corde, Maiestatem atq. consubstantialitatem Filij Dei Patrum, Conciliorum, Ecclesiæ, & Sacræ scripturæ testimonio firmatam, voce Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharū & Angelorum, insuper ipsius Dei Patris roboratam, venerantib. & confitentib. Sed cogimur ineffabilia eloqui, inaccessa scandere. Illa quę aīo syncero, & fide indubia amplectere cōgruū erat, nunc in contentionem & dubiosam quandam disceptationem, hæreticorū blasphemo ore vocata demonstrare. Necessum erat illis quæ per se credibilia & credenda erant, fidē facere, dū Christus de se ait. Ego & Pater vnum sumus. At quia sepultū Arriū & Eunomium nobis suscitarunt Ministri Sathanæ, Michael seruetus, Franciscus Dauid, Ministri Transyluani & illa errans mus, Erasmus dico Roterodamus, huius loci genuinam interpretationem dicentes esse. *Ego & Pater vnum sumus*, nō naturæ & essentiæ, sed consensus voluntatis vnitate, Pater & Filius vnum sunt

Christus ē vnius essentiæ cum Pa-

Dei & eorum quæ in ipso sūt vnitas.

ser. 8. Ca.

Arrianorum peruersa interpretatio verborū Christi.

sunt, (blaspemant isti) non quidem vnum in natura, vnum in essentia, vnum in æqualitate, vnum in gloria, sed vnum in concordia, unum in consensu uoluntatis. Ad quem (inquiunt) modũ duo amãtes in duob. corporib. sunt una anima, & cor unũ ita ut alter alterum estimet, & uocet dimidium animæ suæ, imo quandoque cor suum, animam suam, alterum se. Et dum percontor ab eis, Quæ ratio? Quod argumentum in eam uos pertraxit uesaniam, ut Filij Dei vnitatem in essentia cum Patre diuidatis, & solam unitatem uoluntatum, non sine graui & horrenda blasphemia, inter Patrem & Filium statuatis & confingatis? Cæteris impudentior Seruetus, respondet. Christi Domini oratio me commouet, ad pernegandam æqualitatem eius Patre. Dum .n. oraret ad Patrem, pro suis discipulis, & pro illis qui credituri erant in noĩe ipsius, talẽ protulit orationem. *Vt sint vnum, precor, sicut & nos vnum sumus.* An nos (inquit Seruetus) ad illorum similitudinem unum natura esse debemus? Non certe: sed concordia uoluntatis. Quare nec Pater & Filius aliter unum sunt. O Gyganteũ furorẽ, ò blasphemiã extremis inferni supplicijs uindicãdã, ò immanitatẽ, ò malitiã, malitiã Dæmonũ etsuperãtẽ. Non uidetis Nouos Gygantes, nouũ bellũ, funestum illud & peruersum, omnia potenti comprimendum & fulmine dissipandũ, conflare Deo? Non aspicitis in isto cãpo Sennaar confusionis, Nouos Babelis inuentores, qui olim in terra labij vnius, unitatis confessionis Ecclesiæ, habitabant, nouum consilium inire contra Altissimum? Venite, faciamus nobis turrim, cuius culmẽ pertingat ad Cęlũ, & celebremus nomẽ nostrum, antequam diuidamur in uniuersas terras? Sed quo celebrabitis nomen uestrum? Quod egregium facinus, sempiterna laude dignum perficietis? Non hoc quidem laude & sempiterna fama, sed sempiternis ignibus dignum. Ascendemus in hãc turrim Babelis adinuentionum nostrarum, *Superbia enim eorum*, vt Dauid aiebat, *qui te oderunt ascendit semper.* Procedemus vsque ad culmen eius, quod pertingit ad Cælum sanctissimæ Trinitatis; linguas nostras tanq̃ sagittas acutas, cum carbonibus vastatorijs, iaciemus in Cælum; illum qui sedet ad dexteram Dei in excelsis, de suæ maiestatis Throno detrahemus; in terras deturbabimus, inter captiuos carceris huius, Principẽ & Regem Regũ vniuersorũ, vinctũ, detinebimus; Deum ipsum si aliquid cõtra nostrã insaniã moliri voluerit, e Cęlis deijciemus

Arriani Gigantei furoris.

Arriani Babel extruunt.

& inferius Deo sæculi istius, Dæmone: inter illos Deos, quorum vnus iactabat, Ego inquit sum Deus, & in Cathedra Dei sedi in corde maris, connumerabimus. Et si musitare aliquid au sus fuerit, illum e memoria hominum, & numero omnium quę sunt in vniuerso Orbe exterminabimus, Attheismum insuper inducemus; Sine Deo, sine lege, sine supremo iudice, sine Rege Regum esse volumus. nolumus. n. hunc regnare super nos, Displicet nobis quod iste, tanto melior Angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen participauit: non placet audire, ꝙ gloriatur se Patrem habere Deũ, De bono opere nolumus illũ, ex hac superba turri lapidare, sed de blasphemia; quia cũ homo sit, facit seipsum Deũ, quia Deus illi hoc attestatur. Audiuimus. n. eũ quondã de Cęlo clamantem. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacuit, ipsum audite, in ipsũ credite, quęcũq; dixerit vobis, sine reluctatione tanq̃ uera recipite. Nolumus & Dei Filium & Dei testimonium; & Deum & Dei filium exturbare volumus de Cęlestib. Thronis. Blasphemia. n. est ꝙ Pater & Filius vnum sint in essentia, vnum tm̃ sunt in voluntate, vnũ in consensu, & in concordia. Nos ad illorum similitudinẽ vnũ sumus, non natura sed cõcordia voluntatis; Quare nec Pater & Filius aliter vnum sunt. Miramini? obstupescitis? Hæreticos eò progressos esse amentiæ? in tantam processisse furentem insaniam? vt Filij Dei consubstantialitate negata, Christo Deo de suæ Maiestatis Throno deiecto, Atheismi a me insimulentur? Deo bellum indixisse, accusentur? Deum ab illis exturbandum & Diuinitate priuandum iri dicantur? At iustissime quidem. Deus enim Pater & Dei Patris vnigenitus naturalis Filius, cum vnum sint in Deitate, vnum in æternitate, vnum in gloria, *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo. Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Vnum sunt in æternitate. *In principio enim erat verbum*, vt Ioannes docuit. Vnum in essentia; *& Deus erat verbum*, Deus ille rerum omnium Principium, in quo Principio erat verbum, Deus erat verbum. Vnum in Potentia; *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Vnum in Beatitudine & gloria. *Quod factũ est, in ipso uita erat*, Omne illud quod ab eo factum est, et ab eo pro manauit per creationem, in ipsum rediens per recreationem & quendam recursum, *vita in ipso erat:* vitam illam fælicissimam,

Arriani Atheismo uiam parant.

Deus Pater & filius Dei unũ sũt.

vitã ſine miſeria ſine morte inueniebat. Et hi tres vnũ ſunt. Ego & Pater vnũ ſumus. Qui igit' Filiũ impugnat, Patrẽ impugnat, Qui filiũ de Maieſtate ſua deturbat, Deũ de Maieſtate ſua deturbat. Qui Filiũ, blaſphemo ore dicit, non eſſe Deũ; dicit non eſſe Deũ in mundo. Nihil.n. in Diuinitate Trinitatis, a(vt S. Martialis reliqt) diſcretũ. Pater & Filius, et Spiritus Sãctus, in Perſonis Diuinis tria diuiſa; in Diuinitate vnus Deus indiuiſus eſt. Trinitas pfecta, (vt b Gregorius Thaumaturgus docuit,) Maieſtate, Æternitate & Regno minime diuiditur. Non eſt diuidẽda (Dionyſius Romanus c docet) in tres Deitates, Admirabilis & Diuina vnitas, neq; ſub nomine creationis, imminuenda ẽ Dñi dignitas, & immẽſa Maieſtas. Sed credẽdũ eſt in Deũ Patrẽ & in Filiũ eius Ieſũ Chriſtũ, & in ſpiritũ Sãctũ, vniriq; Deo totius vniuerſitatis verbũ. Ego.n. inquit & Pater vnũ ſumus, Et ego in Patre & Pater in me. Ita.n. & Diuina Trinitas, & Sancta prędicatio profeſſioque Monarchiæ cõſeruari poterit. Qui Filium Dei, Deum verum eſſe, Deo Patri conſubſtantialem, Patri coæqualem pernegat, Patrẽ & Deum pernegat, Atheiſmumq; inducit. Et vt omni ſuſpicione, omnique de calumnia ſcrupulo, veſter eliberetur animus. Tria illa quæ violenter abripiunt Arriani Filio Diuino; accipiamus in medium. nempe vnitatem in Aeternitate, Vnitatem in eſſentia, Vnitatem in Operatione; ex his.n. non difficile erit oſtendere Seruetianos, Tranſyluanorum Miniſtros, & eius generis aſſeclas eſſe Atheiſtas.

a in epiſt. 1. ad Burdegalenſes.
b apud Niſſenũ in oratione de eodẽ; & Euſeb. lib. 7. hiſtor. ca. 25. & in Confeſ. fidei que ẽ in Thomis. Concil. ant. 5. Synodum.
c. apud Athanaſ. in epiſt. de decretis Nicene Synodi.

Arrianorum tria dicta de conſubſtantialitate ſeu equalitate Filii Dei.

Dicite mihi vos Seruetiani; Filium in quo inæqualem Patri eſſe pronunciatis? In æternitate? Filium minorem tempore, ſuo Patre eterno dicitis? Hoc aũt, non eſt Atheiſmum inducere? Scitum eſt ex Sacris literis, Filium Dei naturalem, eſſe Dei virtutem & Dei ſapientiam. vt ex Paulo didicimus, Prędicamus, inquit, Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: *ipſis autem vocatis Iudeis atque Græcis, Chriſtum Dei Virtutem, et Dei Sapientiam.* Notum eſt ex ijſdem Sacris literis, Filium Dei eſſe ſplendorem & imaginem ſeu figuram ſubſtantiæ Diuinæ, vt ex eodem Paulo habemus Locutus eſt, ait nobis Deus in Filio, quem conſtituit hęredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Qui *cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtãtiæ eius, portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Mutuauerat iſta Paulus a Sapiente; his etenim verbis ſapientiam increatam

1. Cor. 1.
Heb. 1.

Chriſti nomina ex quib. probatur coæternitas eius cum Patre.

adscribere, quasi antea nondum existenti. Quando aūt non erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarrabilisq; Patris substantię Imago, Forma, Ratio, q̄ Patrem agnoscit? Cogitet secū quicūq; audet, dicere; Erat qñ non erat Filius, se hoc ipsum dicere; Erat quando Sapientia non erat; quando ratio non erat, qñ vita non erat. Filius (aiebat Cyrillus) semper est in patre sicut in Fonte, sicut ab ipso dictum. Ego ex parte exiui, & veni. Quasi.n. fontem Patrem intelligimus, in quo verbum est Sapientia, Character, splendor & imago eius existens. Quare si nullum erat vnquam tempus, qñ absque Sapientia, virtute, charactere, splendore, veritate, consilio, ac denique sine sua imagine erat Pater; fateri necesse est, coęternum esse Dei filium, qui sapientia virtus, veritas, consilium, Lex, splendor, character, imago Patris æterni est. Quomodo.n. character, aut q̄ imago exquisitissima Patris est, nisi pulchritudinem eius perfecte consequutus sit, cuius est imago? Non est autem absurdum quod diximus, ait Cyrillus, in Patre Filium tanquam in Fonte intelligendum esse. Nihil.n. aliud nobis Fontis nomen designat, quam vt ex quo. Filius vero in Patre & ex Patre est, non profluens foras, sed aut quasi a Sole splendor; aut quasi ab igne insita sibi calliditas. In his enim exēplis vnum ab vno produci, & ambo consempiterna sic esse conspicimus, vt aliud absque alio nec esse, nec naturæ suæ rationem retinere possit. Quomodo enim erit Sol splendore priuatus? Aut quomodo erit Splendor, nisi Sol sit, à quo defluat? Ignis vero, quomodo erit calore carens? Vel calor, vnde manabit nisi ab igne? aut ab alio forsan non procul a substantiali qualitate ignis disiecto? Sicut igitur quę ab istis profluunt, simul cum illis sunt vnde profluunt, ac semper vnde fluant ostendunt; sic in Vnigenito intelligendum est. Ex Patre enim esse intelligitur, sed in Patre etiam esse creditur, Ego.n. in Patre, & Pater in me est. Non alienus natura, neque post Patrē natura secundus, sed in ipso Patre semper, & cum ipso, & ex ipso secundum ineffabilis generationis modum existit. Fas igitur non est (cum Origene prænominato concludo) neque periculo vacuum, quantū in nobis est, expoliare Patrem vnigenito suo semper secum existente verbo; expoliare itē eum sua sapientia, in quo letabatur, Inde.n. sequeretur eum non fuisse semper letatum. Inde.n. prouenirec: Deum non fuisse ab ęterno Sapientē.

Arriano-rum dog-ma de coeterni-tate nega-ta quę ab-surda ad-ducit.

Vos aũt noui gygantes, quid facitis? Filium Dei minorem tem-pore, ipso Patre asseueratis? Patrem non ab æterno fuisse læta-tum, neq; ab ęterno sapientẽ dicatis necesse est. Filius.n.cũ sit sa-pientia Patris creantis oĩa; anteq̃ nasceretur in tẽpore Filius, Pa-ter caruit Sapientia, & Deus non erat Sapientia. Filius est splen-dor Paternæ lucis; ante natiuitatem temporaneam Filij, Pater-na lux non habuit splendorem; Lux igitur Diuina obscura, te-nebrosa erat. Filius Dei est speculum sine macula Diuinitatis; antequam illum enixa esset Deipara Virgo, Deus non habuit, in quo semetipsum intueretur, suamque speciem contemplare-tur. Verbũ Dei, est veritas atque consiliũ Dei; anteq̃ caro esset factum ex vtero Virgineo, Deus erat absque veritate, erat absq; prudentia & consilio. Deus, ò insana cõmenta, ante Christi tẽ-pora lemi ortum, mendax & imprudẽs, & stultus erat. Christus est Diuina virtus, & Idea seu rátio, ad quã facta sunt, & per quã procreata sunt omnia: antequã Christus sub Octauiano Augu-sto in Betheleem nasceretur, Deus non habebat virtutẽ, non ha-bebat rationẽ creandi; imbecillis, infirmus, impotens erat. Igi-tur falso, Moyses appellauit eum nomine Omnipotentis; perpe-rã creationẽ rerũ descripsit; Non est verũ quod reliquit. In prin-cipio creauit Cœlũ & Terrã, & Faciamus hominẽ ad imaginẽ nostrã. Dicã amplius; si temporib. Cæsaris Augusti, qñ Filius Dei, ex Virgine Maria, in Bethleemitico oppido genitus est, De⁹ cæpit habere virtutẽ; Tẽporib. Cæsaris Augusti, creauit, Cęlũ & Terram. *Non in principio* sed temporibus Augusti dixit *Fiat lux, & facta est Lux. Fiat firmamentum in medio aquarum & diuidat, aquas ab aquis, & fecit ita. Non in Principio* sed sub Au-gusto dixit, *Cõgregentur aquæ, quæ sub Cęlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Germinet terra herbam virentem, & facientẽ semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suũ, & factũ est ita*. Non in principio, sed sub Cæsare, *fecit Deus duo luminaria Magna, luminare maius vt praeesset diei, & luminare minus vt praeesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento Cæli, vt lucerẽt sup terrã*. Nõ in principio sed sub Imperatore, *crea-uit Deus cęte grandia; sed & omnem animam viuentem atque motabilem, & omne volatile secundum genus suum, & bestias terrę iuxta species suas, & iumenta & omne reptile in genere suo*. Tunc quãdo Christus natus est ex Virgine, *accepit Deus limũ*

Christus si nõ fuit Patri coę-ternus, nũquam fuit in mundo.

de

de terra & formauit hominem de limo terræ, & inspirauit in facie eius spiraculum vitæ. Ante Christum & Mariam Deiparam nihil penitus erat; non terra, non aqua, non aer, non ignis non pisces, non volatilia, non reptilia, non iumenta & bestiæ, non herbæ virentes, non ligna pomifera, non stellæ, non Sol & Luna, non firmamentum. Ante Christum & Virginem Dei Genitricem Mariã vacuum erat; imo dicam plus, nec ipse Christus in mundo fuit aliquid. Si enim omnia per Filium Dei facta sunt, vt refert scriptura; Maria Virgo etiam per ipsum necessario facta est, *Omnia enim siue visibilia siue inuisibilia, per ipsum condita sunt,* vt Paulus habet. Maria Virgo Christum genuit, & suo vtero intacto in mundum profudit, Ante Mariam non fuit, et Mariam non fecit, neque creauit; *Quod enim non est, non potest creare.* Mariam non creauit, qui omnia creauit; ante Mariam si quidem non fuit; Maria igitur nihil in ventre gestauit; nihil a Spiritu Sancto accepit; nihil in Bethleem stabulo genuit. Maria vt in summa dicam, nihil fuit, Christus nihil fuit. Quod .n. non est, non potest creare; Quod non est, non potest generare; Quod genitum vel creatum vel factũ non est; fictio est, nihil est. Exeat nunc nescio quis Seruetianus, seu nescio quis nouus Arrianus; & dicat, quod verbum Dei non fuit ab æterno, sed ex tẽpore incœpit; Dicat, in tempore sub Augusto Cæsare, post Mariam omnia creata sunt; perneget Christum fuisse in mundo; eousque procedat vt Deum non esse autumet, Quomodo enim Deus est, qui sapiens non est? Quomodo Omnipotens, qui virtutem a creatura in tempore mẽdicat? Quomodo Deus est, qui, consilio & veritate caret? Quomodo Deus. Sol est, qui nõ splendescit? Quomodo ignis consumens, cui calor & emanatio, claritatis omnipotentis Dei syncera, coæterna non est? Siccine sine Deo viuemus? Sic ne Christi & Diuinitatem & Animam, & Corpus, & humanitatem, ad nihilum deducetis? Itane Deum non Deum, sed monstrum, quoddam facietis? Dauid pollicebatur Diuino nomine *Contestabor te,* inquit, *Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.* Qualem igitur Deum Christũ appellabitis? Deus ipse testabatur & promittebat. *Ego ipse sum; ante me non est formatus Deus, & post me non erit; ego sum ego sum Dominus, & absque me nõ erit saluator.* Quomodo igitur, vel qualis Saluator noster Christus, Deus for-

Psal. 80. | Deus recens non datur. | Isai. 43.

Christus suam ęternitatem prædicat. matus est? Veritas ipsa Christus, dicit, Antequam Abraam fieret, ego sum, cur veritatem & veracem, mendacij insimulatis? si ex Virgine Maria non incæpit, si ante Virginem fuit? Sapientia æterna fatetur, Dñs possedit me in initio viarũ suarum, antequam quicquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex Antiquis antequã terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, nec dum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant; ante omnes colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrę. Cur igitur Filiũ Diuinũ, Dei sapientiam post omnia creata, post terram fundatã, post libratos fontes, esse progenitam blatteratis? Si Deus ipse pronunciat Hodie id est, in ęternitate *genui te*, vt ipse apud Regium Prophetã declarat. *In splendoribus sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* Cur tantum audetis, vt illũ non in splendorib. sed in tenebris, non ante Luciferum sed post tot millia sæculorum genitum esse, & nõ ex vtero Diuino, sed Virgineo tantũ blasphematis? *Fas nos est* (iterũ dico cum Origene) *neq. periculo vacuum, quantũ in nobis est exspoliare Patrem vnigenito suo, semper secum existente Verbo, exspoliare item eum sapientia sua, in qua lætabatur. Inde .n. sequeretur, eum non fuisse semper lætatum.* Ego & Pater vnum sumus Prou. 8.

Arrianorũ aliud & aliud confunditur. in ęternitate. Sed nõ eo subsistit impietas Arrianorum; Neq. tãtum minorem in ęternitate, sed et inæqualem in Deitate, Filiũ esse censuerunt. Aliud .n. Pater, & Aliud Filius (aiunt isti) non Alius Pater & Alius Filius; Diuersus Pater in substantia, non autidẽ cũ Filio. Velim a vobis primo edoceri ò Seruetiani, Christum Dei Filiũ in quẽ ordinem, An creaturarum, An vero Dei, recẽsetis? Christum Dei Verbum creaturam esse, an vero deũ existimatis? Si Deũ, & Deũ verũ, non idolũ, neq. Deũ huius sæculi; Deus aũt vnus est, in toto Orbe terrarũ, vt Moyses dicebat Audi Israel Dñs Deus tuus vnus est. & ipse De⁹. pręcipiebat, Nõ habebis alienos Deos corã me. Ego. n. inquit, apud Isaiã, *primus & ego nouissimus, & absq. me non est Deus.* & infra. Ego Dominus & non est amplius extra me Deus, accinxi te & non cognouisti me, Vt sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est; Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malũ ego Dominus faciens omnia hęc. Si igitur Deum verum, Ver-

bum

Isai. 44. & 45. bum Dei esse (prout etiam Ioannes vos cogit dicendo. *Et Deus erat Verbum*) asseueratis; Deus auté vnus est, & extra vnũ Deũ non est alius Deus: Verbum Dei, non est aliud & aliud Pater; Verbũ Dei non est alius diuersus Deus, & alius diuersus Deus Pater: sed Pater & Verbũ vnus est Deus, vt Ioãnes docuit. Tres sunt, qui testimonium dant in Cęlo. Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, *& hi Tres vnum sunt*. Non dixit; *hi tres* vnus sunt, pro Arriũ & Sabelliũ feriẽs sen tẽtia scri pturæ.

1. Ioan. pter Sabellium. Non dixit, hi tres diuersi sunt, propter Arrium. Vtrumque auditur, *& vnum & sunt*: ab vtroque & Charybdi & Scylla liberamur. *Quod dixit, vnum*; liberat nos ab Arrio separante filium a substantia Patris; *Quod dixit sunt*; liberat nos a Sabellio, confundente personam Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti sine discretione. *Si vnum?* non ergo diuersum, neque aliud & aliud; *Si sunt?* igitur Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quorũ æqualitatem in substãtia indiuisa, inseparata, & indiuidua dum diuiditis: dũ gradus maioris & minoris in Diuinitate statuitis, Quid est hoc aliud quam negare Deum? quam Atheismum introducere? Non enim sunt duo Dij, sed vnus est Deus, qui fecit cælum & terram. *Vnus Deus, neque in maius crescere, nec in minus contrahi seu decrescere potest, Non datur maior & minor Deus. Extra me enim non est Deus*.

At reclamare vos conspicio. Audio vestram maledicam confessionem: Christum dicitis non esse verum Deum, sed puram creaturarum. Et si Deum esse agnoscitis, non tamen verum sed adoptiuum, non naturaliter genitum sed per gratiam effectum Deũ nominatis. Ita vester Franciscus Dauid, cũ Georgio Blandrala, effutiuerunt. Solus, inquit, Pater est vnicus Deus Christus ideo Deus, quia Filius, & ab illo sanctificatus, & summa potentia præditus, Nullibi enim iubet scriptura nos credere in Christum, tanquã in vnum illum Deum Altissimum, ex quo omnia. ¶ Audistis blasphemiam, vidistis cęcitaté: palpare potestis ignorantiam, cum malitia coniunctam, illorum. Christus non est Deus, sed pura Creatura? Quid vero scripturæ, manifestò, contra violentiam Deo illatam, proclamant? Ac vt ordiar a nomine & officio verbi Filij Dei: Scitũ est ex Isaia, quod non aliqua creatura, sed ipse Deus venturus erat ad saluandas Gentes. Sic enim legimus pollicitationem Prophetæ: *Deus*, inquit, *ipse*

[Left margin: In disput. Albana. act. 3. diei in eadem disp. act. 5. diei.]
[Right margin: Arriano- cęcitas. — Deus ipse saluare debuit homiuem.]

se veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & lingua mutorum soluta erit. Hinc sæpe sæpius, Deus ipse consolans populum suum aiebat. *Ego, ego ipse consolabor vos. ego sum Dominus, & absque me non est saluator, me seruire fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ego Dominus loquens iustitiam, & annuntians recta. Congregamini & venite, & accedite simul, qui saluati estis ex Gentibus: nescierunt qui leuant lignum sculpturæ suæ, & rogant Deum non saluantem. Annuntiate & venite & consiliamini simul, quis auditum fecit hoc ab initio? ex tunc prædixit illud? nunquid non ego Dominus, & non est vltra Deus absq; me? Deus iustus & saluans, non est præter me. Cōuertimini & salui eritis, oēs fines terræ, quia ego Deus & nō est alius. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitię Verbū & nō reuertetur, q̄a mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua in Domino. Passim, in Isaia obuia sunt eiusmodi testimonia. Nec tantum apud eum hęc erat vox, Deum, saluatorem futurum esse vniuersorum; & alij quoq; Prophetæ idipsum prædixerunt. Zacharias aiebat. Hæc dicit Dominus exercituum, Lauda & lætare filia Syon, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui dicit Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in illa die; & erunt mihi in populum; & habitabo in medio tui; & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Hunc Dominum exercituum, missum a Domino exercituum, vt habitaret in nobis, quē alium dicemus nisi Deū verum? Sic apud Oseam, idem Dominus promittebat, Domui, inquit, Iuda miserebor, & saluabo eas in Domino Deo suo. Sic apud Baruch Prophetam, Deum conuersaturum esse cum hominibus nouimus. Hic, inquit, est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puerò suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quomodo autem conuersatus fuerit? clarissimum habemus ex Isaia. Qui conuersaturum & habitaturum eum, in forma humana assumpta testatur? Ecce, inquit, virgo concipiet, &

Veteris & noui test. concordes sētentiæ de Christo Saluatore.

Zacha. 2.

Osee. 1.

Baruch. 3

Isai. 7. & 9.

& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis. Multiplicabitur eius Imperium & Pacis non erit finis. Quis autem Deus Diuinitate, non quidem deposita, sed humanitate circumuestita mundo apparuit? Quis cum hominib. conuersatus est? Quis nam ille paruulus natus, postea in virum excrescens, principatum suum super humerum baiulauit? Quis saluauit mundum, non a seruitute Aegypti tantum, vel Babylonis, sed a Tyrannide Sathanæ? Quis oculos cæcorum illuminauit? surdis auditum restituit? mortuos ad vitam resuscitauit, nisi Filius Dei? Filius Dei, vt omnium istorum collectionem faciamus; est ille, *qui non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Cum esset in forma Dei*, hoc est præditus natura & essentia Dei, vt Patres voluerunt. Nec temere, si enim dum formam serui, Filius Dei accepit, non figuram aut imaginem humanam, tantum accepit, vel opera tantum humana peregit, sed vere humanam formam atque naturam assumpsit, secundum quam est seruus Dei; ita etiam dum in forma Dei esset, non tantum imaginem aut similitudinem externam gessit, vel Diuina tantum opera peregit, sed vere fuit præditus essentia Patris. Filius Dei est *ille paruulus admirabilis, quem virgo*, secundum Angeli testimonium, *in vtero habebat, cuius nomen, vocatum est Emanuel, quod est nobiscum Deus;* cuius nomen, ait idem Angelus Iosepho, vocabis Iesum, Ipse enim saluum faciet populum a peccatis eorum. Filius Dei est Deus *ille qui cum peccatoribus conuersabatur*, cum Martha & Magdalena manducabat; cum Mathæo, Zachæo, Simone Phariseo, & alijs Publicanis accumbebat; qui Ciuitates Iudæ circuiebat; qui a turbis comprimebatur, turbis beneficia impendebat, & turbas reficiebat, Euntes, inquit, respondet Ioanni interroganti Quis sum ego. quæ audistis & vidistis; quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur. Quasi dixisset, Ioannes ex me scire cupit,

Deo Saluatori attributa a Prophetis Christo conueniunt

Forma quid designat.

Math. 11

Luc. 7.

pit, *An ego sim ille Deus, qui debebat venire & saluare populum qui aperiret oculos cæcorum, & alia miranda*, quæ solus Deus operatur, potenti virtute perficeret? Euntes renunciate Ioanni, que vidistis me manibus peragentem, Quæ audistis a turbis vociferantibus. Ipse fecit surdos audire & mutos loqui: Deus visitauit plebem suam; Huic mare & venti obediunt; hic peccata Magdalenæ & paralytico dimittit; Peccatores recipit ad misericordiam; sicco vestigio super aquas graditur, Isti Dæmones confitentur, Iesu Fili Dei viui, cur venisti ante tempus torquere nos. Ipse Dæmones ob obsessis eijcit; furorem eorum comprimit; iste quatriduanos etiam mortuos ad vitam reuocat: cæcis natis visum restituit, *Quæcunque Pater facit, ea similiter & Filius facit. Sicut Pater suscitat mortuos, ita & Filius quos vult viuificat*. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Ioan. 10.
Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, Vt cognoscatis & credatis, quia ego in Patre, & Pater in me est.

Christū adorarū t vniuersa. Prædicebat ipse. *Mibi curuabitur omne genu*; Cui vero dedit nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, *Cœlestium, terrestrium, & infernorum*? Quem vero Angeli, homines, Dæmonia ipsa adorarunt, præter Christum? Angelis præcipiebat Dauid. *Adorate Deum omnes Angeli eius*. Hoc autem præceptum in quo alio impletum est, nisi in Christo? *quem cum iterum Deus primogenitum introduceret in Orbem terræ dixit. Et adorent eum omnes Angeli eius*. Prophetabat Isaias de Christi conuersatione. *Erit vobis Dominus in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & in petram scandali, in lapidem & offensionem*. Quis vero est iste lapis offensionis, nisi Christus? Ipse, vt Simeon dixit, *positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*. Quomodo in ruinam multorum in Israel, declarat Paulus. *Israel*, inquit, *sectando iustitiam in legem iustitię non peruenit*. Quare? *Quia non ex fide. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est*. (nimirum Isai. 8.) *Ecce pono in Syon lapidem offensionis, & petram scandali*. In cōuersatione sua cum hominibus, Deus missurus erat, ante faciē suam Angelum quendam, vt apud Malachiam habemus. *Ecce ego mittam Angelum meum, ante faciem meam*. Quem autem Angelum misit Deus Israel, ante faciem suam? *Ioannem*

Phil. 2. Psal. 96. Hebr. 1. Isai. 8. Luc. 2. Rom. 9. Malach. 3.

Math. 11. nem Baptistam, vt Christus ipse est interpraetatus, *Hic est*, ait, *de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam*
Conuersationem suam Deus, non alibi praeter in cruce finitu-
Zach. 12. tus erat. *Effundam*, inquit, *super domum Dauid & super habitantes Ierusalem, spiritum gratiae & praecum, & aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti*. Quem autem in Cruce clauis & lancea confixerunt? an
Ioan 19. non Filium Dei? Facta sunt, ait Ioan, haec vt scriptura im-
Apoc. 1. pleretur, *Os non comminuentis ex eo*. Et iterum alia scriptura dicit. *Videbunt in quem transfixerunt*. Idem quoque Ioannes, vidit in Apocalipsi, venientem cum nubibus Dei Filium, & ait, quod *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se, super eum omnes tribus terrae*. Deus Saluator postquam subtrahere se volebat, a conspectibus mortalium
Psal. 67. non solus sed multis comitatus caterui, ascensurus erat in Coelum vt Psaltes praedixit. *Deus cum egrederceris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, Ascendisti in Altum, caepi*
Ephes. 4. *sti captiuitatem, accepisti dona in hominibus* De quo vero Paulus dicit? *Ascendens in Altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus?* An ista Christo repugnant? Ipse vt Marcus describit, eleuatis manibus ferebatur in Coelum, &
Ioel. 2. nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Quod ascendit*, subiunxit Paulus, *Quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terrae?* Verus Deus ille Saluator Israelis pollicebatur.
Act. 2. *Ego Dominus Deus vester, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & Prophetabunt filij vestri & filiae vestrae*. Hoc vero Christum fecisse, an non manifestum habemus a Petro? *Dextera, inquit, Dei exaltatus & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc Spiritum Sanctum, quem nos videtis & auditis*, Hoc enim est dictum per Ioelem Prophetam. *Et erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem*. Filium igitur Dei creaturam esse adhuc comminiscemini? Filio Dei Deitatem violenter abripietis? *Deus ipse verus, absque quo non est Deus, & extra quem non est Deus, venit & saluauit nos?* hunc vos non Deum, sed creaturam; non
Ioan 20. Deum verum sed adoptiuum esse dicetis? *Palpate* adminus *manibus uestris* vt Thomas, *exquiratis Deum in nocte ignorantia*,

tiæ, manibus contra Deum vt Thomas; *non decipiemini credite* mihi. Ipse enim est verus Deus, vt Ioannes reliquit, Dicite, postquam tot argumentorum manibus quasi palpastis. *Dominus meus & Deus meus, Dominus meus & Deus meus*. Quod si ista vincula, non captiuant intellectum vestrum, fide hic opus est. Non decipiat vos Blandrata, quasi nullibi scriptura credere in Christum iubeat, Iubet ipse Christus, in se credere. *Creditis in Deum, & in me credite*. Et non tantum credite sed & sperate in eo. Radix enim Iesse & qui exurget regere gentes, *est ille in quem gentes sperabunt*. Non tantum sperate sed & amate. *Qui enim amat Patrem & Matrem plusquam me & animam suam plusquam me, non est me dignus*. Ego enim & Pater vnum sumus in Deitate.

Ioan. 14. Isai. 11. Luc. 4. Ioan. 5.

Christi Diuina opera.

Sumus etiam vnum in operatione. Quæcunque enim Pater facit, ea similiter & Filius facit. Creat Pater Cœlum & terram. Creat & Filius. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Mundus per ipsum factus est, non solum nouus, ille de quo dicebat. Ecce ego creo Cœlos nouos, & terram nouam, qui eum recepit; sed etiam ille, qui eum non cognouit. Conseruat omnia Pater; huius enim beneficio, in ipso mouemur & sumus, Filius etiam [a] *portat omnia verbo virtutis suæ*, [b] *Omnia in filio constant*. Deus ipse [c] scrutatur corda & renes. Christus etiam [d] *Sciebat quid esset in homine, Ipse vidit cogitationes scordis eorum*. Deus sanctificat, vt ipse [e] fatetur. Ego sum Sanctus Dominus qui Sanctifico vos, [f] Christus vero, *dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt eam Sanctificaret, & exhiberet gloriosam, non habentem rugam aut maculam*. Pater in æterna sua [g] voluntate eligit prædestinatos, ad vitam æternam. Eligit & Christus; *ego* inquit *scio quos elegerim*. Pater remittit peccata, & ex impijs iustos facit, [i] Ego sum, ait, qui deleo iniquitates tuas. Dimittit & Christus [k] *Vt sciatis quia Filius hominis, habet potestatem remittendi peccata*. Pater gloriam æternam, & gratiam vltimam confert electis, Confert & Christus. [l] *Vitam*, inquit, *æternam do eis*. Paulus vero [m] *reposita* est, inquit, *mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius*. Attrahit & vocat Pater

a Heb. 1. b Col. 1. c Hier. 7. d Ioan. 2. e Leuit. 21. f Ephes. 5. g Ephes. 1. h Ioan. 15 i Isai. 43. k Luc. 5. l Ioan. 10 m 1. Timot. 4. n Ioan. 6. o Ioan. 10.

ad

ad Ecclesiàm per interiorem gratiam. *n* Nemo siquidem potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, vocat & Christus *Alias oues habeo quæ non sunt ex ouili, & illas oportet me adducere*, Dies me deficeret si vellem recensere opera illa, quæ Christus simul cum Patre, potentia sua efficit. *Quæcunque enim Pater facit, ea similiter & Filius facit* Ego & Pater vnum sumus in operatione. Et adhuc vos non esse æqualem Patri Filium prædicabitis? Eousque Filium vnum esse Non in æternitate sed in voluntate, nõ in essentia sed concordia, nõ in operatione sed consensu voluntario cõtendetis? Equidé, aiunt isti, Eodé.n. modo sunt vnũ. quo nos sumus unũ; vt ipse precatur. Eodé modo quo nos vnũ sumus. Preclaros Theologos, An vero ignoratis moré sacræ scripturæ, (ita respondet Athanas.) vt & res naturales & Diuinas in exemplũ proponat. Non quod tales simus, sed vt ad imitationem eorum mores nostros, vel efformemus vel non deturpemus? Dicebat scriptura, *Ne simus sicut equus & mulus*, deinde simus *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colũbæ*; Non vt naturaliter, nos etiam serpentes atq. columbe fieremus, sed vt iumentorũ motus atq. impetus irrationales effugeremus; serpentisque prudentiã, & ex columba mansuetudinem mutuaremur. Deinde dicit. *Sitis misericordes, ut Pater uester misericors est. Perfecti estote, ut Pater uester Cælestis perfectus est. Non* vt aliquid tale essemus quale Pater est; quod fieri nequit, cum creaturæ simus, Sic igitur. Non vt nos essemus qualis est ipse, dictum est a Christo. *Vt sint unum, quemadmodum & nos sumus*; sed pro nostra natura, & quatenus fieri potest, vt inde formulam similitudinemque mutuemur. Ille quidem natura, & ex vero vnum est cum suo Patre: Nos autem inter nos vnum affectu & animo efficimur, habentes pro archetypo exemplari, naturalem vnitatem Filij cum Patre.

ser. 4. cõt. Arrian.

Similia ad quid inducuntur.

Vnum, inquiunt isti, sumus voluntate At D. Cyrillus reputat hoc a veritate alienum esse, quod s. nos non possimus esse vnum cum Deo, nisi voluntatis concordia. Nam supra illam, inquit, est vnitas cum Deo, per quandam Deitatis conformitatem & Deiformitatem; qua participatione Diuinitatis nobis communicata in Deum, vt ita dixerim transimus, atque trã-

Hominũ vnitas sũma cum Deo.

sferrimur seruata suę naturæ veritate. Perinde atq; ferrum igni tum & candens, per ignis communionem fit igniforme, videturque sublata ferri substantia, omnino esse ignis. Et huiusmodi vnionem quæ longe superior est, & sublimior, quam vnio per amorem & concordiam voluntatum, petit Dominus noster, discipulos esse vnum in Deo; vt scilicet ei inserantur, & intime coniungantur per Deitatis in se susceptionem, atque participationem. Hæc insuper vnio, proxime accedit ad summam illam atque ineffabilem vnitatem, qua Pater & Filius se inuicē immeantes, ac sibi intimè immanentes, Vnum sunt vnitate naturæ, quæ quidem suprema est & omnium verissima; cuius similitudinem propinquam, discipulis dari per insitionem cum Deo, Christus hic petit. Quid amplius desideratis? Vnum in voluntate, non in essentia Filium & Patrem asseretis? Appræhendite quandoque disciplinam, Amplectimini & osculamini (vt alius quidam vertit) Filium, Post tot oracula, post tam euidentia testimonia, amplectimini tandem Filium. Homines illum Deum esse Verum agnoscunt, Prophetæ Deum illum esse præsignarunt, Angeli eum vt Deum adorarunt, Deus ipse Deum illum esse testatus est. Ipse se ęqualem Patri denunciabat, quod & Iudæi agnouerunt, Non inquit de bono opere te lapidamus, sed tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Dæmones ipsi vel inuiti, Deum illum esse proclamāt, Cur vos miseri homunciones, Cur o cęci tenebriones, contra Prophetarum, Apostolorum, Angelorum, Dæmonum ipsorum testimonia, vnitatem Deitatis diuiditis? contra Dei ipsius qui mentiri & fallere nescit, contra Christi qui fuit veritas, in cuius ore nunquam inuentus est dolus oracula, Deum Deitate spoliare contenditis? Vniuersus mundus genua flectit; Cœlestia Terrestria & Inferiora illi curuant genua, cur vos bellum infandum & scelestum ei infertis? cur illum Trono de quo Paulus. Thronus tuus Deus, Deus in sæculum sæculi, e solio æquali Diuinitatis exturbare vultis? Palpate tandem rationibus si vultis, inuenietis Filium esse æqualem Patri: Paulus aiebat, *Omnem Paternitatem in Cælo & in terra, ex Deo Patre nominari, & tanquam ex fonte ad inferiora deriuari*. Si igitur in terra Paternitas

inuenitur

inuenitur inter homines, quia eiusdem sunt naturæ, gignens & quod gignitur ex alterius substantia; eadem & in Deo Patre erit primitus. Alioquin non ex Deo, ad creaturas emanaret Paternitatis nominatio, sed potius ex creaturis ad Deum transferretur, perfectiorque & verior esset in creaturis, quam in Deo Paternitas; Quod, an vos admittatis ignoro. Palpantes igitur cum Thoma exclamate. Dominus meus & Deus meus es tu. *Ego enim & Pater vnum sumus*. Vnum in Aeternitate, Vum in Diuinitate, Vnum in operatione, non tantum vnum in voluntate. Cuius vnitatis, (vnum enim nobis est necessarium esse, & inter se, & in te Deus noster) nos participes, & imitatores efficias Christe Deus, qui es vnum cum Patre & Spiritu Sancto in sæcula Amen.

BENEDICTVM

Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex milibus. Cant. 5.

CONCIO TRIGESIMASECVNDA.

In qua Saluatoris nostri Humanitatis qualitas delineatur.

Incarnationis opus & misericordiã & iustitiã continet.

INCARNATIONIS Filij Dei super admirandum mysterium, qui interna mentis attentione diligentius reuoluet, in illo & misericordiam & iustitiam coiuisse, atque connexa esse, facillimo negotio iudicabit. Misericordiam; quia non despexit proprij plasmatis infirmitatem, & non ex operibus aut meritis aliquib. humanis, saluauit nos, sed secundum suam immẽsam misericordiã, fecit. Iuxta quod ipse Deus apud Isaiam testabatur. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel, non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me; non te seruire feci in oblatione, nec laborem præbui tibi in thure. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum, non inebriasti me. Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Iustitiam quoque in hoc Diuino opere reperiet; quoniam Deus, homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, & homine perdito, non alio quam homine inuenit hominem. Vidit ista duo Propheta, in suis Psalmis inquiens. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. *Veritas atque misericordia* (scilicet in hoc salutari,

Isai. 43.

Psal. 84.

& in hac gloria inhabitante in terra) *obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt, veritas de terra orta est, & iustitia de Cælo prospexit*. Quasi dixisset. Illa duo quę perenne dissidium, atque bellum quoddam intestinum, inter se fouebant; dum misericordia homini fragili, & caduco parcēdum iubebat; iustitia vero reluctans, hominem superbum, inobedientem & arrogantem, damnandum iudicabat; in hoc salutari, quod erat prope timentes Deum, & in illa gloria, siue in illo quem Ioannes, in terra, vidit plenum gloriæ & veritatis, veritas & misericordia obiauerunt sibi, *Iustitia & pax osculatæ sunt*, Vt neque iustitiæ prȩiudicet misericordia, nec misericordiam deprimat iustitia; sed vtraque parem gradum habeat, utraq; æquali splendore refulgeat. Ac vt de opere iustitiæ videamus. Iustitię lex exigit, vt in pace atq; concordia inter duos stabilienda, illius qui lesus & offensus est, offensæ & læsioni, aliquid par recompensetur & ei cui ablatum est quicquam, æquale refundatur. Summo creatori Deo, homo per peccatum enorme, abstulerat hominem, & illum quidem purum innocentem, incontaminatum, plenum gratia, perfectum scientia, iustitiæ culturē, Paradysi incolam, omni virtutum & donorum fulgore splendentem. Per Incarnationem Filij Dei, Pax inter Deum & hominem renouata, & perpetuo firmata erat. In natiuitatis enim fælicissima nocte, Angeli dulce & optatum illud canticum personabant. Gloria in excelsi Deo, & in terra pax hominib. Per Christū placuit Deo reconciliari in ipso, & pacificare per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cœlis sunt. In Christo Iesu, vt Paulus ait, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope. Ipse.n. est pax nostra, qui fecit vtraq; unū. Ipse ueniens euangelizauit pacem, uobis qui longe fuistis, & pacem ijs qui prope; quoniam per ipsum, accessum habemus ambo, in uno spiritu ad Patrem. Hominem igitur purum, nulla sorde uitiorum commaculatum, plenum gratia, scientia perfectum, omni donorum fulgore splendentem, omnibus uirtutib. excultum, & Cęlorum incolam, iustitia pręcipiente, Deo in cuius pacem & amicitiam redibat, restituere & reddere tenebatur. Quis uero iste est homo, innocens manib. & mundo corde, qui nunquam accepit in uano animam suam, & in cuius ore non est inuentum mendacium, quem natura humana Deo reddi-

Iustitia in opere incarnationis quomodo inuecta.

Ephes. 2

Christus homo innocēs, impollutus

reddidit? Non alius præter Saluatorem nostrum, verum filium Dei. Filius Dei verus Deus, & verus homo, est ille homo quem humanum genus, per manus Sanctissimæ virginis, Deo in templo obtulit. Ipse est benedictus, qui nulli maledicto peccati obnoxius fuit. Ipse est Agnus ille sine macula, qui tollit peccata mundi, quem mediatrix nostra sanctissima virgo, Deo Patri, in Hierosolymitanum templum portauit. Ipse est qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in labijs eius. Ipsum nemo potest arguere de peccato, vt Iudæis insinuabat. Ipse secundum iudicium sponsæ, *est candidus & rubicundus*, *Candidus* in intellectu, *Rubicundus in* Anima & voluntate. *Candidus in intellectu* propter plenitudinem veritatis. *Rubicundus in Anima*, & voluntate propter exuberantem plenitudinem gratiæ. vidimus enim eum plenum gratię & veritatis. *Candidus in intellectu* ex splendescente lumine Diuinitatis in intellectu; *Rubicundus ex fulgore* flammantis Deitatis in affectu. Candidus & rubicundus, electus ex millibus. Præmiserat olim homo tot munera, tot scilicet homines ad placandum Deum; & non secus quam Patriarcha Iacob, qui ad mitigandum furorem fratris, miserat munera fratri, capras, hircos, oues, arietes, camelos fœtas cum pullis suis, uaccas & tauros, asinas & pullos earum, & misit per manus seruorum suorum, singulos seorsum greges; Diuisit deinde filios Liæ & Rachael, ambarumq; famularum; & posuit vtramq; ancillam, & liberos earum in principio; Liam vero & filios eius in secundo loco: Rachel autē & Ioseph nouissimos. Sic & homo tot sacrificia & oblationes, tot holocausta & victimas mittebat Deo. Deus tamen illis placari non poterat, Per boues.n.& oues & alia eius generis sacrificia, Diuinę iustitię satis non fiebat. Non accipiam, ait, de domo tua vitulos, neq; de gregib. tuis hyrcos, Quoniam meę sunt omnes ferę syluarum, iumenta in montib. & boues; debes autem mihi reddere, quod tuum est; ex tuo non ex meo satisfacere debes. Rursus. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Si esuriero; non dicā tibi, meus est.n. orbis terrę, & plenitudo eius. Per ista igitur munera Deo reconciliari non poterat homo, Quousque *veniret venustissima Rachel* Sanctissima Deipara, & *gestaret nouum illum Ioseph Saluatorem* non

Allegoria Iacobi.

Gen. 32. & 33.

Maria instar Rachelis.

Aegy-

Aegypti sed totius mundi, *speciosum forma præ filijs hominum*; tunc Pacem Deus reddidit; tunc hominis misertus hominem in amicitiam recepit, & perpetuam pacem fœdere inuiolabili confirmauit, Dum *Beata virgo inter iumenta illa irrationalia, nouissimo loco deputata*; in nouissimo.n.loco stabuli, filium enixa est: nouissimo tempore, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hęredem uniuersorum, per quem fecit & sęcula. Propter húc Iosephum, pulchrú facie & decorum aspectu candidum & rubicundum, compræssit furorem suú Dominus. Ipse.n.est pax nostra, qui fecit vtraq; vnú. Dilectus meus cádidus & rubicúd⁹, electus, & rubicúdus. Quęsierat olim Deus hominé qualé qualé, qui se opponeret murú, ad Dominú pro domo Israel; sed in millib. inuenire nequibat talé. oés fugerát; omnia.n. concluserat Deus sub peccato, q̃a vniuersa caro corruperat viá suá. Oés peccauerunt, & egebát gratia Dei; nullus poterat gloriari mundú se cor habere. Quid.n.est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter Sanctos nemo immutabilis, & Cęli nó sunt múdi in cóspectu eius; quátomagis abominabilis, & inutilis homo, q bibit quasi aquá iniquitaté? Solus Filius Dei, quia nó erat natus de muliere, sed de virgine; q̃a nó opera viri, sed virtute Spiritus Sácti cóceptus poterat gloriari. *Quis ex uobis, arguet me de peccato?* Solus ille exclusus erat a peccato; Qđ.n.in ea natú est, de Spiritu Sácto est; Quod ex te nascet Sanctú, vocabitur filius Dei. Solus ille, quia est electus vnus ex millib. qui de virgine intacta nasceretur; candidus & rubicúdus, electus ex millibus inuétus est. Inuétus est; q se opponeret murú pro homine, mediú parieté maceriæ solués, inimicitias in carne sua, legé mandatorú decretis euacuans, vt duos condat in semetipso; ipse nouus Ioseph qui saluum fecit populum suum a peccatis eorum, & semetipsum posuit pro homine. Saluator in ea murus, dixit Isaias, & antemurale. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Candidus, & rubicundus* (dicebat ille, in quem Bernardi spiritus transierat,) quia in eo generatio *Diuina candet, & rubet humana*. Ipse est enim candor lucis æternæ: Ipse & si non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: de sanguinib. tamé matris natus est: Et nihil in eo ruboris illius, de quo Isaias ait. Si fuerint peccata vestra vt coccinum,

Gen. 38.

Christus sine peccato.

Gilleberť in cant. ser. 48.

cinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Non sibi conueniunt, non se patiuntur, lanæ albedo, & rubor vermiculi. Dilectus meus candidus, & rubicundus. At libeat mihi tecum o dulcis sponsa agere. dicito mihi, Legistine vnquã Diuini Prophetæ, de Christo tuo sponso vaticinium? Gloriaris tu quidem se habere dilectum candidum; Quid vero Isaias? Et ascendet, ait, sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, non est ei species neque decor. Voluit dicere. Quod è terra virginea, instar virgulti cuiusdam teneri erumpens, se depræssit tuus sponsus, & quasi radix in arida terra, vim suam cohibuit; ita vt neque trunci proceritate, aut frondium amænitate, ad se mortales alliceret; nec fibras ita late diffunderet; vt virens inde sylua pullularet. Sic eximium illud decus, quod in Cœlis vim summi atq; sempiterni amoris incedit; illud summum pulchritudinis & honestatis exemplũ, cuius aspectu Celestes animi, satiari nõ possunt, ita est in terris, ornamentis omnibus nudatũ, & a contumelia deformatũ, vt nullum in eius corpore decus emineat, quod oculos oblectet; Nullius elegantię cultus, qui eum sui studio vehementer incenderet; immò fieret cõtẽptus & abiectus, vt sit omniũ mortalium despicatissimus. Quo modo igitur candidus & rubicundus? Quod si candorẽ & decorem hunc in eo agnoscis, non ab extra sed ab intus, non deforis in corpore, sed intus in mente. Habes ecce duos, nominis Filij tui acerrimos hostes, Caluinum & Lutherum. Lutherus calumniatur illum non esse candidum in intellectu, (blatterat, de spõso tuo) quod habeat tenebras ignorantiæ in mente. Puer, inquit, crescebat sapientia. Non est inquit figmentum hoc, quod Lucas scribit, sed vt verba sonant ita quoque simplicissime res euenit, vt quantum accessit ætatis, tantum & magnitudinis, quantũ vero magnitudinis, tãtũ & rationis, vtq; ratione auctior, ita & spiritu euasit robustior, & sapiẽtia plenior corã Deo ĩ seipsò & corã hominib. Quomodo ergò cãdidus, si ignorãtiæ tenebris obscurũ habet intellectũ? Quę cõuẽtio lucis ad tenebras? Candidus & rubicundus? An non audis Caluinũ impiũ vociferare, quod Christus tuus dilectus, rubeus fuit illo rubore de quo Isaias; Si peccata vestra fuerint rubra vt vermiculus. Pro nobis.n. inquit eum, qui non nouit maledictum, fecit meledictum:

Isai. 43.

Lutheri & aliorũ hæret. de gratia Christi sẽtẽtia.

Caluini horrenda de Christo blasphemia.

eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatū. Pro nobis ille, omnes tentationes peccati pertulit, Imò plus; In agone suo (ait) desperauit, considerato horrore delictorum suorum (ò nefandā temeritatē) & rigore Diuinę iustitię, de misericordia diffidit. Quid. n. illa verba, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me, designāt, nisi affectū desperantis? Liceat mihi, te per iustitiæ tuæ Thronum firmissimū oro, te o Deus meus ex nomine spōsæ, alloqui. Quid est cur Dilectū tuum, cum quē in splēdoribus æternis, ex vtero tuo progenuisti speciosum; in cuius vultum Angeli et ipsi desiderant prospicere, nunc pateris ab istis tenebrionibus, maledictis obscurari? Cur permittis, illum cuius oculi sūt multolucidiores Sole, ab his cæcitate percussis talpis, ignorantiæ insimulari? Quamobrē ò Deus bone, illum de quo Angeli testantur. Quod ex te nascetur sanctum; peccatorū sordibus contaminari, linguis maledicis sustines? Dicebas. Gloriam meam alteri non dabo, & honorem meum alteri non dabo, Non habebit insontē Dominus, eum qui assumpserit nomē Domini Dei sui frustra. *Educ blasphemum extra castra, manus illum humanæ non tangant, lapidibus obruatur*. Ecce nunc amentes, publicani peccatores; gloriam tuam diripiunt ecce nomen tuum, non tantum frustra sed & blasphemantes vsurpant; ecce nūc, (ò effrenatā temeritatē, ò execrādas uoces) vocib. infandis nomē filij tui deturpāt & blasphemāt; cur sontes uiuere permittis? cur lapidea pluuia, uel illa sulphurea potius, sese de hostib. tuis nō uindicas? Dicebat quidā olim, ubi legē in adulteros seuere animaduertentem, silere aduertit, Lex Iulia dormis? Lex tua de puniendis blasphemis, nūc o Deus abolita est. *Lex Diuina dormis?* Sic, sic, apud nos infælices, qui cognitionis Diuinæ participes effecti sumus, licitū erit Arianis, Christo Dño uero Deo, Diuinitatis gloriā eripere? Sic apud nos impune licebit Lutheranis, Christū Dei sapientiā, ignorātię insimulare? Sic, sic, apud nos, (ò nos infælices) Christū, impunè licebit peccatorē proditūq; hoīnē prędicare? *Lex Diuina dormis?* Sic licebit nobis, cū hostib. Patris & spōsi, & Dei nostri, familiares habere sermones? cōuiuere illis affabiliter? illis applaudere? arridere? honores & bona illorū pmouere? illos nō abhorrere? illorū fortunis fauere? *Educ blasphemū extra castra*, extra cōsortiū depelle hūmanū; igne & aqua interdicito: in cōuictū nō animaliū, qa cognouit

Apostrophe ad Deum in cā Christi.

Lex Diuina dormit.

Cōuersatio execrāda cū hęreticis.

gnouit bos possessorē suū, & asinus præsepe Domini sui, isti autem, quia vel nolunt agnoscere, vel agnitum nolunt confiteri, non sunt digni commertio animalium; sed in conuictum Dæmonum blasphemos intrude, Flammis & ferro, vindica detur patā innocentiā & gloriam tuā. *Educ blasphemum extra castra.* Blasphemus est Lutherus, qui candorem Sapientiæ tuæ obscurat, qui luci mundi, tenebras ignorantiæ affingit. *Intelligite insipientes in populo.* (vos alloquor cū Psalte, o Lutherani,) *& stulti aliquando sapite.* Qui dicitis, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob, Intelligite nunc & sapite. *Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui docet hominem scientiam?* ipse ignorabit aliquid? Insipientes & stultos vos agnominaui. Insipiens enim est ille & stultus, qui *Theastem Deum omnia videntem*, nihil videre cōminiscitur; stultus est, ille q Deū cuius fundum abyssi, & hominū corda intuentes in absconditas partes, oculos noctuæ habere putat. Domino .n. Deo anteq̄ crearētur oīa sunt agnita, sic & post perfectū respicit omnia. Cęlū, & Cęli Cęlorū, abyssus & vniuersa terra, & quæ in eis sunt in conspectu illius commouebūtur. Ideo non dicas, A Deo abscōdar, & ex summo quis operis memorabit? in populo non agnoscar: quæ est .n. aīa mea, in tam immensa creatura? Ecce vniuersa in cōspectu Dei cōmouebūtur, mōtes simul & colles & fundamenta terræ: & dum conspexerit illa Deus, tremore cōcutientur. Et in omnibus his insensatū est cor, & omne cor intelligitur ab illo. Insipiens est ille, qui Deum facientem ex nihilo oīa, aliqua ignorare contendit, cum & capillos capitis nostri vt Saluator ait, optime numeratos norit. Quis vero ista omnia creauit? Quis Cęlū & terram, huius fęcunditatem & illius pulcherrimū ornatū produxit, nisi Filius Dei? Quis visibilia & inuisibia, maxima & minima effecit, nisi verbū Dei? Quis deinde iudicaturus ē viuos & mortuos, & sęculū p ignē, nisi Chrs Dei? Stultus igitur & insipiēs est ille, qui Verbo Dei, per q̄ facta sūt omnia, & in quo elucēt vt in exemplari suo, omnia; in quo sunt thesauri sapiētiæ, & scientię Dei absconditi, insipientiā & ignorantiā ascribit. Stultus est ille, qui verbū Dei, q aurē sonos percipientē, oculū colores videntē, cor & intellectum omnia scrutantē condidit & effinxit, qui scientiam omnibus indidit, qui docet homines scientiam, non audire aliqua, quædam non videre,

Ps. 93.

Scientia Dei qualis.

Eccl. 23 & 16.

Christus omnisciens.

alia non considerare denunciat. *Si enim meruerunt vocari Dij*, multa & omnia inferiora videntes, vt supremus Angelus, qui omnia inferiora contemplatur, *ad quos sermo Dei factus est*; qui participes facti sunt sermonis Dei; quos Verbum Dei Sapientes effecit & quibus Verbū Dei omnia videre concessit; *Ipse sermo Dei &*, ipsum verbum & sapientia Dei; vnde participant & illuminantur, cur nō sit Deus? Cur non erit omnia videns? Cur erit aliqua ignorans? Semper enim vnde aliquid participatur, magis & verius habet, id quod participatur, quam ipsa participantia. Vt Sol a quo lucis est participatio, in subiecto corpore magis lucidus est, quam aer & aqua lucem communicantia; & ignis a quo tanquam fonte quodam, calor in externa deriuatur corpora, verius & vehementius habet calorem, quam ea quæ ab illo participant calorem. Verbum igitur Dei cuius participio, alij denominationem Sapientiæ & Dei vidētis sortiūtur, verius & sublimius sapiēs, & Deus vidēs omnia, est quam homines aut Angeli. Isti enim gratię sola adoptione, & a sapientię Dei participatione, Dij & sapientes sunt atque dicuntur; ille vero, natura, origine & substantia Deus omnia contuens, sapientia cuncta disponens & gubernās, attingēs oīa à fine vsq. ad finē est. Intelligite igitur insipiētes & stulti: *Qui docet hominem scientiā*, ipse inscius erit? Qui infundit homini sapiētiā, insipiēs remanebit? Dn̄s scit cogitationes hominū, qm̄ vanę sunt, Ipse scrutatur renes & corda. Ipse vidit cogitationes discipulorū suorū, ipse sciebat q̄d esset in homine. Pater dilexit filiū, & omnia demōstrat ei quę facit. In ipso sunt omnes thesauri, sapientiæ & scientię vniuersi. *Sed proficiebat*, dicit Euangelista, *ætate & Sapientia?* Verum equidem est *quod proficiebat*; sed quō perficiebat, doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & sapientiæ (ait Ambrosius) non Diuinæ sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, vt secundum homines crederes dictū. Aetas enim non Diuinitatis, sed corporis est. Aetas (addidit Vigilius Martyr) non potest Deitatis eius naturæ congruere; Quia Deitas nec ætatis profectum accipit; nec aliquod sentit augmentum, nec curriculo subijcitur temporum; nec numero calculatur annorū. Ergo si non Deitatis sed *hominis proficiebat ætate, proficiebat Sapientia hominis, non Deitatis*. Si .n. Principatus, Dominationes (adiecit Cyrillus) Angeli, Archangeli

Ioan. 1. & 5.

Luc. 2.

li. de Dominic. Incarnat Sacrā. c. 7.

cont. Euticen. li. 2

Christus quō proficiebat sapientia.

suscipere cũ perfecta sit in seipsa; Nec sapientia impleri, cũ ipse impleat oĩa; nec cõfortari, cũ ipsa sit virtus: nec eius eligi, cũ ipsa magis eligat. Quod si & tu Luthere idipsum, in tuis verbis fateris, quod s. quantũ Christo accessit ætatis in corpore, tãtũ & magnitudinis in eodem corpore, & quãtum magnitudinis, tantum & scientiæ acquisitæ, non autem rationis, idipsum & nos tecum fatemur. Si vero illi tantum accessisse rationis, non scientiæ experimentalis, quantum magnitudinis, asseris, idipsum detestamur. Qui enim (vt à Damasceno didicimus,) proficere dicunt Christum sapientia & gratia, vt additamentum sensus, (declarabat S. Doctor, secundùm quamcumque eius scientiam & præcipue secundum infusam, quæ causatur in anima Christi, ex vnione ad verbum) suscipientem, non veneratur vnionem quæ est secundum hypostasim. Non venerantur, (addo ego) illum tanto Angelis omnia cognoscentibus, & in scientia nullos profectus, & processus habentibus meliorem effectum; quanto præ illis differentius nomen participauit. *Dilectus meus candidus, & rubicundus. Candidus* per splendorem scientiæ, *rubicundus* per puritatem & gratiæ fulgorem. Et vt Caluinum eodem iaculo, modo ex Paulo eiacto conficiamus: repetendum paulo latius illud existimaui. Apostolus Saluatoris nostri sublimitatem delineans, Angelis ipsum præferebat; quod siue secundum Diuinam, siue secundum assumptam humanam intelligas naturam, in controuersiam non vocamus. Tanto inquit, Filius Dei melior Angelis effectus est, quanto differentius præ illis nõmen hæreditauit. Quonam vero modo, Angelis melior sit effectus, statim declarat. Primo, quod Filius Dei naturalis sit secundum Diuinitatem, celsior vero Angelis etiam Filius, secundum humanitatem. Cui enim dixit aliquando Angelorum. Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum. Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium? Deinde, quod Filius Dei, secundum vnam substantiam est Deus, Angeli vero ministri; secundum alteram vero, plenitudinem gratiarum, maiorem quã Angeli, ex maiori & arctiori vinculo ad Deum recepit. Et ad Angelos, ait Paulus, quidẽ Deus dicit. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, Ad filium autem. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit

[Left margin: lib. 3. Orthodox. fid. c. 21. — Hebr. 1.]

[Right margin: Damasceni de profectu Christi sentẽtia. — Christus melior Angelis. — Christi gratię plenitudo sũma.]

dam, sanguinem scilicet purissimũ Beatæ Virginis, & scribet in hoc Verbo a me progenito, Stylo hominis; Illud Verbum conteger carne. Verbum caro factum est, Quid igitur tunc resultabit? Quale erit hoc verbum caro factum? *Erit* inquit *Speciosus forma præ filijs hominum*, tam secundum corpus quam maxime secundum animam; quia omni næuo peccati, a quo nemo alius immunis est carebit, omni virtutum genere, & gratia cum donis, mirifice supra omnes decoratus. Expræssius vero Ioannes, Dũ .n. dixit. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; quasi ex illa vnione admirabili verbi cum carne, communio omniũ bonorum subsecuta fuerit, subiecit, Et vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. Qualis autem illa plenitudo fuerit, testatus est, quod nõ talis qualis Mariæ vel Stephani, vel Baptistæ, aut Apostolorum, siue etiam Angelorum. quia nulla creatura gratiam diffundit. *De plenitudine autem eius nos omnes accepimus*. Non habet, ait Chrysost. donum participabile, sed ipse fons est & radix bonorum omnium ipse vita, ipse lux, ipse veritas, nõ in seipso tantũ, bonorũ diuitias cõtinens, sed in vniuersos diffundens; quib. diffusis plenus permanet; neq; aliorum satietate minuitur, sed diuitias suas semper elargitur vberius; cumq; omnes his bonis impartiat, in eadem permanet perfectione. Ego autem quod ab eo accepi, exigua pars totius est, & quasi gutta parua ad imensam abyssum, & infinitum pelagus comparata; imò neq; exemplum sufficiẽs est, ad quod volumus ostẽdendum. Nam si guttam è pelago acceperis, ea tamen pelagus, & si visu percipi nequeat, diminuitur; de illo autem fonte, hoc dici non potest; sed quantumcunq; quis hauriat, nihil deficit. Constituamus nobis igneum fontẽ, a quo innumeræ accendantur lucernæ, & totidem, & item totidem. Nonne huiusmodi fons, ita plenus est ignis, quemadmodum antequã ex eo quicquã sumeretur? sane perspicuũ est. Qđ si in corporib. quę in partib. diuidi possunt, & per ademptionẽ partiũ minora fiunt, aliquid huiusmodi inuenitur, vt post sui communicationẽ, nullã diminutionẽ accipiant; quanto magis in incorporea, & spirituali illa gratia hoc contigerit? Filius igitur Dei, Deus est; deinde melior Angelis effectus; demũ plenus gratia qua maior intelligi nequit, quę neq; decrescere, neq; augeri potest. Quod si scriptura dicat, *illum profecisse gratia coram*

Christi gratiæ plenitudo difformis a plenitudine sanctorũ.

hom. 13. sup. Ioan

hominibus hoc te non moueat, monet Bernardus. Nam quod de sapientia & gratia, hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est. Nō quia vnquam aliquid ei nouum accideret, quod ante non haberet sed quod accidere videretur, quando volebat ipse, vt videretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Iesus, qui disponit tuam, disponebat ipse & suam; & quando volebat, & quib. volebat sapiens apparebat. Quando & quibus volebat, sapientior, quando & quibus volebat sapientissimus, quando in se, nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cum semper, omni gratia plenus fuisset, siue quam apud Deū, siue quam apud homines haberet debere, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostendebat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Siue enim latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus, interrogans Doctores in templo, siue iam prouectę ętatis docens in populo; æque profecto fuit plenus spiritu sancto. Nec fuit hora, in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur; Sed a principio perfectus, a principio inquam plenus fuit, spiritu sapientiæ & intellectus; spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Constat ergo quia Dei Filius, Deus est, maior & melior Angelis secundum humanitatem effectus, plenus gratia, cui neque addi aliquid, nec detrahi quicquam ab ea potest. Nunc ad te mihi sermo est Caluine. Quid ergo filium Dei peccatorum numero, computabis? Deum, peccatorum luto & sordibus conspurcabis? O effrenatam, temeritatem, o detestabilem & execrandam audaciam, o diram conuitij indignissimi petulantiam. Homuncione illum naturæ conditorem, a quo conditus est, impudentissima oratione lacescet? Audebit ne vitium impingere, illi Cœlorum rectori, cuius ratione & æquitate, omnes naturæ partes sustinentur, & admirabili sapientiæ fultæ gubernantur? *Væ qui contradicit fictori suo, testa de samijs terræ*. Quid est homo, nisi cōflatile quoddam vas, fragile & caducum atque subito conterendum? Hoccine scelus aget homo, vt contradicat fictori suo?

Christus quo in gratia profeciebat.

hom. 2. sup missus est. Luc. 2.

Deus omnia potest pro libito suo operari.

Deus nō pōt peccare.

Isai. 45.

suo? *Nunquid dicet lutum, figulo suo? Quid facis?* Nunquid lutum, figuli artem vituperabit? Nunquid homo, Dei libere omnia pro voluntatis arbitrio operantis, illius in quem nullum deliquium accidere potest, qui est norma & regula suorum actuum, qui alijs limites operum ad suę rationis mensuram præfigit; qui ab honesto & recto, & a seipso summo bono deuiare non potest, huius inquam opera qui Sanctus est, & immaculatus, sine nęuo & sine defectu, peccati accusare potest? Christus est Deus; Peccatum est recessus a Deo. Quis adeo audax, arguet me de peccato? Christus est melior Angelis: Angeli Beati quanta puritate niteant, non est necesse modo dicere; solum illud dicam, quod in gratia creati, postquam ad illam ineffabilem patriam Cęlestem, ad videndam Diuinam faciem admissi sunt, intuitum mentis, alio diuertere nequeunt, sed semper videntes Deum collaudant, collaudantes amāt, amātes fruūtur, fruētes sine periculo amissionis possidēt. Ita desiderio summi boni incensi feruent, vt nulla aqua Stygia infernalis, flagrantem illum amorem extinguere valet; potius sustinerēt mille inferni ignibus deuorari, quam vel in momento oculi, aciem sui intellectus alio deflectere. Quid vero censendum est, de Saluatore nostro? Ille qui melior Angelis effectus est, qui ab initio conceptus sui, beata Visione Verbi fruebatur (Viator enim erat simul & comprehensor) peccatum aliquod committere potuit? Desperationis horrore, qui misericordiā Dei prædicabat, & videbat, & apportabat tabuit? Qui non in spe, sed in possessione pacis, & bonitatis Diuinæ erat, desperauit? Desperauit qui in cruce passione & morte sua, decretum peccati dissoluit? Ab immundo quid mundabitur? A peccatore quis saluabitur? Passione & morte filij Dei mundati sumus, Morte vnigeniti, a peccatis nostris saluati sumus; Filius Dei quomodo peccator? quomodo immūdus? Maxime tunc, dum in cruce, laborum & passionum dolorumque acerbissimorum, quos causa salutis nostræ, toto decursu vitæ pertulerat, coronidem imponebat? Talis decebat vt nobis esset Pontifex; Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior Cœlis factus; qui necessitatem non habet quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis offerre, deinde pro populi. At inquis? *Eum qui non nouit peccatum*,

Christus non potuit peccare.

Christus nō desperauit in cruce.

Hebr. 7.

cerdotes Sancti in eũ, non ipse suis manibus in se congessit. Manibus siquidem illius nunquam adhæsit macula; nõ ille plenas sanguinib. spurcissimis gestauit manus. Vestimentum Domini Iesu, (concludo cum Gilberto,) natura Virgineæ generationis, candens munditia & innocẽtia Sanctitatis, multo decẽtius colore passionis voluntariæ, in credentium rubet affectib. Qualis rubor, qui dealbandi nõ caret effectu? Lauerunt, inquit, stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni. *Rubor hic in Iesu meo? candorem inuenit non fecit, in nobis facit, non inuenit.*

Rubor hic cruentæ Natiuitatis, & propriæ iniquitatis super inductus colore, ruborem eius in candorem conuertit, fide corda mundans. Iustificati .n. sumus per fidem in sanguine Iesu. Bene tibi rubet pro te cruor effusus, si in animo tuo vicissitudinis accendit affectum. Bene tibi rubet, si tibi rutilat ineffuso sanguine pro te, nimia charitas Dei. Sic .n. dilexit sponsam suam Iesus, vt lauaret eam in sanguine suo. Flammea est charitas, hæc mihi Dominum Iesum rubicundum facit. In eo mihi *& veritas candet, & rubet charitas. Dilectus meus candidus & rubicundus.* Quidni candidus? Ipse lux est, & in eo tenebræ non sunt vllæ. Quidni rubicundus? Deus enim ignis est, & ipse ignem venit mittere in terram. Si sponsa es, æmulare mixturam gemini coloris huius, a sponso tuo; vt similiter candida sis & rubicunda, syncera & succensa. Nam ipse sicut seruandi; ita succendendi vim habet, in sęcula sęculorum Amen

(*)

FRVCTVM VENTRIS TVI, NOBIS OSTENDE.

Ex vtraque parte fluminis, Lignum vitę, afferens fructus &c. Apoc. 22. c.

CONCIO TRIGESIMA TERTIA

In qua Fructus nobis per B. Virginem allati recensentur.

DIVINI Platonis secretam Philosophiam, dum olim diligentius perlustrabam; admiratio & ea per maxima me cæpit, Quid est; quod omnia rationis participia, circuli instar perfecta esse asseruerit. Mysterium, & illud a cognitione communi reiectum, primo esse iudicaui, Quid.n. rõnis participia circuli instar? Homo cæteris animantibus ratione præstat; homo uero quid? An non proceræ, & illius erectæ non obtortæ, sed eleuatæ figuræ efformatus est? Supernæ illæ mentes, intellectu quæcunque creata præcellunt; supernæ illæ substantiæ, an non sicut a corporibus, sic a figuris corporum secretæ subsistunt? Pandere, vt auguror, voluit eam intellectualium naturam esse, vt rotæ volubilis instar, assidua mentis contemplatione, extra se suumque principium progrediantur, atque rapiantur; & tamdiu pernici cursu huc atque illuc voluantur, quousque ad suum axem seu Centrum, a quo ortus sui initia habuere, & vbi conditę fuere, reflexione quadam regrediãtur. Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec reuertamur ad te; ita Augustinus, ore totius naturæ intellectualis aiebat. Sic Raphael ille vnus ex septem assistentibus, vbi aliquantulum extra se, & locum in quo conditus fuerat, & quasi extra centrum suum processerat, & illud negocium, sibi a sapientissimo

Rationis participes creaturę circuli instar.

Intellectualium natura quietem habet in solo deo.

tissimo & supremo omnium Rectore impositum peregerat, rursus ad se & suum principium, & immortales illas Beatasq; sedes euolare contendit. Tempus est, inquit, vt reuertar ad eum qui me misit. Sic illi mirabiles Ezechielis circuli, cum animalibus quib. assistebant, ibant & eleuabantur; quousq; tandem redirent ad sui motus authorem. Nam cum fieret vox super firmamentum, (ait Propheta) quod erat super caput eorum; stabant. Quia super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis Saphyri, similitudo Throni, & super similitudinem throni, quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum, a lumbis eius & desuper, & a lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. Velut aspectum arcus, cum fuerit in die pluuiæ; hic erat aspectus splendoris per gyrum. Ista Diuina animalia cum suis rotis, scilicet cum affectibus, nullibi immota consistere, nullibi quietem reperire poterat, nisi dum ad se & sedem Dei, adq; ardentissimam illam margaritam essentiæ Diuinæ, & ad pretiosum illum primariū lapidem Firmamenti, firmissimi Cœlestis Regni Deum, redirent; nisi ad Filium Dei, qui habebat aspectum & speciem electri Diuinæ & humanæ naturæ fulgorem, venirent. In huius enim firmamenti sede Diuina, firmari volubiles cogitationes possunt. Homo uero breui viuens tempore, nunquam in eodem statu permanet. Dum peregrinatur a Domino, a multis quidem retardari, a nullo autem alio preter a Deo immotus detineri potest. Ipse est qui replet in bonis desiderium nostrum, quatenus velut plaustrum onustum immobiles persistamus. In ipso omnium instabiles motus conquiescunt; ab ipsius plenitudine omnes famelici satiari possunt. Ego, inquit, *ero illorum Deus & ipsi erunt mihi populus*. Quasi dicat, Ego ero vnde satientur; ego ero, quæcunq; ab illis honeste desiderantur; & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax & omnia bona: Ego ero Deus omnia in omnibus, finis desideriorum illorum, me sine fine videbunt, sine fastidio amabunt, laudabunt sine fatigatione: Ego illis ero verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, quia nullus ad me ambiet indignus, ad quem nullus permittetur adire nisi dignus: Ego ero illis vera pax, a quo nihil

Ezech. 1.

Deus omne bonū nostrum.

possitis, dulces arboris fructus. Si suaues arboris fructus?
Ioan. 4. At timeo ne satiati cibo, potum fastidiatis. Haeretis? quod fructus Arboris vitae, satiare, aquas vero fontis illius, inebriare, dixerim? Admiramini, qua poma & aquas, beatorū explere desideria pronūciarim? Stupetis, quia aīa ad craterā diuinę Sapiētię, Fōtis illius excelsi admissa, extra se vt ebria a vino rapiet? Sed nihil mirum. Aqua .n. illa, quia viua non mortua; splendida non turbida, suauiter influens in mentes videntium, suauiter illos ingurgitat & implet. Omnis qui bibit, ex aqua Aegypti turbida et mortua, sitiet iterum: Qui autem biberit, ex aqua q̄ ego dabo ei non sitiet in aeternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam ęternam. Vidisti, dic mihi oro, aliqué in hac vita misera beatum? Audistine aliquem, bibenté ex hac valle lachrymarū aquas turbidas Aegipti, bona. s. sęculi aucupantem, & illis sitim suā explere cupiēté, bonis huius sęculi repleri, & non sitire in aeternum? Nullū penitus: *Oculus non satiatur visu, nec auris auditu*. Concupiscētia oculorum, est adeo insatiabilis vt si habeas diuitias Craesi, vel Salomonis, vel etiam demus tibi totius mundi thesuros, inexplebilis est. Manducet aurum, vt Midas, satiari nequibit. Testis est hui⁹ Magnus ille Macedo, cui dum a quodam relatum esset, plures fuisse mundos; ille quamuis opulentissimus, fleuisse dicitur: O nos inquiens miseros, si nec vnū subiugare & possidere possumus. Aurum enim amplius cruciat, apud quem largius fuerit; aurum est materia laborū, periculum, possidentiū. Dicite vos ipsi. Qui magis cruciātur; pauperes an diuites? Quinā magis sūt inquieti, diuites an pauperes? Qui magis miseri, Reges an vero mēdici? Diuitię sūt spinarū instar, ex qua parte illas tetigeris, cruciant & cruentant. Tangas eas in aquirendo, cruentant manus. Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames? Quod si hāc violenta congregatione non eris vulneratus, quos labores? quas curas, angores, & miserias non sustinebis? Impiger mercator extremos currit ad Indos, per mare per terras &c. Tangas deinde illas in possidendo, concludas eas in horreis, in archis, infodias terrę, teneas etiam in manibus, cruentant manus. Auri custos, & seruator argenti, securitatem non habet, nescit quietem, semper enim veretur, & pauet, ne sibi e manibus eripiantur, ne fures effodiant, ne latrones praedentur, ne ignis flāmis absumat. Hinc familiae non

Aqua inebriās beatitudinis.

Beatitudo nō est

Nn 3 credit

Beatitudo nō est in carne. credit, vxorem & filiū suspectū habet, sibi ipsi demum diffidit, dū eas in archa ferrea, mille clauis obserata recōdit. Tangas eas in perdendo, cruentant manus. Summū.n.genus paupertatis & miseriæ est, fuisse quōdā diuitē fælicem. Quomodo igitur aquis diuitiarū, sitim tuam explebis? *Oculus auari non satiabitur, & qui* biberit ex hac aqua turbida, iterum sitiet. Concupiscentia forte carnis, explet sitim humanam? Sed illa cum sit ignis semper exe stuans, magis excitat quam explet. Vos, vos experiētia teste dicere potestis. Magis post quā ante congressum ardorib. carnis discruciari. Iā vero, & cōcedam? tibi delicias Sardanapali, vt & omnē flāmā extinguas. Quæ potest esse, in tanta turpitudine beatitudo? Quæ in tot malis annexis fælicitas? Beatitudine difformes sumus ab iumentis. Iumentorū ista sunt persequi carnē; mulus, & equus luxu diffluere, sibi vt propriū vendicāt. Quō Beatitudo iumētorū, erit beatitudo humana? Quæ beatitudo in tāta spurcitie & in tāto fœtore? Beatitudo est extra oē malū, oib. bonis, referta, omnē miseriā excludens. Quæ fœlicitas potest esse in tātis, q̄ luxus carnis adfert miserijs? Quæ miseriæ sint, norūt eo amore feruentes. *Oculus non satiatur uisu &c.* Qui biberit ex

Beatitudo nō cōsistit in honorib. & dignitatib. hac profunda fouea, (fouea n. profunda meretrix, vt ait sapiens) sitiet iterū. Superbia vitæ, *seu auris auditu non satiatur*. Ambitio n. ambientiū est crux, omnib. quidē placet sed oēs torquet, nihil amplius cruciat, nihil molestius inquietat. Inquietat in aucupādo honores et dignitates, et dominia. Ambitiosus.n.necesse est vt multis seruiat, aduletur multis, omnib. affabilitatem exhibeat, cunctos honoret, vniuersis inclinet, a quib. ista vana & futilia se obtinere sperat; Hinc semper est pauidus, semper attentus, ne dicat q̄ displiceat, humilitatem simulat, frequentat curias, visitat Principes, assurgit & amplexat. Ambitio ambientiū est crux. Habeas deinde Dominia, Principatus, Regna imò & Imperiū totius Orbis terrarū, verissimū est illud Gregorij, Omne

Allegoria Ramni. Coronæ regū spineæ. quod hic eminet, plus mæroribus afficitur, quam honorib. gaudet. Excelsas turres feriunt venti, excelsas mentes feriunt diuersæ tribulationes, angores & cruciatus. *Ramnum* .n. *spinosam* se discruciantem, seque diuersis curis pungentem, ligna *Libani elegerunt in Regem*. Emineas vt Nabuchodosor vel Alexander, Imperijs, in gloria præcedas Sedechiam; sis Salomon sapiens vel Mydas auarus; sis Sardanapalus, luxu bruta aīalia superās; Iud. 9.

Cresi

Cræsi margaritas, & aurũ & lapides prætiosos possideas, exerciti tui Xerxis præsideas; gratiam totius mundi habeas; pulchritudine Absalonem vel Helenam vincas; sis vt ille Amã gloriosus qui conuocauerat ad se amicos suos, & exposuerat illis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumque turbam; & quanta cum gloria super omnes Principes, & seruos suos Rex eleuasset & post hæc ait. Regina quoque Esther, nullum alium vocauit ad conuiuium, cũ Rege præter me, apud quam etiam cũ Rege cras pransurus sum. Omnia ista, tu quoque in maiori cõpia possideas, Nemo in hac vita, nemo ex his beatus. Beatitudo est status omnium bonorum, perpetuo consistens. Ista habent multa & innumera connexa mala. *Cum hæc omnia habeam*, aiebat superb. ille, *nihil me habere, puto, quamdiu video Mardochæum Iudæum sedentẽ, ante fores Regias.* Si oĩa ista tibi affluant, obueniat tibi saltẽ vnũ malũ, dices nihil me habere puto. Veniat tibi inmẽtẽ somniũ, vel metamorphosis in brutum vt Nabuchodonosori & si fueris eleuatus vt Deus quidam terreus, dices nihil me habere puto. Insidietur tibi aliquis alius, vt Macedoni, tibi exiliũ comminetur vt Sedechiæ; habeas licet Imperium Alexandri, & gloriam Sedechiæ: dices, nihil me habere puto. Illudant tibi fœminæ vel pueri vt Sardanapalo, te vt Salomonem perterrefaciat Propheta, Patris iram in se concites vt Absalon, satiari nõ possis vt Mydas; licet habeas horum omnium bona; licet totius mundi delitijs fruaris, dices, cum omnia habeam, nihil me habere puto. Homo enim natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, Nulla rosa sine spinis, ita nulla vitæ cõditio molestijs vaccat: Appetis nuptias? Sed nuptijs viduitas, insidiatur, quam alterum coniugum perpeti necesse est. Desideras filios? Sed quam multis sæpe doloribus, filij suos Parentes affecerint? Diuitem censemus beatum? Sed horum plurimi, pœna quã censu diuites sunt. Honores & dignitates ambis? Sed illa difficiles ac arduos tramites habent, confragosa via est in fastigium dignitatis, in fastigio autẽ dignitatis sũma miseria. Nõ vis denegare aliquid cordi tuo? vis oĩa desiderata oculis tuis concedere? In his omnibus vanitas & afflictio animi, & nihil permanet sub Sole. Beatitudo autem non est, de cuius æternitate dubitatur. Beatus, est, quasi bene habitus, dicebat Isidorus, scilicet ab habendo quod vellet, & nihil patiendo quod nollet

Hesther. 5.

Cruciatus Amani.

Bona mũdi malis permixta

Ille est verè beatus, qui habet omnia quæ vult, & nihil vult male. Memini me legisse in Psalmis, quorundam os locutum esse vanitatem *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt .f. Filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ cōpositę circūornatæ ut similitudo tẽpli, Prōptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Oues fœtosæ abundantes in egressib. suis, & boues crassæ.* Nō est illis ruina maceriæ, neque transitus; neque clamor in plateis eorum. Ps.143.
Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. At ego dico cum Dauide, miserum esse cui hæc sunt. Filij enim & filiæ in doloribus generantur, cum labore educantur; Quot mala parentibus afferant filij & filiæ, vos Patres & matres optime nostis. Quidam inobedientiæ crystas erigunt; alij iurgia concitant; alij pudorem prostituunt, alij pauperibus & senecta depressis parentibus succurrere nolunt. Quanti vero Absalones, nefariis manibus Progenitores, suos insequentes. Quanti Parentes suos per limina domorum, misere & turpiter eijcientes? Beatum ergo dicent populum, cui sunt filij & filiæ? *Promptuaria plena*; At nullus est in Orbe cui nihil deficiat, Nō datur adeo amplum promptuarium, vt omnium omnes thesauros & diuitias contineat, Cuique desit aliquid, imo plura desint necesse est, quam possidet. *Non est ruina maceriæ*, Quis vidit domum vel Vrbem perpetuo durantem? Quis non quocunque anno reficit ruinas? Quæ vel fumine, vel turbine deiectę fuerunt? Quantæ superbæ domus, Amplissimæ Ciuitatis, ignibus vastatæ sunt? Domus, quarum tecta ad Cœlos pertingebant, Ciuitates quarum mœnia inuisa erant, Turres Babelis quarum altitudo ad sydera eleuabatur, machinis bellicis exturbatæ non sunt? *Neque clamor*. Quis hominem qui ploratu suo in mundi limen ingressus, calamitatum suarum Propha est, sine dolore, labore, cura, angore, eiulatibus vixisse monstrabit? Nascatur vel in risum dissolutus vt Zoroastres, homo nascitur ad dolorem & ad laborem. In hac valle nihil vacuum clamore, Miserum populum cui hæc sunt, Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius, Miser populus qui bibit ex aqua turbida & mortua Aegypti. Qui.n. biberit ex hac aqua sitiet iterũ; rota volubilis desiderij & famis illius, nō in aqs istis persistet. Beatus populus, cuius est Dn̄s Deus eius. Ad imaginẽ quippe Dei, facta aïa rōnalis, dixit Bernardus, cæteris oīb. occu

pari

pari pôtest, repleri non potest. Capacem enim Dei quicquid Deo minus est, non implebit. Beati qui sunt vocati ad nuptias agni, edentes & bibentes, ait idem Bernardus, super mensam illius in regno suo, quando sibi exhibet gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi. Tunc prorsus inebriat charissimos suos, tunc torrente voluptatis suæ potat; quoniam quidem in complexu illo arctissimo & castissimo sponsi & sponsæ, fluminis impetus Ciuitatem Dei lętificat. Quod non aliud esse arbitror, quam Dei filium, qui transiens ministrat, quemadmodum ipse promisit, vt ex hoc iam iusti æpulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Ibi satietas, sine fastidio. Ibi insatiabilis illa, sine inquietudine curiositas. Ibi æternum illud atque inexplebile desiderium nesciens egestatem. Ibi sobria illa ebrietas, non mero ingurgitans, non madens vino, sed ardens Deo. Quid mirum iam, si inebriatur illic homo, ab vbertate domus Dei; cum nulla tunc mordente cura, de proprio securus bibit, purum & nouum illud, cum Christo in Regno Patris eius? Anxia sollicitudine, vos a me perquirere tacitos conspicio. Quæ est fælicitas, quæ deliciæ, ex illo flumine a sede Dei & Agni profluente potari? Quis unquam limpida aqua inebriatus est? vel quis vnquam Tantalus, in aquis immersus, ex aquis fælix euasit, & sitim omnem extinxit? Me miserum, quia sicut & Augustinus, nescio qualis sit illa fælicissima & suauissima aqua. Quid dicam nescio, Deus tamen habet quod exhibeat. Me miserum, quia nondum anima mea gustauit, quam suauis est Dominus. *Oculus meus non uidit*, vt Ioannes, fluuium illum largo amne promanantem, & in ora Beatorum influentem *Auris mea* deliciosissimum illud murmur aquarum decurrentium *non audiuit*, *In cor meum*, ne minima gutta, Diuini huius laticis instillauit. Petij quidem supplex, Patrem Abraamum *Mitte vnum ex astantibus tibi Angelis*, *qui intingat extremum saltem digitti in hoc fonte*, & linguam meam, aridam spiritu deuotionis irriget; quia in ista misera & tenebrosa lachrymarum valle; multis discrucior. Discruciat me concupiscentia oculorum, flamma peccatorum totam meam substantiam in cineres conuertit. At non eram eo tempore faustissimo; dormiebam proiectus in terram, dum magni

Tract. de diligen Deo.

Luc. 16.

Beatitudo mortalib. ineffabilis & iniuita.

Allegoria Abraã & diuitis

magni consilij Angelus; dum ille Alter Lazarus vulnerib. concisus, in monte Tabor, destillabat discipulis suis, aquas fontis vitæ. Nunc ergo, quid dicam nescio; quid sit illam aquam bibere ignoro. Petrum & Ioannem & Iacobum; qui gustarunt dulcedinem domus Dei, non licet mihi adire, & perquirere. Quid est illud proffluuium, propter quod clamasti Petre. Bonum est nos hic esse? Paulus etiam, qui ad tertium Cœlum elatus erat, ad videndum hoc solium archanum, supra omnes Cęlos eleuatus est. Quomodo autem, ego terreo corpore depręssus, Cœlum conscendam, & interrogabo? *Quæ sunt illa archana, quæ non licet homini loqui, sed gustare?* Moyses etiam qui viderat & prælibauerat ex hoc fonte, non comparet in terris, vt ab illo sciam. Quid est ille calix, quem tibi Petra, (Petra autem erat Christus) in deserta solitudine propinauit? Me infaustum! Quid dicam nescio: At mihi responsum est. Habes Moysis scripturas; habes Prophetarum doctrinas; illi aliquantulum delinearunt non expræsserunt, quid sit illa emanatio claritatis Omnipotentis Dei. Non tam igitur ex meo penu, sed ex Doctrina Sanctorum Patrum, & præsertim illius Moysis, Augustini, & Angelici Doctoris, quale bonum sit vltima fælicitas; quæ ebrietas ex hoc latice, quæ satietas ex hoc flumine, propalabo.

Manibus iam contrectastis miseram conditionem, illorum bonorum; quæ cæca vulgi voluntas, Beatitudinem judicabat & in quibus desideriorum suorum quietem, inuenire æstimabat. (Beatitudo quid.) Auditis, Beatitudinem in eo consistere; quod homo omne illud quod cuperet haberet; & nihil male cuperet; & in concupito atque possesso bono, omne bonum inueniret, Ita vt nihil desit illorũ, quæ oblectare valent; absit vero omne quod mærorem afferre potest, Beatitudinem esse hominis, longe diuersam a fælicitate brutorum nouistis. (Beatitudo nostra diuersa a brutorũ.) Vt enim homo iumentis præstat, sic & fælicitas humana, longe altior, melior, sublimior, scilicet secundum illam partem, qua ab animalibus cæteris differt, intellectum videlicet, consistit. Vnde Princeps Philosophorum aiebat, Ex eo, quod fęlicitas est propria naturæ intellectualis, sola enim fælicitatis, sicut & miseriæ capax est, Fęlicitas hominis, non est in illis quæ communia sunt nobis & Bestijs, sed est in suprema & nobilissima operatione, vi- (1. & 10. Ethic.) (Beatitudo in quo cõsistat.)

sione scilicet intellectuali. Beatus enim est ille, qui factus est contemplator Diuinorum entium, potissima contemplatione. Nec temere assertum est hoc a Philosopho. Beatitudo enim humana, cum non sit communis cum brutis, & neque in ijs sit, in quibus conuenimus cum brutis; consequens est, reperiri illam in contemplatione diuturna, & perpetua Altissimorum. Hac siquidem sola contemplatione, homo ab animalibus discretus est. Hinc apud omnes conuenit recte iudicantes, Beatitudinem repositam esse in consideratione, & opere intellectus, circa aliquod Ens nobilissimum, a quo bonorum omnium copia promanare possit. Quod vero nobilius, sublimus, & Diuinius ens præter Deum? Quod maius bonum videri potest, quam summum Bonum Deus? A cuius contemplatione, tanta dulcedo & suauitas affectuum resultare potest, præterquam ipsius summe suauissimi Dei? A quo maiora & ampliora dona prouenire possunt videnti, præterquam ab illo, qui est Bonorum largitor Deus? Beatum æstimamus illum, qui antea ruri natus, nihil nisi sordidos porcos contuens, in vili tuguriolo furfuraceo pane viuens; si admissus fuerit, in palatium Regis, aulæis exornatum, picturarum varietate fulgidum. Quod si illum sors extulerit, vt in cubiculum Regium, vbi nō aliud præter aureo, vel lapidum pretiosorum splendore cuncta coruscant; vbi Rex ipse vestibus candidis, & perlucentibus indutus, coronam ex Saphyro, vel Carbunculo, vel Adamante in capite gestans, in throno aureo, caterua seruorum, eodem amictu quo & Rex ipse vestitorum stipatus, resideat. Felicissimum tunc iudicamus illum subulcum, si ad contemplandam maiestatem huius Regis, a cubicularijs intromissus fuerit. Nec vana est opinio, cum & Sabeorum Regina, dum viderat sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesq; eorum; fælices iudicabat seruos illius, qui assidue astabant lateri eius. Beati, inquit, serui tui, & beati viri tui, hi qui stant coram te semp, & audiunt sapientiam tuam. Quid dicemus de contemplatione, summæ maiestatis Diuinæ? de visione illius Regis, qui non vestibus aureis, sed amictus est lumine sicut vestimento; nō in throno eburneo, lapidib. prætiosis distincto; sed super dorsum Thronorum intellectualium residet; Qui non in cubiculo au-

Beatitudo in visione Dei

Antithesis mēdici ad Regiū thalamum & hominis ad Celū admissi.

laeis

læis fericis adornato, fed in Celefti palatio ftellis lucidiffimis fulgente recubat; Non inter hominum mortalium, fed inter Angelorum mille millia, & decies centena millia, inter illos homines immortales, qui fulgent velut Sol, & ficut ftellæ in perpetuas æternitates moratur, Ante quem lucent feptem lampades qui funt feptem fpiritus Dei, In cuius circuitu fuper thronos vigintiquatuor feniores fedentes, circumamicti veftimentis albis, & in eorum capitibus coronæ aureæ. Ante quem aftant, quatuor illa mirāda animalia, plena oculis ante & retro; & nō folū ifta, fed & turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnib. gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ftantes ante thronum, amicti ftolis albis; & palmę in manibus eorum, clamantes voce magna. Salus Deo noftro, qui fedet fuper thronum & agno. Cuius veftigia fequuntur illa innumera millia, eorum qui non funt coinquinati cum mulieribus, cantantes canticum illud, quod nemo corruptus precinere poteft, cuius lateri affidet Regina virginum, in veftitu deaurato circumamicta varietate, immo circumamicta Sole, in cuius capite corona ftellarum duodecim, & luna fub pedibus eius. Quę delectatio? quæ fęlicitas illius, qui femel introductus & affociatus fuerit, ait Auguftinus, Angelorum & Archangelorum cætib. Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus & Poteftatibus, Cherubinis & ardentibus Seraphinis, omniumq; Celeftiū fupernarumq; virtutum contubernijs? Quod gaudium intueri agmina fanctorum, fplendidius fyderibus micantia? Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum fpe lætantia, Apoftolorum in duodecim tribubus Ifrael Orbem iudicantia, Martyrum purpureis coronis lucentia, Virginum quoq; choros, cantantia ferta geftantes infpicere? De Rege, effugit omnem fermonem, atq; omnem fenfum humanæ mentis excedit decus illud; illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa maieftas, vltra omnem fanctorum eft gloriam, ipfius ineftimabilem afpicere confpectum, & fplendore maieftatis eius irradiari. Ineffabile eft, videre lumen illud immenfum, lumen incorporeum, incorruptibile, incompræhenfibile, lumen indeficiens, lumen inextinguibile, inacceffum, lumen increatum, veridicū, lumen Diuinum quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat iuuentutem Sanctorum, quod eft lumen lumi-

Beatitudo eft admitti ad focietatē Ciuiū fuperiorū.

Deū videre ineffabilis dulcedo.

Dei proprietates & actus.

luminem & fons vitæ. Effugit omnem intellectum, intueri. Quomodo Deus est stabilis, & incompræhensibilis; inuisibilis omnia videns; immutabilis omnia mutans; inæstimabilis, inscrutabilis, immotus omnia mouens, inuestigabilis, indicibilis semper agens & semper quiescens; colligens & non egens; omnia portans sine onere; omnia implens sine inclusione; omnia creans, protegens, nutriens & perficiens, quærens cum nihil desit sibi, amans nec æstuans. Indicibile est conspicere Deum Quomodo solus viuificat omnia, qui creauit omnia; quomodo vbiq; est & vbiq; totus, quomodo omnia tangit, nec tamen omnia æqualiter tangit, Quomodo quædam tangit vt sint, nō tamen viuant, sentiant & discernant; quędam vt sint, & viuant, non tamen vt sentiant & discernant; quædam vero vt sint & viuant, non tamen vt discernant; quædā vt sint, viuant, & sentiant & discernant. Quomodo cum sibimetipsi non dissimilis sit, dissimiliter tamen agit dissimilia; Quomodo qui vbique semper est, & tamen vix inueniri potest, quem stantem sequimur, & appræhendere non valemus, Quomodo tenet omnia, implet omnia, circumplectitur, superexcedit, sustinet omnia, neq. ex alia parte sustinet atq; ex alia superatur, neq; ex alia implet & ex alia circumplectitur, sed circum plectendo implet, & implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit & superexcedendo sustinet: Quomodo tot piscium miriades, tantum animalium, & hominū numerum, mouet & pascit; Quomodo in visceribus terrę aurum, argentum, pretiosos lapides & alia secretissima naturæ generat? Quomodo Orbes immensos Cœlorum sine labore voluit, vniuersum orbem gubernat, Soli & Lunæ, & Syderibus cunctis lumen diffundit. Huius mysterij immensam profunditatem, mens humana concipere non potest; delicias ex hac visione promanantes, nulla lingua eloqui valet. Sapientia ipsa increata, dum admirandum hoc Opificiū Dei, *delectabar* inq̄t *per singulos dies, ludens & delicias omni tempore*. Quid censendum est, de mortali homine, qui neq; ea quæ in ipso sunt compræhendit; dum illud speculum clarissimum, lympidissimum fluuium Diuinæ essentiæ, omnia pręsentantis contuebitur? Qua lętitia non perfundetur? Quo gaudio extra se non efferretur? Quid vero, cognoscere illud immensum & profundissimum profluuium, Fontis sapientiæ verbi Diuini,

&

& illius fontis ardentis Spiritus sancti, promanantium impetu quodam naturę, *a Throno Dei & Agni*, ab essentia Paterna? Excedit profecto & infinitis numeris excedit, videre Patris potentiam, Filij sapientiam, Spiritus sancti clamētiam. Patris Generationem, Filij natiuitatem, Spiritus sancti emanationem. Videre faciem hanc lucidissimam Dei viui, hoc est summum bonum; hoc est gaudium Angelorum, atque omnium Sanctorum. Hoc præmium vitæ æternę, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, brauium, fælicitas, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum & externum gaudium. Hic est paradisus Dei, vita beata, pax Dei quæ omnem exsuperat sensum Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, ipse enim hęreditas populi sui, populi sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio fælicitatis eorum, ipse pręmium & merces expectationis, *Ero inquit merces tua magna nimis*. magnum enim magna decent. Vere Domine Deus meus magnus es tu nimis, super omnes Deos, & merces tua magna nimis, neq; enim magnus es tu, & parua merces tua, sed vt magnus es, ita magna merces tua. Quoniam nō aliud es tu, & aliud merces tua, sed tu ipse magnus nimis, tu ipse merces magna nimis. Tu coronator & corona, tu promissor & promissio, tu remunerator & munus, tu pręmiator & pręmium fęlicitatis ęternę. Tu Deus meus es, diadema spei meę, quę ornata est gloria, lumen lętificans, lux renouans, decor adornans, desideriū cordis Sanctorum & desideratus eorum. Hęc enim est vita ęterna, hęc inquam sapientia tua est vita ęterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hęc est promissa Patri Gentium merces. Ero merces tua magna nimis. Hanc præ alijs anxie pręcabatur Moyses, si inquit inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te & inueniam gratiam ante oculos tuos; Hanc vt vidit Iacob Patriarcha fatebatur, vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Hanc vt aspexerunt Apostoli, omnium terrenorum obliti, dicebant. Bonum est nos hic esse. Visio ait Augustinus est tota merces, & totum pręmium, & totum gaudium quod expectamus. Hoc est bibere calicem inebriantem, fluuium Ciuitatem Dei lętificantis. Vt enim aqua epota interius illabitur bibenti, sic & Dei essentia

Deus tota fęlicitas nostra.

tia quàm Sancti videbunt, intimè illabetur animabus eorum. Et non tantum videbunt Deum sed & fruentur, dulcissimis illis fructibus Diuinitatis. Si reperiretur alicuius fluminis aqua, in qua immersus homo deauraretur; quam gustans omne desiderium suum expleret, omne quod cuperet, & cibum, & vestes, & aurum, diuitias, & Regna & Imperia, & immortalitatem, & gloriam, & honores, & omne illud quod oculis videri, vel cogitatione concipi pōt, haberet, fælicē illū hominem iudicaretis, cui vel minima gutta huius aquæ, propinata fuisset? Maius est bibere ex illo flumine Diuinæ essentiæ. In illo enim immenso Oceano homines immersi, non deaurantur, sed Deificantur. Nondum apparuit modo quod erimus, sed *scimus cum apparuerit, similes ei erimus*, Deiformes efficiemur. Quare? quia similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Beatum æstimatis eum, qui ex stercore erectus in Regem commutatur; ecce homines de stercoribus mundi huius eleuati, & in flumine illo Cœlesti essentiæ Diuinæ immerguntur, & Diuinæ naturę consortes sunt. Quæ est ista fęlicitas? quod præmium, ex homine vili, in Deum transformari? Ex hac similitudine Deformi consequetur, ut nullum desiderium nostrum inane fiet, sed omne adimplebitur. Quicquid homo potest mente comprræhendere, ex visione illa ineffabili habebit. *Arbor siquidem vitæ, reddit duodecim fructus per singulos menses*, ex quorum vsu, omne quod desiderari potest obtinebit. Summū .n. bonum videre, summo bono frui, quid homini denegari potest? Præsentibus omnibus, nulla erit dilationis afflictio, quoniam beatifica Diuinæ maiestatis præsentia, omnibus erit omnia; omnium communis omnipotentia, sapientia, pax, iustitia & intelligentia, omnibus erit omne bonum. Desiderabit homo scientiam totius veritatis? Sed illius fructus manducatione, aperientur oculi, & sciemus omne bonum; & omne malum. In illa die dum ego ero eis in Deum, & ipsi mihi in populum, non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens. cognosce Dominum. Omnes enim me cognoscent a minimo eorum vsque ad maximum. Quid est vero quod nesciant, qui scientem omnia scient? Nihil penitus erit quod cognitionem Beatorum effugiat. Vitam Diuinæ conformem voluntati quis viuere cupit? Sed vbinam maior est

concor-

[Margin notes: Beatitudine Deificant homines. — 1. Ioan. 3 — Hiere. 31 — Beatitudo Cælestis omne bonū cōplectitur.]

concordia affectionum, nisi vbi nihil volet homo, nisi quod vult Deus? Præmium virtutis honorem, seu dignitatem quis optat? Ab eo gloria honore coronantur Sancti. Accipient regnum decoris, & diadema gloriæ de manu Domini.. vt confitentur quidam. Fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes, & regnabimus in perpetuum. Iucundam vitam quis viuere vult? Illic exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture eorum. Cantabant Sancti vt Ioan. audiuit, Canticum nouum, ante sedem Dei & agni. Diuitiarum quis desiderio tenetur? Gloria & diuitiæ in domo eius. Venerunt mihi ait Sapiens, omnia bona pariter cum Sapientia Diuina. Deliciarum cumulum quis exoptat? Illic torrente voluptatis potati inebriabuntur. Perpetuo his bonis frui aliquis desiderat? At fulgebunt iusti sicut Sol, & sicut sydera ad perpetuas æternitates. Alia bona quis habere cupit? At ibi omne bonum frui Deo, qui est summum bonum. Ibi non est paupertatis metus, non egritudinis imbecillitas, nemo lædit. irascitur nemo, nemo inuidet, Cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsatio, vel potestatis ambitio, nullus ibi Diaboli metus, insidiæ Dæmonis nullę, terror gehennæ procul, mors ibi neque corporis neque animæ erit, sed immortalitatis munere vita iucunda, Nulla erit tunc vnquam discordia, sed cuncta consona, cuncta conuenientia, quia omnium Sanctorum vna concordia; pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta. Iugis splendor non is qui nunc est, sed tanto clarior quanto fælicior, quia Ciuitas illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Vbi Sancti fulgebunt, vt stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui ad iustitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris asperitas, nec caloris ardor, sed talis quædam rerum temperies, qualem nullus mente comprehendere potest. Omnes illic antiquæ clades, & erumnę in obliuionem adducentur, & ab oculorum conspectu remouebuntur. Iam tum non audietur amplius, in illo cætu eiulatus, & lugubris aliqua lamentatio, quæ cladem aliquam significet. Nec enim euersas opes deplorare, nec amissam libertatem lugere, nec orbitatem lamentari

Bona quæ in beatitudine.

tari, nec mortis acerbitatem sentire poterunt ij; quorum nec opes imminui possunt, nec libertas attentari, neque patrimonium deseri, neque vita in discrimen incidere. Omnia siquidem illic bona, omnia sempiterna. Quia vbi est Summum bonum, ibi est summa fælicitas, summa iocunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas, ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo & omnis beatitudo. Erit ibi pax sine turbatione, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, honestas sine turpitudine, gloria sine vituperio, dulcedo sine amaritudine, requies sine defatigatione, diuitiæ sine paupertate, delitiæ sine mærore, omne bonum sine omni malo. Ibi iuuentus nunquam senescit, vita nescit terminum; ibi decor nunquam pallescit, nunquam tepescit amor; ibi sanitas nunquam marcessit, nunquam decrescit gaudium; ibi nunquam sentitur dolor, nunquam gemitus auditur; ibi nihil triste videtur, nullum timetur malum; ibi lętitia semper habetur, omne bonum possidetur. Fœlices vos certe, qui de naufraga vita præsenti, ad tanta gaudia iam peruenire meruistis. Infœlices heu nos & miseri, qui per huius maris magni fluctus, procellosasque voragines nauem trahimus; ignorantes an ad illos fontes dulcissimæ aquæ, peruenire valeamus. Infælices nos, qui miseras & fluxas atque amaras voluptates, ex hac cænosa Ægypti cysterna bibimus; & prægustare quam dulcis & suauis est Dominus recusamus. Illud mihi nunc exclamandum est. Obstupescite Cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Sed quamobrem? Quia duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquę viuæ, & foderunt sibi cysternas dissipatas, quæ non valent continere aquas. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ inebriantis, ex qua qui biberit non sitiet inæternum, quia omnem sitim extinguet, & omne desiderium explebit. Foderunt sibi cysternas, quæ non valent continere omnem fęlicitatem, sed sunt plenæ absinthij & fellis. Quæ vos ad tantam vesaniam deduxit, vt maiora minoribus postponatis bonis, dulciora amaris appositis gustare renuitis? caduca æternis præponatis? Gustate & videte quam præclarus est calix iste, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate*, vos omnes,

Hominũ stupor in refugienda beatitudine.

Isai.55.

quos infinitę cupiditatis sitis excruciat, quam nullis opibus extinguere & sedare potestis; ad aquas tandem dulces accedite & perennes; vt puras & liquidas voluptates hauriatis, & summis sempiternisque opibus affluatis, ita vt nihil praterea desideretis. Ad aquas illas Cęlestes accedite, quæ vos bonorum omniũ copia, & vbertate adimplebunt, ęternoq; gaudio cumulabũt. Cur non emitis omnes absque argento, aut pari aliqua pretij commutatione, aquam illam qua beatæ mentes exhilaratæ, ardore Diuino concalescunt, & gaudijs sempiternis exultant, illumque laticem dulcissimum & suauissimum, quo teneri animi nutriuntur, vobis inflammato animo nõ comparatis? Quid omne studium vestrum in vanitate consumitis? Quare appenditis argentum, non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Cur omnes industriæ neruos, sine vllo fructu, in Beata vita persequenda contenditis? Quæ tanta vos vexat amentia, vt summis laboribus frustra conflictemini? In eo enim laboratis vt animas vestras expleatis: & tamen fame indies grauiore contabescitis. Agite iam miseri, ludibria vitæ cõtemnite, studia immanitatis abijcite; consilia perdita detestamini; animosq; tandem vestros ad studia fęlicitatis reuocate. Ecce vobis mensa lautissima apposita est in Cęlis, Rex ipse Regũ vobis ministrabit, Regina Cœlorũ vos in vitat dicẽs. Comedite amici & inebriamini: Ecce vobis *ipsa porrigit fructum ventris sui Iesum*, beatitudinem nostram. Non quod imperet Christo, vt calumniantur Hæretici; quatenus se nobis ostendat. Non quod in gremio suo adhuc infantem circumgestet; & cuicũque pro libito suo eum demonstret, vt perperam intellexit Rodt. Non quod beatitudinem nobis ipsa conferat, vt conuitiatur Lutherus; sed quia inuitat per seruos suos Angelos, ad fęlicissimam vsuram fructus ventris sui Christi. *Fructum ventris sui nobis ostendit*, quia ex ipsa exertus est, & non ex alia fęmina; ex hac radice Iesse Deipara Maria, excreuit Lignum vitę Christus, fructus ille (vt recollegit Andreas Creten.) ex quo comedens Adam Prothoparens euomuit veterẽ illã deuorationẽ, quã deceptionis escam sumpserat. Fructus vnde ceu e fonte defluit amarulentæ gustationis ligni quædam condulcoratio, humanam purgans naturam. Qui fontes fluminum instar, erranti in deserto Israeli e petra elicuit, &

aquas

aquas amaras in Mara dulces reddidit; panem insuper pluit, nouum genus alimenti & inenarratum. Fructus ex quo scaturiuit fontes, aquæ in vitam salientis æternam. Fructus ex quo vitalis ille panis, corpus inquam Dominicũ producitur, & immortalitatis salutaris potio exhibetur. Fructus quem omnis lingua celebrat, Cælestium terrestrium & infernorum. Fructus cuius dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit, craticulam Laurentio dulcem fecit. Pro cuius dulcedine ibant Apostoli gaudentes a conspectu consilij. Ibat Andreas ad crucem, Paulus ad gladium; Petrus ad patibulum, Ioannes ad dolium. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, exclamabat Dauid, quam abscondisti timentibus te? Ex virga autem Iessea hic fructus processit; uirga Iessea hunc nobis fructum ostendit. *Fructus ventris sui nobis ostendit Maria*, orationum suarum efficatia. Si enim tantum concessum est mendicis, de mammona iniquo viuentibus, vt illos quorum stipendijs viuunt *recipiant ad æterna tabernacula*, illisq; beatitudinem ostendant; Quid censendum est de Beata Virgine, quæ omnem creaturam excedit in Fælicitate? An non & ipsa poterit vitam æternam impetrare? recipere ad æternas domos? fructum ventris sui ostendere? Ascendens in Altum virgo Beata, dicebat Bernardus, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina Cœlorum est, misericors est, denique mater est vnigeniti filij Dei. Quid dicebas o Adam? Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen sapientia vincit malitiam, cum occasionem veniæ, quam a te Deus interrogando dicere tentauit, sed non potuit; in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, *Quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni*. Muta ergo iniquæ excusationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic. Domine virgo quam dedisti mihi, *dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo*. Tu igitur Beatissima Mater & Regina Cœlorum

Maria ad Cœlum recipit.

Ser. 2. sup missus.

Ser. 1. de Assump.

lorum, fructum ventris tui cum omnibus ostendas, omnibusque propines nectar illud suauissimum Deorum, omnes inuitas: Comedite amici & inebriamini; Ecce nos famelici & sitibundi, ad te clamamus, *Ad te suspiramus exule filij*. Agaris; errantibus nobis in terra deserta inuia & inaquosa defecit panis & aqua. Tu ò benignissima, *illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*; Vt inebriati fontis illius aqua viua, satiati dulcissimo fructu beatissimę visionis filij tui; perpetuo fęlices esse mereamur in sæcula sæculorum. Amen.

(*)

VIRGO

Vas Admirabile opus Excelsi. Eccl. 43. cap.

CONCIO TRIGESIMAQVARTA.

In qua Beatam Deiparam, Virginem fuisse ex voto, demonstratur.

PHOTIONIS eloquentissimi Oratoris virtutes excelsas, & vitæ probitatem, dum quodam, Dij Athenienses oraculo præclaro & celeberrimo prędicassent, ferunt tale quiddam, de eo, ad populum festa celebrãtem, dixisse. O Atheniẽses, inter vos, vobis contrarium hominem habetis. Dum populus furore percitus, summa cum diligentia perquireret, ut morte plecteretur, ille qui Reipub. contrairet. Inuicti animi Photion processit, & in medio templi Deorum, voce altiori proclamans ait. Ego sum, quem inquiritis. Mihi Deorum oracula testimonium perhibent, Ego sum ille homo inter vos, vobis contrarius; mihi displicet, quod vos cupitis; ego reijcio, quę uos amplectimini; ego amplector, quę a uobis abhorrentur; ego uitam uirtutis insequor, quam uos incedere non vultis. Hac confessione tantam admirationem sui, in omnibus excitauit, vt ab omnibus admirandus, & suspiciendus veneraretur. Tale quiddam contingit Beatissimę Deiparę. Viderant terrestres Dij, Patres scilicet Sancti, illam alterum modum viuendi, diuersum a communi ratione omnium gentium, contrariumque toti generi humano delegisse. Nouerant Legem veterem hoc sibi proprium vendicare, ut fœminas in coniugio fœcundas

Photionis egregium dictum.

Virginitas exosa in Lege veteri.

cundas extolleret, ac singulari priuilegio decoraret, steriles vero ac cælibes auersaretur. Sciebant in populo Hebræo, nihil fuisse vel optabilius, vel fęlicius, præterq̃ liberos generare, pignorib. abundare, hęredes relinquere; nullam vero curam seruandi pudoris, sed procreandę tantum sobolis, studium maximum esse. Audierant illius nobilis, & in pugnando fælicis Iephte filiam, multis diebus (non quod insons & ætate florida occideretur sed quoniam absq. sobole moreretur innupta) lugentem. Filiorum.n. orbitatē, ipsa morte acerbiorem æstimabat. Hoc solú mihi pręsta inquit; dimitte me vt duob. mensib. circũeã mõtes, & deplorabo virginitatem meã, cũ sodalib. meis. Perceperant satis infestæ Rachelis querelas: quas infæcunda Iacobo ingeminabat. Da mihi, ait; liberos, alioquin moriar. Aspiciebant sterilis Annæ, continuos gemitus & amaritudinē, Porro illa flebat (ait scriptura) & non capiebat cibum. eo q̃ ancilla eius exprobraret illi, quod Dominus cõclusisset vuluam eius. Sic perpetua & decreta Virginitas Iudæis probro fuit, vt execrãdã & diris omnib. deuouendã esse iudicarent *Maledicta sterilis in Israel*, sæpius repetebant. Perpetuo in ore habebãt. *Non erit apud te sterilis, nec infæcunda in terra tua, vtriusque sexus tam in hominibus quam in iumentis tuis.* Ecce.n. sic benedicetur homo, qui timet Dominũ, Vxor tua erit sicut vitis abundans, in laterib. domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Sic benedicetur homo qui timet Dominũ. Viderant rursus e regione Deiparã Mariã, se super carnem & populũ carnalē eleuantem, ac in corpore terrestri, Angelicam vitam meditãtem. Contemplabãtur illam Euangelico spiritu repletã, ad eã corporis & animi puritatem, quam mundus videbat, non exigebat lex; vsus ignorabat, populus pro nihilo ducebat, & fragilis natura fæminarum, vix sustinere posse videbatur, se componentem. Conspiciebant Virginis plusquam virilem animum, vt non muliebri moueretur affectu; non mundi iudicium attenderet, non sexus imbecillitati cederet; non carnis illecebris & molli conditione seduceretur; non denique florida iuuenta detineretur, quo minus se, vitamque omnem Deo consecraret, corpore simul & spiritu Sancta perseueratura. Audierant illam a sententia, neque ad Euangelizantis Angeli pollicitationem futuram, de concipiendo non cuiusuis sed Dei Filio, minime adduci. Quomodo

Maria se super se & legem eleuat.

modo enim, dicebat, fiet istud, quoniã virum non cognoſco? Mirabantur Mariam præter modum viuendi communem, primam fuiſſe omnibus contrariam; primam votum Virginitatis perpetuę emittere. Ideo oraculis omnium Sanctorum Patrum, fuit celebrata illius Virginitas. Omnes vno ore proclamabant. O mortales, inter vos, vobis contrariam fœminam habetis. Quæ uos ſummopere optatis, illa refugit, quæ vos fœlicitatem ſummam putatis, illa ſummum genus miſeriæ; quæ a vobis probro habetur continentia, & Angelicę vitæ immitatio, ab illa totis viribus complectitur; Quod vos maledictum decernitis; illa ſummam fælicitatem iudicat. Quapropter, omnes illam voto Virginitatis, primam inter fœminas eſſe aſtrictam, reliquerunt. *a* Ambroſius eam Virginitatis Magiſtram; *b* Nazianzenus, Virginum lumen; *c* Epiphanius, Virginitatis principem; *d* Sophronius, Perfectionis Virginalis exemplum; *e* Damaſcenus, Reginam, Matrem, & Gloriam Virginum; *f* Iſidorus, Virginum caput, *g* Bernardus Virginitatis primiceriam; *h* Idiota Virginitatis primipilam; *i* Giſelbertus, Virginem Virginum; *k* Ildephonſus Virginem immaculatam, & nullis terrenis inquinatam affectibus, ſed cęleſtibus educatam cogitationibus; *l* Iacobus, Virginum gloriam; *m* Virginitatis coronam, Cyrillus; *n* Ephrem, Virginem immaculatam & inuiolatam luculẽter appellant. Vniuerſa poſtmodum Eccleſia, Sancto edocta ſpiritu, id ſemper credidit, atque docuit, quod Damaſcenus & Auguſtinus adnotauere *Christum virorum Virginem, Mariam vero fœminarum Caput eſſe.* Quo quid magis admirabilius adinueniri poteſt? Mirandum eſt carnis rebelles impetus cohibere; Mirandum in carne, præter carnem viuere. Sed mirabilius eſt, huius vitæ Angelicæ principium dediſſe, & contra ignaram Cæleſtium conſiliorum Vniuerſam multitudinem ſe opponere, & primam manũ, huic ſupernæ admirabili vitę ad mouere. Ita vt Bernardus hinc attonitus, poſtquam illam con fabulationem Virgineam expleſſet. Quaſi diceret intra ſe Maria. Dura, ait, neceſſitas, & iugum ſuper omnes filias Euæ. Et ſi pariunt, cruciantur, & ſi non pariunt maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio. Quid facies Virgo quę hæc legis? Si parturis? anguſtiaris. Si ſterilis manes? malediceris.

a de inſt. Virg. c. 6.
b in carm. de Chro.
c hęres. 78.
d hom. de aſſum. V.
e in ſerm. de dormit Deipar.
f li. de Eccl. officijs c. 77.
g ſerm. ſuper ſign. M.
h in contempt. de B. V.
i in altercat. Synag. & Eccleſiæ.
k de perpetua virgint. B. Mar.
l in Liturgia.
m hom. 4. cont. Neſt.
n in orõe ad B. V.
hom. 3. ſuper Miſſus eſt.

Maria Veterib. fœminis contraria

Virginitas Marię Patrum ſententię quo delineata.

Marię admirabilis voto ſe obſtrinxit virginitatis.

Quid eliges Virgo prudens? Angustiæ sunt, inquit, mihi vndique. Melius est tamen mihi maledictum incurrere & castam manere; quã prius quidẽ concipere per concupiscentiam quod merito post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum: illinc vero, & peccatum simul & cruciatum. Denique hec maledictio, quid aliud est, quam hominum exprobratio? Neque ob aliud sane *dicitur sterilis maledicta*, nisi quod opprobrio, & contemptui sit habenda, tanquam inutilis & infructuosa: *& hoc in Israel tantum.*

Bernardi ad Virginem allocutio de Virginitate.

Mihi autem pro minimo est, quod hominibus displiceo, dum me possim Virginem castam exhibere Christo. Hac inquam consideratione & confabulatione expleta, Bernardus velut attonitus ex nouitate rei, admirabundus exclamat. O virgo prudens, o virgo deuota. Quis te docuit, Deo placere virginitatem? Quæ lex? quæ iustitia? quæ pagina veteris Testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne, non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? Vbi legeras Beata virgo, a *Sapientia carnis mors est*, & b *Curam carnis ne perfeceritis in desiderio.* Vbi legeras de Virginibus, c *quia cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur agnum quocunque ierit.* Vbi legeras, d laudatos esse, *qui se castrauerunt propter regnum Cælorum?* Vbi legeras, e *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus &c. Qui Matrimonio iungit suam Virginem, benefacit, et qui non iungit melius facit?* Vbi audieras f *Volo vos omnes esse sicut & meipsum? & Bonum est homini, si sic permaneat secundum meum consilium?* De Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do? Tu vero non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus & efficax ante tibi factus est Magister quam Filius; prius instruxerit mentem, quam in duerit carnem. Christo ergo deuoues te Virginem, & nescis, quod ipsi exhiberi te oportet etiam matrem? Admirandum profecto opus? *Vas admirabile* Beata Virgo *opus excelsi*. Admirabile quia sicut Sol (cui secundum literam sententia deseruit) inter sydera, primus à Deo lumẽ accepit, & acceptũ alijs cõmunicauit; sic Beata Virgo, prima inter mortales Virginitatis splendorẽ in sua carne recepit, & alijs suo exẽplo singulari participauit. *Vas admirabile.* Quia sicut Sol inter

a Rom. 8
b Rom. 13
c Apoc. 14.
d Math. 19.
e 2. Cor. 10.
f 1. Cor. 7

sydera clarior & splendidior existit, sic B. Deipara, quia primitias accepit Spiritus, alijs Virginibus castior, Sanctior, augustior est. *Vas admirabile est Beata Virgo, quia solidum non confractum;* mundum non semine contaminatum, *ornatum omni Lapide pretioso* non luto vitiorum vel carnis illecebris deturpatur. Vas admirabile opus excelsi. Cęterum hic nos e vestigio persequentes Aduersarios, Votorum & Virginitatis hostes, Centuriatores scilicet et alios eius spurcitię homines, habemus. a Centuriatores siquidem Augustinum, aliosque Patres, ex quibus Deiparam voto esse astrictam virginitatis colligimus, mendacij accusant, Edocti nimirum a b Caluino, qui nō solum infirmū, sed absurdum etiam & ridiculum, imo perfidia graui reprehensione dignum, iudicat; si perpetuæ virginitatis conceptum votum, in Maria constituamus. c Franciscus Lamberti monet. Ne, inquit, mouecaris mendacijs illis, quibus asserunt, quidam B. Mariam Virginitati perpetuæ se voto astrinxisse. d Theodorus Beza, nihil non attentat, vt propositum seruandæ virginitatis auferat a virgine. Conradus Pellicanus dicit, figmenta esse infeliciter continentium, qui de emisso verbotenus voto virginitatis, in Sanctissima Dei matre comminiscuntur. Petrus Martyr, Henricus Pilius, Bernardinus Ochinus, Oecolampadius, Bucerus, cum suo præceptore votifrago & impurissimo Luthero, virginitatem execrandam more Iudæorum carnalium iudicantes, execrandam & Virginem Mariam fore colligunt, si virginitatis perpetuæ votum emisisset. Grauem profecto (vt dixit quidam Sanctorum) sortita est castitas inimicum. Inimicus est castitatis Sathanas, qui omnes faces accendit, vt titilantem flammam, in humanis carnibus excitet. Hostis est castitatis ipsa caro; quæ si ad alia vitia, multo magis ad suas delicias voluptuatias, deliquio naturæ insito, prona est. Inimicus & is omnibus grauissimus Virginitatis, est hæreticus. Raro & enim, (vt aduertit ex Nicolaitis, Gnosticis, Iouiniano, atque eius generis obscenis magistris Hieronymus.) Hæreticus diligit castitatem; & quicunque amare se simulant pudicitiam, venenato ore mella promittunt. Cæterum quæ in occulto fiunt ab ipsis, vt Apostolus dixit, turpe est & dicere. Et vtinam vel in occulto tantū ea quę perpetrarunt, non autem aures et vniuerso Orbe ... infelici-

a cent. 1. li. 2. c. 10.

b in harmon. Euang.

c Comment. in 1. cap. Luc.

d in scholijs adiectis Euāgelio Lucæ.

in c. 7. & 9. Oseæ.

Ephes. 5.

Caluini & Lutheri & Centuriatorum & aliorum Hęreticorum sententia de Virginitate Mariæ.

Castitas grauē habet inimicū, quē.

Hæretici odio persequūtur castitatē.

OTDV

feliciter adspectante, facinora turpissima atque infanda, ne innocentium aures & vitam offendant, commisissent. Vidit infælix Germania, quid fons & origo totius impuritatis atque malorum egerit, Lutherus: Effractis enim non solum votorum Religionis, sed & Monasterij cuiusdam repagulis, violato iureiurando quod præstiterat, libertate Conuentus manuum nefariarum vi oppræssa, vt libidinem suam expleret, Monialium Præfectam in scortum abduxit, atque in eius amplexibus vitã, ignibus plectendam traducens, tandem animam efflauit. Quid hoc scelere immanius? quidue Lutheri impuritate impurius excogitari potest? Quæ pœna atrocior, pena adulterorum, Dei sponsas incestu abominando violantium, in Lutheri immane factum decerni potest? Quæso, cum Basilio, quo cruciatu censetur mulier digna, quæ nobili coniuncta viro, seruo suo seipsam violandam, impudice substerneret, ac seruum insidiose nequiterque Domini Thoris inueheret? Qua vero pœna dignus est seruus, qui in Dominam suam, Dominique cubile seipsum petulanter immisit? Qua igitur pena dignus erit, qui furore Venereo percitus, cubile Domini Dominorum, conscendere & violare non metuet? Primum quidem, quia pessimũ huius coniunctionis fundamentum voluptatem iecit, preuaricationisq; malum. Deinde quia causa non est libera; neque enim mortuus est vir eius, vt cuiuis congrediatur, viuente immortali viro, merito censetur adulter, qui se mortalem hominem, ob carnis vitia, Thalamo Dei sui commiscuit. *Nam quod solenne legitimumque connubium, sponsus ille occuparit; & Virginitatis habitus, & fœdera, & cõuenta cũ illo, & præterea processus ipse testatur;* Huiusmodi siquidem nobilitata viro, in publicũ processit. Porro si connubium istud & processu, & testibus, cunctis denique iudicijs apertum est, nec est vir eius mortuus: mechatur qui huiusmodi admittit scelus, viuente viro semper adulter. Nec sane video, qua ratione, imo quo sacrilegio, ipsa pro immortali viro Dei Filio, mortalem hominem in malum suum ambire præsumat, ante viri oculos, in ipsum impuris ac nequissimis semper amplexibus impia; Quo item furore, homo, ille cubile Domini conscendere ac violare non metuat? Quid igitur fœdifragus, scelestus, incestuosus Lutherus non meretur? Quæ

Lutheri immane factum.

Lutheri obiurgatio.

li. de vera Virginitate.

li.9. titu. lo 15. le. ge 12. vero pœnas illius impuri sequaces sustinerent necesse est? Extat in Theodosiano Codice, Iouiniani lex his verbis promulgata. *Si quis non dicam capere, sed attentare tantummodo, iungendi causa matrimonij, Sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.* Ethnicis ipsis tam est hoc visum execrandum facinus, ut quę Virginitatem, quam semel vouerant, concubitu polluissent, viuæ sub terra defoderentur. Ecce Lutherus non modo attentauit sed cępit, & vi foribus Sacratę domus illata, pellexit Sacratam Virginem. Non matrimonium sed adulterio peiorem congressum, cum ea coniunxit, cur in eum non animaduersum est? Franciscus Lamberti, Ioannes Oecolampadius, Petrus Martyr, Bernardinus Ochinus, Ioannes Spangebergius, Erasmus Roterodamus e Sacerdotibus & Religiosis Apostatę facti, Sacrum Cælibatum cui se perpetuo voto obstrinxerant, cum sacrilegis nuptijs commutarunt, quid lex Iouiniana, quin potius, lex Diuina quid facit? cur in istos Veneris pullos, non exercetur? *Viduas iuuenes, habere damnationem aiebat, eo quod primam fidem irritam fecerunt;* Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, Ecce isti non nubunt sed adulterantur, primam fidē irritam facientes, in Christo Scortari volunt; cur maledictionem illam, quam Paulus denunciauerat, non detulerunt? Idem Paulus, cum quendam apud Corinthios audisset, violare thorum Parentis sui, dum in nouercam scelus fornicationis molitus fuisset; tradidit huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis; ecce isti Thorum Dei Patris sui temerant, aliorum insontes aures contaminantes, cur idem in eos decretum non decernitur? Dixeram hos veneris Magistros innocentum aures contaminare. Ex hac enim viuendi licentia, qua impudentissime testantur se esse carnis mancipia, vt Lutherus de seipso testatus est. *Vt, inquit, non est in meis viribus constitutum, vt vir non sim, tam non est mei iuris, vt absq; muliere sim.* processerunt illa ipsorum edicta. Nemo hominum ad continentiam creatus est, sed omnes, vna ad generandum sobolem conditi sumus, & ad Matrimonij tolerandas miserias. Ex hac ipsorum insana, animali, terrena & Diabolica (non .n. ista est *sapientia descendens a Patre luminum, quia ista primum pudica, deinde casta est*) sapientia, emanauerunt voces illæ pudendæ. Si nō vult vxor, veniat ancilla, Doctrinæ demum in vltimas terras

Iouiniani leges de uiolatoribus Sacrarū Virginū dormnūt.

1.Tim.5.

1.Cor.5.

Lutheri impudicissima uox de se ipso.

in 7. c. 1. Cor.

Hæreticorū sapiētia Diabolica.

eijcien-

Hæretici polygamiam docent. eijciendæ, de Polygamia, Quales sunt Bernardini Ochini libelli; quibus Polygamiam docere veritus non, est. Quod studium Bucero etiã placuit, quorundã vt nobilium in rescindendis coniugijs vel indulgeret, vel satisfaceret. Placuit & Caluinianis, quibus commune est modicis leuibusque de causis, Sacrum Matrimonij vinculum soluere. Placuit & Lutheranis, quibus vnicuiq; marito, simul duas vxores habere, ex authoritate magistratus licitum est. Placuit Bucero, qui ruptis Cælibatus vinculis, nuptias incestas terna vice repetiuit. Placuit & Anabaptistis quorum insignis Hetzeus, vt horum impudicitiam omnibus declararet, TREDECIM SIMVL DVXIT VXORES. Sic isti dum legem Euangelicam

hęreticus quidam Tredecim vxores dixit. æmulantur, ad Mahometi polygamiam transierunt. Paulus dicebat, *Oportet esse vnius vxoris virum, illum qui Episcopi officio fungitur*, Isti dicunt, non. Non est sic Paule. *Oportet esse Episcopum, tredecim vxorum virum*. Euangelium enim nostrum in Alchoranum transiuit. Docebat Paulus, *oportet Episcopum esse sanctum, & continentem*; isti, Non. sed oportet

Hęretici transierunt ad mahometum. ministrum in omnem luxum & impuritatem defluere. Paulus monebat. *Diaconos oportet esse pudicos*; isti. Non. sed in omnem impudicitiam resolutum. Paulus præscribebat: *Diaconi sint vnius vxoris viri*. isti, non vnius sed plurium vxorem sint viri. 1. Cor. 6. & 7.

Antitesis doctrinę Pauli & hæreticorũ de castitate. Paulus præcipiebat. *Fugite fornicationem. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est quem habetis a Deo, & non estis vestri? Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Isti. facite membra meretricis, Si non vult vxor, veniat ancilla. O impudicitiam, O impuritatem. Paulus instruebat. *Bonum est homini mulierem non tangere, volo enim vos esse omnes sicut meipsum, Bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* Isti, nemo ad continentiam, sed quisque ad generationem, & ad venerem vocatus est. Isti. vt in mea potestate, non est, vt non sim vir, tam, non est in mea potestate, vt a muliere abstineam. Quid hac impudentia impudentius? Quid hoc mancipio carnis, magis obscænius? Impudens istud os, non puduit Orbi vniuerso suam incontinentiam testatam facere. Existimatis igitur ex horum impudenti cerebro, aliquid pudicum doceri?

ri? Putatis ex insanæ libidinis mentibus, castitatis encomia prodire? Creditis obscænissimos atq; turpissimos magistros, virginitatis & votorum nomen, exosum non habere? A quibus igitur virginitas Mariæ oppugnetur? Quo animo votum Mariæ execretur? Iam vobis non obscurum esse potest. Non enim veritatis sed impudicæ veneris studio, Virginem castissimam voto astrictam, adulterinorum & magis quam adulterinorũ connubiorum, Ideam esse voluerunt. Ad cuius virgnis incontaminatam puritatem defendendam, dum regredior, ni hallucinor, aspicio, Tria vobis displicere in virginitate ex voto Beatissimæ Deiparę. Alterum, voti essentia: Alterum voti qualitas Tertium certitudo quędam de tempore, quo Beata Virgo voto se astrinxit virginitatis; seu displicere vobis video. Votum, deinde votum virginitatis; demum certitudinem voti emissi. At de religiosa promissione, vt primo contendam, nisi scripturarum authoritatem sacram pernegare velitis, votorum quoq; licitum atque laudabilem vsum, pernegare non potestis. Aperta sunt enim scripturæ testimonia, quam vt negari possint; quæ & vouere, & votum præstare iubent. Sic per Prophetam ipse Deus præcipiebat. Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Vouete ait. Non propter vtilitatem meam sed vestram. Homini quidem dum, vouetis vouetis, propter vtilitatem ipsius; & vt ei exhibeatis, quod ei deficit, & vt de futura exhibitione, eum certiorem reddatis. *Mihi vouete*, non propter emolumẽtum meũ sed uestrum. Benignus ego sum exactor & non egenus; & qui non crescam ex redditis, sed crescere faciam redditores. Quę autem vtilitas ex uoto proueniat, ex D. Thoma didicimus, Sicut id quod damus Deo, ait, nõ est ei utile sed nobis, quia quod ei redditur, reddenti additur; ita etiam promissio, qua Deo aliquid uouemus, non cedit in eius utilitatem, qui a nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram; inquantum uouendo, uoluntatem nostram immobiliter firmamus, ad id quod expedit uouere. Per uotum siquidem mens uouentis, Beatas illas mentes imitatur; ut sicut illæ gratia Diuina perfusę, a bono quod semel dilexerunt, nunquam diuertere possunt, sic & uotis se astringens, stabilem in bono quod Deo promisit se efficit,

Tria dicta hæreticorum de virginitate Marię ex uoto. reijciuntur.

Vototũ antiqua consuetudo ex lege diuina.

Psal.

2.2.Q. 88.a 4.

Vouendi utilitas.

Vota frãgere illicitum.

efficit, ut illud perpetuo complectens nunquam ab eo deflectere queat. *Damnatio est siquidem ys, qui primam fidem irritam fecerunt.* Quia iam uouisti, dicebat Augustinus, iam te obstrinxisti, aliud facere tibi non licet. non talis eris, si non feceris quod uouisti, qualis mansisses, si nihil vouisses: minor enim tunc esses non peior, modo autem tanto, quod absit miserior, si fidem Deo fregeris; quanto beatior si persolueris. Sapiens vero aiebat. Displicet Deo, stulta & infidelis promissio. *Vouete igitur, sed & reddite Domino Deo vestro, oēs qui in circuitu eius affertis munera.* Sic Moyses monebat populum. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressū est de labijs tuis, obseruabis; & facies sicut promisisti Dño Deo tuo, & ꝓpria volūtate, & ore tuo locutus es. Notissimū est apud Hieremiam, vouentium exemplar Rechabitarum, qui nec etiam Diuino præcepto vota frangere voluerunt. Dum enim Hieremias, ante eos posuisset scyphos vino plenos, & calices; & dixisset ad eos. Bibite vinū. Responderunt. Nō bibemus vinū, quia Ionadab filius Rechab pater noster, præcepit nobis dicens. Nō bibetis vinū, vos & filij vestri usq. in sempiternū. Et domū non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis, cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis, super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Quod vero præceptum, votum fuerit, quo illos ligauerat Pater suus, apud Patres plusquam clarissimū est. Habemus & alterum, vota adimplentē Dauidē, qui cōfitebatur. Vota mea reddā, in conspectu timentiū eū. Vouere igitur sicut piū ita & votū reddere necessariū est. Quod vero a vobis friuole affertur. Stultam esse promissionem, illius quod præstare non possis: id equidē & nos, in malis ꝓmittendis fatemur. Verum vbi bonorū promisso facienda est, nequiquam admittimus. Sic etenim neque baptizādos nos esse liceret. In sacrati siquidem fontis ablutione Diabolo renunciamus, atq. viuere secundū legem Diuinam, pollicemur. Quis autē viribus naturæ proprijs, præcepta Diuina adimplere potest? Sed nedum facere, verū & cogitare quidem aliquid boni ex nobis, tanquam ex nobis idoneus quis esse potest? Quod si igitur periculum est in nouendo,

ne

Marginal notes: ad Armētariam & Paulinam. — Deut. 23. — Rechabitarum factum. — Hierē. 35 — Hæreticorum de votis cauillus dissoluitur.

ne votū reddere possis, & ꝓpter hoc vouēdū non est. Igitur nec ad baptismū accedendū est, nec matrimonij vinculū voto firmandū; nec.n. in nostrā potestate est, a fœminis se cohibere in absentia vxorum, quā non esse viros Igitur, (ait Ambrosius) nemo militet ne aliquādo vincatur; nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat, nec oculi intendat officio, qui concupiscentię timet lapsum. Tales cogitationes, Augustinum, a vouenda continentia retrahebant. Putas ne (sic secum confabulabatur) sine fœminis viuere poteris? Contra vero dignitas cōtinentię, blādiens vt ad se uenires inuitabat, & ad suscipiendum & ad amplectendum ipsum, piás manus plenas gregibus bonorum exemplorum extendens, aiebat. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & oís ætas, & graues viduę, & virgines, & anus, & in omnib. ipsa continentia nequaquā sterilis, sed fœcūnda mater filiorū. Et irridebāt me, ait irrisione exhortatoria; quasi dicerent, Tu non poteris, quod isti & istæ? An uero isti & istę, in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus De⁹ eorū, me dedit eis. Quid in te stas? & non stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet, vt cadas. Proijce te securus, excipiet & saluabit te. Edocere voluit vir Sanctus, nos nihil nostris virib. facere posse, & nostrā sufficientiam, nostrumq; velle & operari bonum, ex Deo esse; & ideo ex Deo auxilium expectādum, a Deo petendum adiutorium, in Deo proijciēdos conatus nostros esse mōstrauit. Vult Deus a nobis cōtinentiā; Scimus, ꝙ nemo cōtinēs est, nisi De⁹ dederit; adeūdū ē ad Thronū Diuinum, & dicēdū. Da quod iubes, & iube quod uis, Continentiam iubes Christe? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt non modo carnis, verum etiam oculorum concupiscētiam superem? da quod iubes & iube quod vis. Iubes, vt a contactu impudico me contineam? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes, vt cruciatus pro tuo nomine perferam? vt vitam etiā cum sanguine profundam? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt rebus omnibus contemptis atque distractis, tibi pauperi pauper militem? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt amorem Patris & Matris, & sanguinis mei, amore nominis tui restinguam? da quod iubes, & iube quod vis. Iubes vt & meam ipsius voluntatē abnegem, & sublata cruce mea baiulus, te onustum peccatis meis insequar? da quod iubes, & iube quod vis.

Iubes

De uiduis

Cōfes. li. 8. c. 11.

Vota omnia deimplēda.

Vouētes adiuuat Deus.

Iubes vt ad illam perfectioné vitæ, qua tuus Pater est perfectus, contendam? Non sum sufficiens cogitare aliquid ex me, tanquã ex me; sufficiẽti a mea ex te est; da ꝙ iubes, & iube quod vis. Dabit, dabit certe Spiritum bonũ petentibus se. Omnibus ad omnia gratiam suam conferet. Et qui dat donnm castitatis coniugibus; qui confortat eos, vt quo se Sacramento inuicem obstrinxerunt, id inuiolatnm obseruent; etiã si vel per absentiam, vel per aduersam valetudinem, alter alterius corporis potestatem habere non possit: idem & perfectionem religiosam professis, perfectionis donum distribuit, modo postulent ab eo, qui dat omnibus affluenter; postulent auté in fide nihil hęsitantes. Quanquam ne ipsa virtus ita est difficilis, vt molles opinantur, pręsertim virtutis amore flagranti. Nihil enim durũ nihil amarũ, nihil graue computat verus amor. Non ferrũ, non vulnera, non pęnas, non denique mortes, amorem prævalent superare perfectum. Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, morté ridet, si amor est, vincit omnia. Nihil est omnia, aiebat Chrysostomus, transcendere si tamen voluerimus. Si enim artes ita percepimus, quę extendunt multos, multo amplius quod tanto nó indiget labore. Quid difficilius est, quam super funem extensum ambulare, veluti super ęquale solum, & sursum ambulanté vestiri, & spoliari tã in lecto sedeat? Nonne mirabilis nobis ista res videtur & terribilis, vt etiã videre nolimus, sed timeamus, & tremamus ad ipsum aspectum? Quid difficilius quam cum gladijs, pilarũ more ludere? Quid autem grauius, quam profundũ pelagi scrutari? Quid periculosius, quam ferarum capiendarum studium? Ij quanta frigora, & ęstus & famem patiantur? quæ non adeant vitę pericula, quo ab equis, a fossis, a præcipitijs, a fluminibus, a feris, quib. aliquando temere se committunt, immaturam mortem obeãt videmus. Sed omnium istorum facilior est virtus. Si uelimus & in Cælum ascendere, uelle tantum oportet, & omnia sequuntur. neq. n. cuique dicere fas est, non possum, & conditoré accusare. Nam si tales nos creauit, ut nó possemus, quid deinde pręcipit? Sed quid fit, ais, quod multi nó possunt? Quia multi nolunt. nam si voluerint, omnes poterunt. Propterea quod Paulus dixit, Volo omnes homines esse sicut meipsũ quandoquidé sciebat quod omnes poterãt esse sicut ipse, Neq. enim

Margin notes: Amanti nihil durum. — hom. 16. in epist. ad Hebr. — Virtutis facilitas

enim ita dixisset, si foret hoc impossibile. Vis fieri sicut fuit Paulus? Incipe modo, & opus ipsum aggredere. Habemus siquidē cooperatorem & adiutorem Deum; tantum rem assumamus, tantum ueluti ad opus accedamus, ad rem tantum curam geramus, tantum in mentē ponamus, & cuncta sequentur. Pręclare quoq. Basilius ille Magnus, hos ad uirtutis onus infirmos, ad uitia uero sectanda potētes, docet, Qd nulla sit difficultas, imo sūma facilitas uirtutem colere. Ne dixeris, ait, quomodo ascēdam in Cęlum, ut uirginitatis meæ integritatem deducam? Aut quomodo descendam in abyssum, ut eam dudum a Diabolo corruptam, mihi ipsi recuperem? Sed quid? *Prope te est*, inquit, *& secundum naturam tibi ingeneratur virginitas*. Neque maria transfretare, ut eam acquiras tibi opus est; neque aerem immensum peruolare, neque terrarum tractus hanc inuestigando circuire, aut e terris euolare, Cœlumque pro ea inuenienda lustrare; sed omissa cura superflua, locorum spacia & interualla peragrandi, te ipsum ut te habeas diligentius inspice, atque hanc in te per naturam opertam, abditamque reperies. Quod secundum naturam est, in eo nihil difficultatis, nihil laboris, nihil molestiæ immo plurimum uoluptatis continetur. Vouere igitur, ut semel concludam & Diuinæ non repugnat, quin potius conuenit scripturæ, uouere est opus maxime pium & utile, atque laudibus sempiternis celebrandum.

In lib. de uera Virginitate.

Caste uiuere est secundum naturā.

Accedo ad illud, quod secundo loco proposueram. Votum scilicet uirginitatis. Planum est cuilibet Sacram Scripturā intuenti, Virginitatem non esse execrandam, imo summis honoribus prosequendam, & totis conatibus a quocunque amplectendam. Quid .n. indigna est honore uirtus illa, quam ipse Saluator prosecutus est, quā & Angeli perpetuo conseruant? Quid non amplectenda est Virginitas, quæ nos Christo despōsat, & Angelis similes & æquales facit? Cur execranda Castitas, quę nomen melius & præmium sublimius, in Cœlestibus Regnis possidet? *Saluator Virginitatem summo amore prosecutus est*. Is enim e Virgineo utero natus, Virgo immaculatus, totum decursum annorum suorum uixit. Is Virgineis manibus gestari & educari uoluit; Virgineis uberibus lactari, Virgineis manibus in templum offerri; a Virgine præcursore prędicari; a

Heretici execrādi iudicant Virginitatem.

Virginitatis sublimia bona.

Virgine Euangelista, Diuinitatis suæ testimonium habere cœpit. Moriturus in Cruce Matrem Virginem, Virgini Ioanni commendauit. Post mortem, Vniuersæ Ecclesiæ, se dulcem, & amore flagrantem sponsum, tanq̃ pudicę Virgini coniunxit. In regnis Cęlestibus, non alibi quam inter castissimos Virginum choros, velut inter candidissima lilia, ipse totus candidus floridusque versatur, & deliciatur. Ipse, vt Fulgentius loquitur, Vnigenitus Dei Filius, Vnigenitus est etiam Virginis filius, vnus omnium Sacrarum Virginum sponsus, Sanctę Virginitatis fructus & munus, Quem corporaliter Sancta Virginitas perperit, cui spiritualiter Sācta Virginitas fœcundatur, vt perseueret intacta; a quo decoratur vt permaneat pulchra; a quo coronatur vt regnet perenniter gloriosa. Ipse, vt eum Guerricus appellat, flos de flore, natus Virginis filius, sponsus & corona Virginum, flos ille quo coronata est nō solum integritas Virginum, sed etiam castitas continentium. Ipse, vt Agnes apud Maximū loquitur, castissimus Virginū sponsus, cuius Mater Virgo est, cuius Pater fęminā nescit, cui Angeli seruiūt, cuius pulchritudinē Sol & Luna mirātur. Nec mētiūtur Patres. Didicerūt.n. hoc ipsū a Paulo Virginitatis prædicatore, qui dicebat. Emulor vos Dei emulatione; despōdi.n. vos vni viro, Virginē castā exhibere Xpo. Despōdi vos vni viro. Sed cui viro? Qd emolumētū huius spōsalitij, q̃ maiestas? q̃ dignitas? vni viro Christo Deo, q ex intemerato vtero Virginis effusus; q ex immaculato atque purissimo Paterno corde enixus; puritate, Maiestate, dignitate quoscunq; pręcellit. Magnū ęstimatis cōnubia ducere cū Regib.? Ecce ipse ē Regū Maximus, & Dn̄s Dominantiū, sub cuius Imperio, tota multitudo Creaturarum subiecta est. Huic viro ego vos despondi. Excelsum putatis, coniugia miscere cum Diuitib. Ecce ipse est ditior omnib. Domini est terra & plenitudo eius, Orbis terrarū et vniuersa q̃ continentur in eo. Summū genus felicitatis, vos assecutas iudicatis, pulchrū facie, et venustum aspectu virū habere? Ecce ipse, speciosus forma est prę filijs hominum, cuius venustatē Sol & Luna admirātur; in cuius aspectu omne bonum reputat Moyses; propter cuius decorem, Petrus vult fabricare tabernacula; in cuius contemplatione suprema fęlicitas nostra sita est. Supremam beatitudinem adeptas vos esse creditis, virum iucundum & affabilem, dulcem in conuiuendo

Margin notes: epist. 3. ad Probā. — Christus Virgo de Virgine Virginū sponsus. — serm. 1. Nati. Marię. — Sponsam esse Christi quāta fælicitas. — 1. Cor. — Antithesis Virginum & nuptarū.

Sapien. 8. obtinere. Ipse est cuius conuictus non habet amaritudinem. Nõ habet, ait Sapiens, tedium conuersatio eius, sed lętitiam & gaudium. In amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuũ illius honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum illius. Non est turbulentus iste vir, vt homines pleriq. Non iurgia concitat contra sponsãm; non rixas & odia fouet, non comminatur, non multiplicat verbera, non zelatur; sed iucunde & benigne commoratur sponsæ; semper dulces miscet sermones, semper amorẽ castũ spirat, semper amplexatur, & basia fingit. Lęua eius, testabatur quędã, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Ipse adiurat filias Hierusalem, ne perturbent sponsam sic confidenter recubantem. ne suscitetis ait, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Miseras vos potius iudicate, o vos quæ terrenum sponsum, Cælesti repudiato assumpsistis. Nunquam. n. tot iucunditates, tãtas delicias, tanta bona ex illorum quam ex istius complexibus habere potestis. A mortalibus sponsis ornatum corporis aureum, gemmis & lapidib. distinctum gestabitis; nihil sunt ista. Ab immortali sponso non tantum corporis, sed multo fulgidiorem, ac prætiosiorem animæ cultum obtinebitis. Si mihi non creditis, ecce vna ex Virgineo choro gloriabatur. Induit me, ait Dominus, ciclade, & clamide auro texta, sapientiæ & dilectionis; immensis monilibus virtutum decorauit me. Annulo suo fidei subarauit me, & coronauit me corona spei æternorum, tradidit auribus meis inestimabiles Margaritas, Verborum Sacræ doctrinæ. Mel & lac dulcedinis spiritualis, & puritatis ab ore eius per inspirationem suscepi. Sanguis eius, pulchrius quam stybium ornauit genas meas. Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam. inquantum scilicet dedit faciem erectam ad Cælum, vt ipsum contempler, & affectum ad eum dirigam, non ad mortales aspiciam. A mortalibus sponsis delicias illas perciperetis, quæ potius miserias appellare conuenit; violentia enim & turba pęnes impuros est maior, tumultus ingens & qualibet seuior tempestate. Ab immortali autem summas & ineffabiles delicias. Quid enim iucundius esse potest, quam Deo ipsi coniungi, cum Deo colloquia miscere? Quid suauius, quam Dei manibus complecti? in Dei sinu con-

Ornatus sponsarũ Christi, quis.

Agnes apud Ambrosium in lib. de Virg.

quiescerem, Dei congressu non in ventre sed in mente fœcunda-ri? Dei blandicijs demulceri? vnus spiritus cum Deo effici? Virgines ista fœlicitas manet, Virginibus Deus adblanditur, Veni inquiens, ad me soror mea sponsa; surge, surge; propera, amica mea, columba mea, formosa mea; surge speciosa mea & veni, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Hiems turbationum in hoc nostro complexu transiit, ne paueas a malis quæ tibi contingere possent, ex meo congressu. Flores apparuerunt in terra nostra, omnia sunt ex meo connubio iocunda, omnia florida; nihil triste, deforme nihil. Sonet vox tua in auribus meis, veni tandem ipsa, ostende mihi faciem tuam, vox enim tua dulcis & facies tua decora. Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. Quid his verbis dulcius? Quid blandimentis ipsius blandius cogitari potest? Surge tandem aperi mihi, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium; descendet in tuam animam gratiarum vbertas, sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Non inflatum ex hac gesta-

Virginitatis deli-tiæ.

bis vterum, non distenta vbera, sed mentem fœcundatam Spiritu. Dicebant quidam apud Chrysostomum, concubitum quid-dam voluptatis habere, continētē uero uoluptatem habere non posse, vt qui bellum cum naturæ tyrannide, sine intermissione gereret. Ille, contra, aiebat res est, uiolentia namque & turba penes impuros maior est, tumultus ingens & qualibet tempestate sæuior; sic ille habet ut nunq̃ ad cupiditatis congressum consistat, victus assidue cadat, quemadmodū Dæmoniaci malignis spiritibus agitati. Continens aūt ille prelio uictor, hanc assiduē prosternit, nobilissima & infinites præstantiore uoluptate potitur; simul ipsa uictoria, & conscientia bona, & splendidissimis trophæis perpetuo fulgens. Dici non potest, quanta continētiū hominum uoluptas sit, ut qui coronam sibi ipsis concinnent & præmia, consuetudinem Angelorum, & toto Orbe terrarū præconium, libertatem, spem certam & immortalē. Ipsis mortalibus nuptijs (sic delineabat Basilius delicias nuptarum) copulata ad curam propter seipsam: aliam quoque de uiro assumens, geminam quandam ex una anima, coniuncti ipsi corporis curā sustinet; nō amplius uno corpore laborans, sed in una anima, et ad uiri & ad suū corpus, in morbis sēper dissecta. Deinde hinc libe-

in 1. Cor. c. 7. hom. 37.

Nuptarū mala & miseriæ.

li. de uera Virginit.

liberorum propaginibus productis, ad vnumquemque partum, aliquid de anima resecari patitur; eius qui insuper gignitur curam, prius existentium malorum accessionem assumens Et siquidem bonum virum adepta est, semper metu mortis, viduitatis grauitatem suffert; ingentem quandam tabem, & de præsente, & de peregrinante, propter inexpectatos casus, in anima suscipiens. Si uero viceuersa amarulento coniuncta fuerit, totam vitam supplicium habet; neutrum vero propter tempcrantiam, neq; mortem viri ob amaritudinem viduitatis, neq; vitam ob côuictus insuauitatem eligere potens, ineuitabili malo anxietatib. semper animo scinditur. Deinde vbi liberos peperit aut bonos fientes videt, & maiorem eo qui circa partum accidit, ex improspero horum successu dolorem, per vitam gestat; Aut malos euasisse conspicatur, etiam grauius opprobium, ob liberorum generationem, quam ob sterilitatem tulisset suffert Aut priusquam ad relatorũ malorũ experientiam venit, simul, & sponsa & vidua facta est. Et quę filijs carés, ad viduitaté deuenit, neq; mulier, neq; virgo neq; mater est. verũ ab omnib. iu cundis putatis, a nuptijs elapsa, propter breué quidé voluptaté virginitatis pulchritudinem damnum tulit; intantum vero nuptias experta est, vt viduitatis amaritudinem cognoscat. Aut in viduitate pupillos educãs liberos, hos ipsos doloris ex viro monimentum videt, semper in lachrymis, semper in suspirijs, semper in angustia horum educandorum versata; non solum nullum solatium æquiualens, eius quod accidit mali habens, sed & cognatis, & famulis, & liberorum procuratorib. & sæpe ipsis liberis iam in viros euectis, & omnib. in summa iniuriam facientib. miserabilis præda exposita, nihil aliud quam tristitia ac luctus scenicum actum, vitam suam in mundum intulit. Et quid amptius dicere opus est? Mulier dotata, virum Dominũ habés & emens, serua pro libera est, vt quę naturalem libertatem, modica nuptiarũ voluptate diuédidit, & inexplicabilium malorũ ianuam, ac totam dolorum materiam sibijpsi nuptias aperuit. Manet. n. infracta contra ipsam execratio, quæ in omnes nuptas velut epithalamium canit. In dolorib. paries filios & ad virum cófugium tuum, & ipse tibi dominabitur. At vera virgo, quę iugũ ad virũ abrupit, & ad immortalé sponsum tota cucurrit, vna cũ iugo ét doloré ex maledictione abrupit, Effu

git.n.i liberorũ partu dolores;effugit ad mortalẽ virũ seruitutẽ; & in summa omnia mala ex nuptijs effugit;ēt simul cũ alijs,& multiplicia reria,ad multifidũ præsentis vitæ peccatũ;prę omnib. autem,ipsam mox complexu carnium contingentem corruptionẽ primũ effugit,& incorrupta,tota anima in carne existente, Domino desponsatur,non amplius ad mortalem,sed im mortalem virum confugium suum esse sustinens.

Virgines sunt Angeli terrestres. Ipsis mortalibus nuptijs copulata, infra hominum corruptibilium limites continetur: Immortali aũt viro despõsata in Angelorũ consortiũ transit. Illi qui digni habebuntur(ait puritatis amator Christus)futuro sæculo,& resurrectione ex mortuis,neque nubunt,neq; ducunt vxores,neq; vltra mori poterunt: Aequales.n. Angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Lu c.20.

Virgines in qualẽ Thalamum a Christo introducuntur. Mortali sponso coniunctę,mortale nomen retinent;immortali autem Deo cõpulatæ,nomen quoddam ineffabile. Nõ dicat Eunuchus (ita Deus ipse apud Isaiã pollicetur,) ecce ego lignũ aridũ: Quia hęc dicit Dominus Eunuchis ;Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint q̃ ego volui, & tenuerint fędus meũ ,dabo eis in domo mea,& in muris meis locũ & nomẽ melius a filijs & filiab. Nomẽ sempiternũ dabo eis,quod non peribit. Mortalib. nuptæ sponsis in thalamos,spurcitijs,quas turpe est & dicere plenos,licet deforis splendentes,introducuntur; At immortali Christo castitate deuotæ,in illam lucidissimã requiẽ in Cellam illam vinariam,vbi vinum Diuinæ dilectionis propinatur;in hortũ illum deliciarum conclusum , in Ciuitatẽ illam splendidã tanquam crystallum,mundam vt aurum , in qua nihil non aureũ,nihil non gemmis corruscum,omnia cãdida,cũcta fulgentia,Ibi platea Ciuitatis aurũ mundum,tãquam vitrũ perlucidum , singulæ portæ eius ex singulis margaritis; ibi fluuius aquæ viuę promanat,& dulce murmur resonat,a sede Dei & agni,Ibi admirandum & sublime illud lignũ vitæ,producẽs fructus duodecim per singulos mẽses . Super illum montem ex Isai.56.

Virginũ beatitudo. celsum Cœlorum , astat Agnus immaculatus , & cum eo centum quadraginta quatuor millia , habentes nomen eius , & nomen Patris eius , scriptum in frontibus suis . Et cantabant quasi cãticũ Nouũ,ante sedẽ & ante quatuor animalia & seniores: & nemo poterat dicere canticũ, nisi illa centũ quadraginta quatuor millia,qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus Apoc.14.

rib.

rib. non sunt coinquinati. virgines.n.sunt, Hi sequũtur agnũ quocunq; ierit. Hi familiarioré cũ Agno immaculato cõuictũ habẽt. Hi augustiora fęlicitatis & beatitudinis pręmia cõsequũ-
Math.13. tur, Quo.n.rarior & maior victoria de hoste refert, eo amplio-res coronę cõferuntur. Hi sunt qui cẽtesimũ fructũ, de blando insidiatore, & domestico hoste deuicto, in Paradisi delicijs re-portãt. Hi empti sunt ex hominib. primitię Deo & agno, & in
de passiõ. Domini cap. 13. ore eorũ non est inuentum mendaciũ; sine macula.n.sunt ante Thronũ Dei. Quanta putas ibi gloria fulgebũt (q̃rit Bernardus) virgines Christi, cordis simul & mẽtis puritate Christũ sequẽ-tes? Quis Sanctorum chorus, *melius Lunæ comparatur, vt virgines?* Solę sequũtur Solẽ iustitię Christũ, vt agnũ Patris, quocunque ierit, vnde Solę illi similes sũt atq; simillimę. Honorabũtur prę cæteris, in eodẽ regno existẽtib. splẽdore quidẽ excellẽtiori; sicut Lunã prę cęteris syderib. preeminere videmus. Possidebũt in domo Domini locũ melioré, multo quã cęteri filiorum aut filiatũ, qui virginitatis merito nõ sunt insigniti. Tanta igitur & tã pręclara bona cũ virginitas adferat, inuenietur aliquis impudẽs Lutherus, qui execrandã virginitatẽ esse iudicabit? Cõtra Apo-
1. Cor. 7 stoli edictũ, qui forte hęc preuidẽs, dicebat. *Bonũ est homini mulierem non tangere. si.n. nupserit virgo* sed nõ voto obstricta, *non peccauit*; tribulationem tamẽ carnis habebunt huiusmodi. *Qui statuit in corde suo* (ecce votum virginitatis) *firmus, nõ habens necessitatẽ, potestatẽ aũt habens suæ volũtatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginẽ suã, bene facit, & qui non iũgit melius facit.* Cõtra igitur adeo expressum edictũ, vos luxuriosi, virginitatẽ peiorẽ matrimonio, a finib. Christianorum effugandam existimabitis? Cui potius credendũ est, Dilectissimi? Paulo? an vero istis impudicis? Paulus afflatus sancto flamine, consiliũ dabat virginitatis dicẽs. *De virginib. pręceptũ quidem non habeo; consilium aũt do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis.* Isti vero Paulũ nõ posse dare cõsiliũ de continẽtia, cõminiscuntur? Pręcepto.n. aiunt Diuino, ad generationẽ filiorũ cõpellimur. Paulus cõtra Diuinũ mãdatũ nihil cõsulere dẽt. O pclaros Theologos. Pręceptũ est (dicũt isti) generare filios, *nõ erit apud te sterilis.* Sic super suas pellices, optime nauarũt Theologię, vt Benedictionẽ a Deo datã in pręceptũ cõuerterint; & pręceptũ esse ad mortalẽ culpã obligans, benedictionẽ oblatã, more suo

Virginitatis præ dicator Paulus.

Deus nõ præcepit generare.

Virginitatem Deus nō interdixit.

rum cōmutauit. An nō cuiuis vel leuiter in scripturis versato, nō tū est illis in locis, vbi dr̄, vel, crescite & multiplicamini, vel, nō erit apud te sterilis, Dei benedictionē & pollicitationē esse? Genesis liber, vbi creationē hominis absoluit, sic eā rē narrat. *Benedixitq; illis Deus & ait. Crescite & multiplicamini & replete terrā.* & subijcite eā, & Dominamini piscib. maris & volatilib. Cœli, & vniuersis animantib. quæ mouētur super terrā. Hic nonne benedictio manifesta est; nō quemlibet cōstringens ad generationē præceptū? Si. n. esset pręceptū. qui non dominatur piscibus vel animantib. qui non subijcit sibi terrā; qui volatilib. nō imperat & iumentis, quales sunt infiniti paupertate depræssi, cōtraeūt Diuino pręcepto, sempiternisq; ignib. obnoxij sunt; Quod tamē à recto alienū est. Sic in alio loco vbi dicebat, *Non erit apud te sterilis vtriusq; sexus, tam in hominib. quam in iumētis.* benedictio est nō pręceptū. Pręmittit n. Moyses *Benedicet fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ. Benedictus eris inter omnes populos.* Et statim subiūgit *Non erit apud te sterilis vtriusq; sexus*, tā in hominib. quam iniumentis; auferet Dominus a te omnem languorem & infirmitates Aegypti pessimas. &c. Quod si esset pręceptū, vtiq; deliquissent Iudæi; si iumentis sterilib. ut ea ipsi fęcundarent nō cōmiscerētur. Ideoq; & maledicta in Israel sterilis dicebatur; non quod transgressa esset præceptum, sed quia benedictione cōmuni priuata esset. *Maledictæ. n. Benedictæ, sicut maledictio Benedictioni*, non pcepto, ceu vestigio opposita est. Gen. 1. Deut. 7.

Hæreticos conuincens argumentum.

Quod si pertinaci cōtētione, illa esse pręcepta asseritis, & ad eū certe modū, quo pręceptū est, cuiquę esse vt sit masculus, ad sui obseruationē ligare. Nō erat sui iuris, vt sacerdotes ingrediētes sanctuariū nō essent viri; nō erat quoq; suæ potestatis absq; fęminis intrare Tabernaculū. non erat sui iūris, vt cætera multitudo, vel quādo in Templum intrabat, vel quando ad videndum Deū properabat, vt masculi nō essent. Non erat quoq; suę facultatis, vt a fęminis segregarentur. Igitur peccauit ipse Deus cōtra naturæ præceptum, dum præcipiebat, solum Pontificem ingredi sāctuariū. Peccauit, dū dicebat Moysi, vade ad populū, & sanctifica illos hodie & cras, lauentq; vestimēta sua, & sint parati in diē tertium, Estote parati in diē tertiū, & ne appropinquetis vxorib. vestris. Peccabat & illud seuere edicēs. Sacerdotis filia, si dephēsa fuerit in stupro, & uiolauerit nomē Patris sui flā

mis

mis exuretur. Peccauit & Phinees, q̃ fornicaũtẽ cũ Maditanitide, pugione confodit. Peccauit & Abiathar, denegans sanctos panes, Dauidi si contigisset vxorem. Peccauit & Christus, dum continentiam prædicabat, *sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Cælorum.* Peccauit & Paulus, qui misericordiam a Domino consecutus tanquam fidelis, consilium virginitatis suadebat.

Paulus, vt ad prædictam antiphrasim regrediar, docebat Volo vos omnes sine solicitudine esse. Qui enim sine vxore est solicitus est quę Dñi sunt, q̃uõ placeat Deo. Qui aũt cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit Sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Isti e contra, docent, Volumus vos omnes in solicitudine esse, non eorum quæ Dei sed quæ mundi sunt. Volumus omnes nuptos & nuptas esse, vt cogitent ea quæ sunt mundi, & diuidantur. Paulus monebat, Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem, qui.n. nonnubit, melius facit; Isti e diuerso. Solutus es ab vxore, quære vxorem, melius est nubere quam continere, nuptijs extinguere libidinem quam aduri. Quasi vero nuptijs, non magis excitetur concupiscentiæ ardor? Quod si præcipuum, seruãdæ castitatis remedium est, vxorem ducere, Vnde tot adulteria? Vnde tot incestus eorundem ipsorũ, qui vxores habent? Nonne cernimus, irritatam lasciuiam magis inflammari? An non magis disciplina, ieiunijs, & continua corporis castigatione, corpus esset spiritui subiugandum? vt Paulus ipse faciebat. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alij prædicauero, ipse reprobus efficiar. Quis vnquam ad sobrium victum sectandum, & nimium edendi appetitum frenandum, inuitare volens, hortetur vt tantum quis edat ac bibat, quantum sensuum appetitio postulare videatur? Sic, qui ad comprimendos lasciuos carnis motus inuitat; non ad concubitum, neque ad nuptias, sed ad abstinentiam, ad cilicium, ad continentiam, ad spinas & vepres vt Benedictus, non ad molles plumas; ad aquas gelidas vt Bernardus, non ad vinum luxuriosum; ad congeriẽ niuiũ, vt Franciscus, non ad calorẽ lũborũ excitationẽ; ad flagella flagris ferreis, vt Dominicus, non ad amplexus muliebres

Libido matrimonii officio non extinguitur.

1. Cor. 9.

Virginitatis antiquum ex voto institutum.

liebres hortari debet Paulus decernebat, vota Virginitatis emittenda esse. Cuius doctrinam Ecclesia semper sequuta, Virgines Deo sacrabat, vt Iustinus & Athenagoras tradiderunt, Christianos vtrius sexus immunerabiles, olim repertos esse, qui in sacro & perpetuo Cælibatu consenescerent, ac incorrupti plane perseuerarent. Epiphanius quoque testatur, ætate sua multis Virginibus familiare esse, vt in nomen Mariæ degere, castitatem que seruare ac continere studerent. Abdias, Mathæum Apostolum & Euangelistam, fatetur, Iphigeniam Regis filiam virginem consecrasse. Thomas Apostolus, præter Iacobum & Ioannem virgines, vt ab Epiphanio didicimus, seipsum Regni Cælestis gratiæ sponte castrauit, perpetuamque seruauit continentiam, vt etiam ipse de seipso apud Abdiam testatur. Tu Domine anunciasti me tuum esse, propter quod vxorem non accepi, vt tibi totus vacarem, ne templi tui gratiam vel coniungalis vsus copula minueret, vel consuetudo deciperet. Sequutæ sunt & aliæ præclaræ Virgines, quas a Ignatius qui Apostolorum vidit tempora, vocauit, Deo se consecrátes; b Cyprianus Martyr, Deo dicatas; c Optatus mileuitanus, velatas Christi sponsas; d Hieronymus, Christi flamine consecratas; e Ambrosius, Velatas & sacro velamine tectas; f Augustinus, Dominicas Sanctimoniales & castimoniales; g Fulgentius, Deo consecratas; Alij demum Sacras, vel Perpetuæ continentiæ sectatrices, aut Virginitatem siue continentiam professas appellant. Isti vero, Diabolica & carnali Sapientia impudica decepti, Vota rescindentes, Votifragas nominant Sanctas, Sanctas vero execrantur, & maledicunt. Quousque tandem, se contra torrentem tantorum testium opponetis? Quousque o impuri, puritatis hostes existetis? Vota esse licita vt pia, Virginitatem esse opus Angelicum demonstraui, ad huc Virginitatem linguis male dicis insectabimini?

Virgines ex voto qui nomine vocabantur.

heres. 78.

hær. 30.

a in epist. ad Ant. b li. 1. ep. 11. c li. 5. cót. Donat. d ad Eus. decustod. Virginit. e li. de inst. V. c. 18. f ser. 25. in Euan. math. & sup. Psal. 83. & 78. g in epi. 3. Probã.

Tertium demum remanet demonstrandum, Beatam scilicet Deiparam Mariam, Virginitatis votum emisisse. Et id quidem ex Patrum testimonio conuincere facile; verum nec etiam difficile, ex verbis Virgineis Archangelo respondentis. Iam ex Luca didicimus, Archangelum Gabrielem Diuinorum secretorũ Nunciũ, solũ ad, solã Mariã Diuinis rebus uacantem accessisse.

Cui

Cui dum voluntatem Dei exposuisset, quod ea futura esset Mater Filij Dei. Ecce, ait, concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Hic erit Magnus & filius Altissimi uocabitur. Illa nouitate Nuntij, & profunditate mysterij stupefacta, meditabunda intra se, Quomodo ego generabo, quæ castitatem promisi? tandem ab Angelo admirans quærit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quasi diceret ut Patres exponunt, a Quæ ipsam superant naturam mihi nuntias; nuptias ego nullas experta sum, Desponsata enim marito nunquam fui. Sponsum ego futurum solum, at uirum Iosephum nondum cognosco. Conturbernalis est mihi, non etiam cum desponsata ingreditur cubile. Vterus meus genitali semine uacat, nec cultus est. *Quomodo fiet istud?* Num me solam, natura matrem, sine nuptijs declarabit? An ego sola præter naturam, naturæ incognitam generationem producam? Mene solam, possibile est, fructum in utero gestare, cum nullo congressutam uiro? Quænam hæc é salutatio? Quis ille aut unde ingressus, qui nuncium hoc mihi portauit? Hominem eum qui mihi loquitur putabo? Sed corpore ceu uacans apparet. Angelum ergo eum censebo? uerum hominis instar loquitur. Matrem me esse declarat? At ego uirum neque cognoui, neque agnoscere uolo. Quomodo fiet istud, quia uirum nõ cognosco? Ex quo manifestum est, quod Beata Virgo seipsam, a cæteris fæminis segregauit. Hoc enim indicant ait Augustinus, uerba quæ sibi fætum annuncianti Angelo Maria reddidit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quomodo ego grauescam ex pudico & castissimo marito, quoniam uirum penitus non cognosco? Desponsata enim iusto; si cum illo non conuenero, unde erit quod generabo? Sed si fieri poterit, ut concipiam intacta & generem clausa, indica modum, & inuenies paratum cor meũ. Omnibus enim modis exopto, me ego Deó meo, *vt habeam prolem, & non perdam pudorem.* Hæc autem non diceret, nisi Deo Virginem se ante deuouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est uiro iusto, non uiolenter ablaturo sed potius contra uiolantes custodituro, quod illa iam uouerat. Quanquam etiam si hoc solum dixisset. Quomodo fiet istud? neq. addidisset, quoniam uirum nõ cognosco; non quæsijsset utique sibi promissum filium, quomodo fœmina

Luc. 1.

a Andr. Hierosol. sup salut. Mariæ.

Mariæ uerbo ũ a Gabrielem germanus sensus.

Mariæ uotum qua occasione Patres asserunt.

lib. de S. Virginit. c.4. & ho. 14. de Nat. Domini.

mina

mina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & iuberi Virgo permanere, in qua Dei filius formam serui, congruenti miraculo acciperet, sed exemplo Sanctis futura Virginibus, ne putaretur sola uirgo esse debuisse, quæ prolem etiam, sine cõcubitu concipere meruisset, Virginitatem Deo dicauit, quum adhuc quod esset acceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore, Cælestis uitæ imitatio, uoto fieret non præcepto; amore eligendi non necessitate seruiendi. Hoc idem docuit Nyssenus, in hęc uerba. Si inquit Maria liberorum causa ducta fuisset a Ioseph, quomodo parituram Angelo prænuncianti, se rẽ nouam & alienam audire prætulisset? quum ipsa quoque sese obstrinxisset naturæ lege, ut aliquando Mater esset? Verũ quia carnem consecratam Deo, tanquam sanctum aliquod munus, oportebat intactam integramque pręstare, Idcirco licet, inquit, Angelus sis, licet e Cælo uenias, liceti d quod ostendis naturam superet humanam, *tamen me virum cognoscere nefas est.* Quomodo sine viro Mater ero? Ioseph. enim sponsum noui, sed uirum non cognosco. Eundem sensum licet non uerba habet Anselmus, Si, ait cuilibet uirgini desponsatæ, in animo suo nubere disponenti, diceretur, Filium habebis; non miraretur neque interrogaret, quomodo istud fieret, ut pote quæ se despõsatam & in proximo nupturam sciret, & a uiro grauidari usu naturæ speraret. Hoc aũt Maria nõ immerito mirata est, & qũo fieret, quod promittebatur sciscitatur. Quoniam quamuis despon satam, tamen nunquam se nupturam, neq. virum cognituram sciebat.

orat. de humana Christi generat.

in homil. super Intrauit Iesus in qđ dã castel.

Ad hos grauissimos authores accedit Aponius, qui Ioannẽ Baptistam & Mariam in Euangelica castitate seruãda, *veluti Principes facit & Turturi confert*, quæ compare semel amisso, coniugij societatem cum altero nunquã init, sed uitam perpetuo Cælibem ducit. Vnde quod in Cãticis legimus, *Vox turturis audita est in terra nostra*, in Maria inquit impletũ est. Quę nimirũ tanq̃ auis castissima & inocentissima, in terra licet impura & coinquinata uocem illam edidit. Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Quamdiu enim præuaricationis, uelut hyemis tempus triste, constrictumque ab omni germine bono, obtexerat faciem mundi, & in sua ditione Diabolus obtinebat terram; hæc dulcissima uox turturis, per gloriosam Mariam non est audita in terra. Sed ubi magnus ille iustitię Sol, qui nobis

Maria turtur. castissima.

lib. 4. in Cãt. Cãt.

Cant. 2.

indu-

indulgentia æstatis vbertatem adducendo, exortus est, cœpit desiderijs conseruandæ virginitatis, vox turturis in terra nostra audiri, & quæ prius impiorum nuncupabatur, nunc suam terram vel Ecclesia Dei sermo vocitare dignetur. Omitto nunc a Bernardi, b venerabilis Bedæ, c Ruperti Tuitiensis, d Honorij & aliorum sanctorum Patrum testimonia, quæ Beatam Deiparam, Principem Virginum manifesto declamant. Vnum hic prætetire nequeo, quod vt Antiquitate ita & Authoritate maius est, Mathæi, nempe Apostoli & Euangelistæ apud e Abdiam de Virginitate confessio: Hæc virgo Deipara (inquit) quũ execraretur omnem vitum, prima Deo omnipotenti vouit. Primam autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est abinitio sæculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc prima inter fœminas, hoc in cor de suo cõstituit vt diceret, *Domine offero tibi virginitatem meam;* quum hoc a nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata constituisset, vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Desideratis vos impuri mendaces, maiora argumẽta? Fidẽ Apostolo qui desponsationẽ Mariæ, gestationẽ in vtero ex spiritu, metũ Iosephi spõsi Virginis, Angelicũ de Virgine eloquiũ delineauit, denegare pgetis? Mẽdacij, Aug. Ambrosium, Epiphanium, Hieronymum, cum alijs Sanctissimis viris, insimulabitis? Beatissimæ Virginis de seipsa fatentis, quod virum non cognosco, neque cognoscere volo, verba in dubium reuocabitis? Virginem Virginis matrem, fœdarum impudicarum fœminarum ideam impudicitiæ, habere cupitis? Cesset, cesset, impura vox. Facessat lasciua & petulans lingua, sufficiat vobis ad summũ in cœno spurcitię mòre porcorũ volutari; vas admirandum, opus Dei excelsum & purissimum ne contaminaueritis. Vouere.n. quia pium & laudabile est, vouere virginitatẽ quia summæ perfectionis, & supremæ dignitatis, quam Christus a matre exigebat, vt virgo e virgine enasceretur; Beata virgo quoque a voto non aliena fuit. Si nostris non adhibetis fidẽ; ecce ex vestro cœtu habetis Bullingerum, qui dicebat, *Cognosco*, inquit, *Maria, non cognoui, nec cognoscam. nimirum vt tenax suum propositum, hoc modo rectius declaret.* Habetis & Erasmũ qui rationem cur Maria Iosepho nupserat, reddit, *vt daret* inquit, *gentis Iudaicæ consuetudini, daret authoritati parentum; & tamen Virginitas in votis erit. Id aperit quum a it, virum non cogno-*

Margin notes (left): a serm. sup sig. ũ Mariæ. b serm. 4. in Assũp. c lib. 3. in Cant. d serm. in Natju. Mariæ. e in vita Mathæi. — in 1. c. Luc. in conc. Lyturg. Virg. Lauret.

Margin notes (right): Marię Virginitatẽ Mathæus astruit. — Hæretici non nulli uotum in Maria agnoscũt.

gnosco, nam hic verbum præsentis temporis, animi propositum significat. Verum his pronunc concessimus satis. Ad vos se mea vertit oratio, N. Vtinam uel etiam nos aliquo huius castitatis studio teneamur. Præclaros fructus virginitatis iam agnouistis, splendorem & sublimitatem virginum conspexistis; Mariam principem & magistram & exemplar Virginitatis contrectastis; sponsum Christum inuitantem, ad omnium voluptatum ex suo commubio defluentium vsuram audistis. Applaudentes Angelos, vestri candoris, ac decoris ob vitæ similitudinem studiosissimos amatores vidistis. Incensæ igitur Dei amore, sponsi huius desiderio inflamatæ; formæ fragilitatem, & momentaneas carnis voluptates, vanaque mundi blandimenta & oblectamenta contemnite; veras illas stabilesque, atque iucundas animi & corporis delicias ex consortio Diuino amplectimini. Egredimini paulisper (monet Hieronymus) de carcere corporis huius, & præsentis laboris pingite ante suos oculos mercedem, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit. Qualis erit illa dies, quum vobis Maria Mater Domini, choris occurret comitata Virgineis? Quum post rubrum mare, submerso cum suo exercitu Pharaone, timpanum tenens præcinet responsuris.

Cantemus Domino, gloriose enim magnificamus est, equum & ascensorem proiecit in mare. nos deduxit ad terram fluentem lacte & melle. ubi Agnum quocunque ierit perpetuo insequemur, in sæcula sæculorum. Amen.

(*)

VIRGO

VIRGO

Ex Matrice Auroræ tibi ros Natiuitatis tuæ. Psal. 109.

CONCIO TRIGESIMAQVINTA

In qua Deiparam Mariam, Virginem esse ante Partum, probatur.

ALtissimum & supremum illud Diuinæ Omnipotentiæ, quod in vtero Virginis Deiparę, Spiritu Sacto superueniente perfecerat, opus, dum Isaias spiritualibus oculis contemplaretur, stupidus ex nouitate misterij, ab omnium creaturarum cognitione secreti, fertur admirabundus exclamasse. *Generationem eius quis enarrabit?* q. d. Illius inquã cuius non est species neque decor, quem vidimus & non erat ei aspectus, & quem desiderauimus; illius qui vulneratus est, propter scelera nostra, attritus est propter iniquitates nostras, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit; illius qui obtulit se pro nobis quia ipse voluit, cuius liuore sanati sumus; *generationem istius quis enarrabit?* Quæ mens cogitatione concipere? Quæ lingua verbis eloqui, conceptus illius secretum poterit? Quis inscrutabilem conceptum, intellectu inuestigabit? Quis ineffabilem partum effabitur? Ineffabile siquidem est, quod Creator oritur ex creatura, quod Deus nascitur ex homine; quod ille qui fœmineum vterum nescit, in fœmineo ventre, fœmineis ex sanguinibus, concretione supermirabili concipitur. Ineffabile est quod (vt Bernardus aduertit) longitudo fit breuis, latitudo coangustatur, altitudo subditur, profunditas complanatur. Ineffabile est quod in

Isai. 53.

Incarnatio ineffabile opus.

hom. 2. su. p miss. est.

in Virgineo vtero agnoſcitur, lux non lucens, verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens. Indicibile eſt, quod ex Mariæ viſceribus, videas exurgere immenſum Deum; illum qui omnia virtute ſua cuncta complectens, cunctorum ſua virtute, principium & origo dicitur. Omnem ſenſum atque intellectum ſuperexcedit, quod Sol iuſtitiæ, ille cuius nomen apud Zachariã Oriens imponitur, ille qui per Malachiam promiſſus eſt *Orietur vobis inquit timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ*, ortus ſui ducat initia, ex ſtella præcurrente. *Ex matrice Auroræ* (vt Rabini apud Danielem Finum verterunt) *tibi ros Natiuitatis tuæ*. Quis enim vnquam vidit, Solem oriri ex Aurora? Quis aliquando audiuit, Auroram parturire Solem? Naturaliter ſcimus, quia omnia ſydera a Patre ſyderum Sole lumen communicantes, quaſi ab illo originem habent. Quis vnquam agnouit, Solem a ſtellis lumen mendicare? Quis vero vidit vnquam Deum ſolem iuſtitiæ, illud lumen inacceſſibile, illam lucem quæ illuſtrat omnem hominem venientem in mundum, in tenebroſo Auroræ Mariæ vtero exurgere, & ex ea vniuerſum mundum irradiare? Ineffabile demum eſt, quod ex rore ſolius Mariæ, ex ſanguinibus ſcilicet ſolius Virginis, ſine admixtione virili, ſola Spiritus Sancti uirtute adũbrante, iſte lucidiſſimus Sol conceptus eſt. Hoc enim innuere uoluerunt ueteres Rabini; in hac ſecreta Dauidis Prophetia, *Ex Matrice auroræ, tibi ros Natiuitatis tuæ*. Quaſi enim uelint dicere, ut ego ex illorum teſtimonijs apud Finum recollegi, O Meſſias, Diuinitus nobis promiſſe, qui es Verbum, ab æterno ex corde Patris genitum; cui uerbo dixit Dominus. ſede a dextris meis. Abraam uero ſedebat triſtis, pallidam faciem habens, & dixit. Domine mi; Filius filij mei ſedebit a dextris tuis, & ego a ſiniſtris. Et Dominus mitigabit eum, qui calcabis inimicos tuos, ſub ſcabello pedum tuorum, ut pollicitus es. [a] Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſãguis eorum ſuper ueſtimenta mea. Cui dedit Dominus Virgã uirtutis ſuæ, ut Imperes in medio inimicorum tuorum. ut uidit [b] Daniel, dum te in conſpectu ſenis obtulerunt, qui tibi dedit poteſtatem, & regnũ, & honorem, & omnes populi, tribus & linguæ ſeruiẽt tibi. Populi tui Principes (ſic uerterũt, *Tecũ Principiũ*) in die virtutis tuæ, in decore ſancto, Illi ſcilicet de quibus Dauid,

Con-

Sol orit ex Aurora.

Zach. 6. Malac. 4. lib. 2. c. 9.

Rabinorum de Christo iudiciũ.

R. Ionathæ Chaldaica trãslatio. Rabi Ioſue Aegyptius. in Medraicha. Rab. Berachias. Rab. Hũna.

a Iſai 63. b Dan. 7. c. Pſ. 44.

Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, annunciantes illud in omni generatione & generatione. In omnem enim terram exibit sonus eorum, & vsque in fines Orbis terræ verba eorum. Qui Iudicabis in nationibus. omne & enim iudicium Pater dedit filio, vt sit iudex & Rector viuorum & mortuorum. Qui implebis ruinas Cœlorum, quas Angelus Apostata reliquit. Qui conquassabis capita in terra multorum. Depones potentes de sede, & exaltabis humiles, Radices Gentium superbarum euelles, & pro eis plantabis humiles plantas. Qui de torrente passionis Cedron corruens bibes; & exinde exaltabis caput. Propter hoc siquidem exaltauit te Deus, vt tibi curuetur omne genu. Tu igitur Messia cui iurauit Dominus. *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*, ex virgineo sanguine, tanquam ex rore splendentis auroræ, habebis materiam conceptus tui. Ex virgine absque virili semine, saluaque virginitate illius, virtute Diuina id operante, te concipiet ac pariet; non secus quam aurora Solem recipere sine corruptione, ac sine corruptione parere solet. Neque nullius momenti est Rabinorum explicatio. Hanc etenim confirmant nobis, pleraq; ex Sacra Scriptura, decerpta loca. ¶ Et primum illud Psalmographi, qui alludens ad hanc Prophetiam. De matricæ auroræ tibi ros natiuitatis tuæ; describens venturum Messiam alibi dicebat. Psal. 71. Ille Filius Regis, cuius nomen benedictum in sæcula, permanens ante Solem, in quo benedicentur omnes tribus terræ, & quem adorabunt omnes Reges terræ; cui Reges Tharsis & insulæ munera offerent; qui Dominabitur a mari vsque ad mare, & vsque ad terminos Orbis terrarum; qui ex vsuris & iniquitate redimet animas hominum, & animas pauperum saluas faciet. Iste igitur in ortus sui secundum carnem initio, *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia, stillantia super terrã.* Quid illud Gedeonis vellus (quærit Bernardus.) significat, quod vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area positum, & nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur; nisi carnem assumptam de carne virginis, & absque detrimento virginitatis? Cui vtique distillantibus Cœlis, tota se infudit plenitudo Diuinitatis; adeo vt ex hac plenitudine omnes accepimus, qui verè sine illa, non aliud quam terra arida sumus. Quid enim tam silenter,

hom. 2. super missus est.

Allegoria uelleris. Mariauellus Gedeonis sine utero fæcunda.

(addidit Ambrosius ante Bernardum,) & sine strepitu sit, quã quum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussio aspergit; sed sine inquietudine hominum, totum imbrem per multiplices effusum partes, toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida molitia plures præbens meatus, & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis paterettur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Recte Maria uelleri comparatur, de cuius fructu, salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus plane Maria est, si quidem de molli sinu eius, Agnus egressus est, qui & ipse matris laniciniũ id est carnẽ gestans, molli vellere cũctorum aperit vulnera peccatorum. Descendet sicut pluuia in vellus. Pluuia quippe voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suæ, placide prius & absque strepitu operationis humanæ, suo se quietissimo illapsu virgineum demisit in vterum: postmodum vero vbique terrarum diffusa est, per ora prædicatorum, non iam sicut pluuia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terrã, cum quodam vtique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Si quidem recordatæ sunt nubes illæ, quæ portabant pluuiam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quod & fecerunt. In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ser. 13. de Nat. D.

Christus Sacerdos sine Patre sine matre.

Ne vero longius ab hac Auroræ Prophetia recedamus. Habemus in eodem Psalmo Christum Messiam, non modo Regẽ sed & Sacerdotem, & non secundum quemuis ritum, sed secundum ordinem Melchisedech, futurum esse. Iurauit, inquit, Dominus tibi, & non pœnitebit eum. Quid vero ei iurauit? Quid ei iureiurando confirmauit? *Quia*, ait, *tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Quod Apostolus Paulus, clarissimis verbis Christo attribuit, in ea quã scripsit ad Hebreos. 7. cap. Reprobatio quidem, dicit, præcedentis fit mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectũ adduxit lex: introductio vero melioris spei per quam proximamus ad Deum. Et quantum est, non sine iureiurando (alij quidẽ

sine

sine iureiurando Sacerdotes facti sunt, hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum,) intantum melioris testaméti, sponsor factus est Iesus. Et alij quidé plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Verum quorsum ista? vt sciremus quod sicut Melchisedech Rex Salem qui interpretatur Rex pacis, & Rex iustitiæ *fuit sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei; Sic & Christus*, aiebat Chrysostomus, ipsa natura Diuinitatis, & sine initio & sine fine est. Sicut enim istius nescimus, neque initium dierum, neque finem vitę, non quia non est, sed quia nō est scriptū; sic & nescimus Filij Dei, vel initium vel finem, non quia non est scriptū, sed quia hoc est veritas. Sicut illius nescimus neque Patré neq. matrem; non quia non est, sed quia nō est scriptū; sic & Filij Dei, nescimus Patré neq. Matré; nō quia nō est scriptū, sed q̃a hoc ē veritas. Nescimus .n. eius Matré, dū ab æterno, ex corde Paterno, in Sanctorum *splendoribus ante Luciferum genitus est*. Nescimus eius Patrem, dum in tempore, *ex matrice Auroræ, Deiparæ Virginis sanguinibus*, sine viri commixtione verbum caro factum est. Decuit Filium Dei, Deo Patri similem fieri (dicebat pulcherrime Firmianus) vt sicut Pater Deus, & origo & principium rerum, quoniam parentib. caret *ἀπάτωρ*, & *ἀμήτωρ*, id est sine Patre, & sine matre, a Trismegisto verissime denominatur, quod ex nullo sit procreatus. Idcirco & Filium bis nasci oportuit, vt ipse fieret Apator atque Amitor. In prima enim Natiuitate spirituali Amitor fuit, quia sine officio Matris, a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero natiuitate Apator fuit, quia sine Patris officio, virginali vtero procreatus est. Magnum est equidem hoc & ineffabile sacramentum. Magnæ admirationis gratia, vt fœmina sit mater Dei vnigeniti, Domini & Regis omnium, plasmatoris & creatoris cunctorum. Ineffabile est, ut eadem sit Virgo & mater Domini, ipsa & genitrix & eius ancilla, ipsa plasmatio eius, & ipsa quæ genuit. Quis vnquam ista audiuit? Quis vidit talia? & quis cogitare potuit, vt mater Virgo esset, & intacta generaret? vt idem Dei Filius, & inexcel-

Marginal notes: hom. 12. in epi. ad Hebræos. — Lactantius li. 4. de vera sapientia.

sis esset sine Matre, & in terris sine Patre? vt Sol ex aurora prodiens, rore splendidissimæ stellæ obtegeretur? Non potuerunt scire, huius magnitudinem mysterij plerique. Nequiuerunt aciem sui intellectus figere, in huius Solis Diuini conceptum Iudæi. Occæcati nouitate, & splendoris maxima atque inaccessa claritate istius conceptus, & veteres & noui Hæresiarchæ, quod mente concipere, & intellectu comprehendere non potuerunt, voce blasphema negarunt. Rabini infensissimi Mariæ hostes, de quibus Bruno hanc sententiam tulit. Reuera, inquit, nulla creatura est, quam sic Iudæi habeant odio, sicut Mariam & eius Filium. Isti inquam scelestissimi homines, incredibile aiunt, vt homo sine virili semine, nasci ex sola Virgine possit. Prodierunt demum Apostolorum tempore (vt Sancti Patres reliquerunt) ex Iudæis, Ebion & Cherinthus; Qui sicut in Christum Dei Filium Dominumque nostrum, sic etiam in Sanctissimam Matrem eius Mariam, contumeliosi & blasphemi, hoc impiæ doctrinæ sparsere venenum. Deiparam, ne ante partum quidem Virginem mansisse, sed ex Iosepho suum filium sustulisse, quemadmodum & Clemens Romanus, Hebionitis velut Iudaicarum hæresum Patronis ascribit. Et ne aliquid, nostro infœlici æuo, maledictorum errorum deesset, nostri Nouatores in Matrem Domini, maledicam edocti vibrare linguam, Turcis rabidiores & feraciores, rabiem Ebionitarum & stupiditatem Iudæorum ab inferis reuocantes, Deiparam Virginitate in concipiendo spoliant. Oecolampadius .n. & Caluinus, & Erasmus, testimonium illud pro Virginitate Mariæ firmissimum, ex Isaia ab Angelo recitatum, & perpetuo vsu Sanctorum Patrum, in Virgineo suadendo conceptu roboratum, arroganter eludunt. Apud Hebræos (inquit) vox est anceps, vt quæ tum puellam significet, tum absconditam; & si cum contentiosis agatur, quantumuis Alma significet Virginem, non tñ euincemus, ex his verbis Virginem fuisse, q̃ conceperit. Quo eorũ studium tẽdat? Quoue aĩo interpretatio hæc extorta, Iudaico fermẽto respersa facta sit, non est difficile conijcere, Nimirũ vt Virginis nomen aboleant, nec tantum honoris, Parenti Messiæ deferant, & illud quod Ecclesia occinebat. *Non ex virili semine, sed mystico spiramine, Verbum Dei factũ caro, fructusq. vẽtris floruit*

Iudæi infensi Mariæ hostes.

Hæreticorũ infanda de Christi cõceptione blasphemia.

serm. de Annunciat. B. M.

Tertul. li. de carne Christi Iren. li. I. adu. Hæres. ca. 25. Epiph. hæres. 28. Theo. de falsit. hæret.

in I. cap. Matth.

ad Trallianos & Magnesianos. *floruit. Miretur hoc omne sæculum. Talis enim decet partus Deum,* totis conatibus opprimant. Sic, sic lumen indeficiens Solis iusti tiæ in terris exorientis, oculos istorum scrutatorum excæcauit; 3. Reg. Sic, sic Deū *qui posuerat tenebras interiorum Virginis latibulum suum,* inquirentes curiosi, palparunt sicut cæci errorum parietē. Sic, *scrutatores maiestatis, oppræssi sunt a gloria.* Sic fauū mellis in aluo Mariæ, sine semine virili melleum mundo effectum, multū manducantes clamarūt. *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Melius & equidē securius erat, (ad vos clamito, qui Partum Virgineum cum illis antiquis, ab Ignatio recitatis, calumniamini) equidem satius erat, obtecto vultu vt quondā fecit Helias, Dn̄m *non in cōmotione virili; non in igne carnalis flammæ; nō in spiritu libidinis conterentis petrea & solida Virginitatis mēbra sed in sibilo auræ tenuis, in Spiritu Sancto superueniente, & in virtute Diuina obumbrante* venientē intueri. Non scrutari sed adorare; non inuestigare sed venerari; non cogitatione compræhēdere velle, sed *fidei pallio circumamictis oculis credere. Posuit enim tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, Aqua roris illius Auroræ, ex qua lumen hoc exortum est tenebrosa est. Exortum est enim in tenebris, lumen rectis corde.* Cherubinis superposuit pedes suos, & volauit ab intellectu creato. Cherubini etiam ipsi, non audent contueri, Sacratæ illius humanitatis pedes, superpositos humeris illorum, *Angeli enim nunciant Mariæ, Incarnationis mysterium,* sed duabus alis contegunt illos, & obumbrant faciem suam, ne a fulgore tanti splēdoris cæcutiant. Quid? vos vespertiliones, in inuisibile lumen, aciem vestram infigetis? Vos noctuæ ad incessam lucem, sano obtutu accedetis? Quid facient noctuæ, vbi Aquilę cæcutiūt? vel quō hoīes aspiciēt, si Cherubini non intuentur? Impossibile est mihi, ait Ambrosius, generationis scire secretum. Generationem eius, non dico vis orationis explicare, sed neque mens atque cogitatio complectere potest. Quid enim reliquisset sibi, illa incompræhensa maiestas, si ab homine compræhenderetur? Quonam modo hominem excederet, si humano more conciperetur? Sed neque humanum modum enascendi, illi concedītis. Si & enim primi hominis conceptum reuocaretis in memoriam; Christus vero est etiam primus homo, primogenitus omnis creaturę; non inferior sed superior Adamo; consequens

Allegoria Heliæ Deum videntis.

Antithesis Adā et Christi quoad cōceptum.

est, vt sicut ille primus Adam, de terra terrenus, sed de terra im maculata, & (sicut Veteres Theologi dicunt) Virgine formatus prodijt, ita profectò decebat, ait Irenæus, eandem Dei virtutē accedere, vt alter Adam Christus, non nisi ex matre Virgine procrearetur. Quod argumentum, Basilius pulcherrime persequitur. Quando inquit primus Adam, non ex viri ac fœminæ congressu, processit ad ortum, sed ex terra formatus est, vltimus Adam, vt veteris illius contagionem corruptelamque immutaret, & instauraret sua nouitate, corpus assumpsit in Virginali vtero formatum, vt per carnem, in similitudinem esset peccati. Adiecit Ambrosius. Adam, ait, de terra virgine natus est, & Christus de Maria Virgine procreatus. Illius maternum solum, necdum scissum fuerat; istius Maternum secretum, nunquam concupiscentia violatum. Adam, Dei manibus plasmatur ex limo: Christus Dei spiritu, formatur in vtero. Vterque oritur cum Patre, vterque Virgine vtitur Matre. Nec solum Adami, sed & Euæ rationem habent a Irenæus. b Tertullianus, Augustinus & d Cyrillus Hierosolymitanus, cuius verba sunt ista: Eua ab initio de quo nata est? Quę mater concœperat illam, quæ matrem non habuit? Dicit enim scriptura, quod de latere facta est Adam. Nunquid igitur Eua quidem de latere viri, sine matre nascitur; de Virginali autem vtero, nihil sine viro nascetur? Mutuata est a viris fœmineo generi gratia. Eua enim ex viro nata est, & non ex Matre concepta, sed ex solo viro tanquam partu edita. Reddidit igitur Maria, gratię huius mutuum officium, & non ex viro, sed ex ipsa sola impollute, ex Spiritu Sancto virtuteque Dei peperit. Post e Ignatij, eiusdem argumenti Antithesin, non mihi licet præterire Fulgentium, Christum Adamo comparantem. Primum hominem, aiebat, mulier corrupta mente decepit; secundum hominem, Virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge, nequitia Diaboli seductam deprauauit mentem; in secundi aūt hominis Matre gratia Dei & mentem integram seruauit, & carnem. Menti contulit firmissimam fidem; carni abstulit omnino libidinem. Ille de limo plasmatus, terrenos protulit: iste de Spiritu Sancto natus, Cælestes efficit. &c. Quia in conditione generis humani, quę de solo viro facta est, contigit vt mortis vinculo teneremur obstricti;

li. 3. cōt. hęr. c. 33. li. de vera Virg.

serm. 37.

a lib. 3. c. hęr. c. 33. a lib. de carne Christi. c ser. 5. in Nat. Do. d Cathe. 12.

strincti; hoc in redemptione humani generis, Diuina bonitas egit, vt p virū, q̄ de sola muliere natus ē, vitā hoīs redderet. Illic humanā naturā nequissima deceptione, sibi Diabolus in peccatis similitudinē sociauit, hic Deus humanā naturam, in vnitate personæ suscepit. Ibi fœmina decepta est, vt fieret filia Diaboli; hic virgo gratia repleta est, vt fieret Mater, summi atq. incommutabilis vnigeniti Dei. Ibi Angelus deiectus per superbiam, seductæ mulieris animā obtinuit; hic Deus humilians se per misericordiam, incorruptæ virginis vterū, ex ea nasciturus impleuit. Si igitur Christum Dominum, celsiorem esse Prothoparente iudicatis; si primū parentē, & primā matrē typū gessisse Virginis & Christi asseritis; Primus aūt homo ex terra, nondū ope re cōpræssa, aut semente subacta, effictus est; cur & nouissimus Adam e terra Virgine, sine semine nasci non debuit? Prima mater, de viro sine matre enixa est, cur igitur Christus, ex Virgine, sine viro procreari non potuit? Non putatis (a vobis, cum Maximo requiro) Deum, nouum puerum in alto Virginis potuisse formare, qui cum primum conderet hominem, nec semen Patris, nec viscera materna quæsiuit? Dic mihi quicunque es supernæ dispensationis arbiter & discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse Virgini, aut perfectum hominem creasse de terra? Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostræ, sine viro puella asseritur concepisse, cuius quæso naturæ est, quod in Parente generis nostri, caro sine carne formata est? Quæ est ista ratio? imo quam cæca contentio, vt non credatur, Deus facere hominem posse de fœmina, quem creditur fecisse de puluere? Si omnipotentis, o homo, in negotio tali perspicis esse voluntatem, de opere cur retractas? Omnia enim sicut legitur, Dominus quæ voluit fecit, in Cœlo & in terra. Dicito mihi (vt ad alia rursus transeamus) quid est difficilius, vtrum sterilem & senem, muliebribus iam deficientibus parere, aut Virginem iuuenem generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus iam muliebribus, præter naturam peperit. Igitur cum & sterilem, & Virginem parere, sit præter naturam, aut vtrumque nega, aut vtrumque concede. Idem enim Deus vtrumque operatus est. Neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo. Et

hom. 3. in Nat. Dom.

Cyril. Cathe. 12

Mirabilia quę fecit Deus.

rursus. Quæ natura manum hominis, vna hora in diuersas species mutare potest, & rursum restituere? Quomodo igitur Moysis manus, sicut nix alba apparuit, & rursus statim illa albedine restituta est? Sed dices, quia Deus voluit, mutata est. Illic Deus volens potest, hic autem non potest? At illud quidem signum ad Aegyptios tantum; hoc autem datum erat signum vniuerso Orbi. Rursus, dicite mihi o Iudæi vel Iudaizantes, vtrum difficilius est, Virginem parere, aut Virgam in animal mutari? Confitemini quod tempore Moysi, rectissima virga, serpentina specie facta est, & horrenda etiam projicienti illam fuit; vt qui antea teneret virgam, paulò post fugeret illam tanquam draconem, reuera enim Draco erat. Fugiebat autem, non metuens id quod tenuit, sed timens mutatum. Dentes habuit virga, & oculos draconis. De Virga itaque oculi pullularunt, & de vtero Virginis, puer non nascetur Deo volente? Taceo hic, quod virga Aaron, & reliquæ arbores, per annos plurimos faciunt, hoc per vnam noctem fecit. Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiam si in medijs fluminibus plantetur, nunquam florebit? Sed quum Deus, non naturam arborum sequatur, verum naturæ est factor, etiam infructuosa siccaque virga, & sine cortice effloruit, & nucum fructum protulit. Qui igitur virgæ, propter typicum summum Sacerdotem, præter naturam fructum tulit, nunquid Virgini, vt verum Sacerdotem summum pareret, hoc non conferret? Quid deinde incredibile, (ita argumentatur Augustinus) est, si contra vsum originis naturalis, peperit Maria & Virgo permanet? ser. 14. de Nat. D.

Ipsa lex quam quotidie legis, sine graphio scripta est, in tabulis lapideis. Lege & intellige, quod panem in eremo terra produxerit, cuius semen arator nullus induxit; Virga etiam Aaron, annis siccata plurimis, sine aqua reuixit, in templo floruit, nuces produxit: Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stillo ferreo, ipse grauidauit Mariam spiritu Sancto: & qui produxit panes in eremo, sine aratione, ipse impregnauit Virginem sine corruptione; & qui fecit Virgam, sine humore folia germinare, ipse fecit filiam Dauid, sine semine generare. De potentia igitur Diuina, iam vobis exemptum esse scrupulum confido. Remanet Deum

omni-

omnipotentem, voluntate sua occulta desiderasse, vt Virgo sine viro, sola Diuina virtute conciperet. Hoc vero vnde clarius demonstrare possumus, nisi ex illo veteris legis Euangelista, Isaia propheta? Illius enim testimonium, voce Diuina demandatum, adeo est graue, tam illustre, tam apertum, vt non nisi ab æreæ vel lapideæ mentis homine, renegari potest. Quod etiam ipse Angelus tanti æstimauit, vt illo omnem anxietatem, Iosephi ex animo eius fugaret. Is igitur introducens Achaz ab inimicorum exercitu obsessum, colloquentem cum Deo, de futura victoria obtinenda vt tanto facilius crederet Deo promittenti, non vt olim Gedeon petijt a Deo signum, sed ipse Deus præcepit illi *Pete tibi signũ, a Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Cui ille pauidus respondit. Non petam, & non tentabo Dominum. Dñs vero, quia sæpius spiritualiũ bonorũ copiã, sub umbra quadã corporaliũ, ministrabatur populo suo. subiecit. non in signũ Triumphi, quem reportaturus erat, de duab. caudis titionum fumigantiũ, Rasin Regis Syriæ, & filij Romeliæ; sed in signũ eliberationis de captiuitate Sathanæ in qua detinebantur, & a qua educi postulabãt. *Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Hoc vaticinium, tãti fecerunt Patres, vt eo quasi semper vsi fuerint, ad retundẽdã stupiditatẽ Iudaicã. Nolo hic adducere ꝙ ijsdẽ uerbis, hãc sentẽtiã oẽs protulerint *Ecce virgo,* non vero, ut Erasmus & Caluinus, Ecce adolescentula vel ecce abscondita. Hieronymus, Hebraicæ & Chaldeæ & Græcæ linguæ peritissimus, sic vertit *Ecce Virgo concipiet; & pariet filium & vocabitur nomen eius Emanuel* Alij vero *Ecce Virgo prægnãs, & pariens filium, vel vt* Vatablus cum Pagnino *Ecce Virgo prægnans & fœta* His verbis *b* Iustinus Martyr, *c* Irenæus Martyr, *d* Origenes, *e* Epiphanius, *f* Eusebius, *g* Basilius, *h* Tertullianus, *i* Cyprianus Martyr, *k* Lactantius Firmianus, *l* Bernardus, & alij Sancti, eandem sententiam efferebant. Nec est vera, aiebat Irenæus, quorundam inter prætatio, qui ita audent interpretari scripturam. Ecce adolescentula habebit in ventre, & pariet filium. Præuidebat scilicet vir doctissimus ingenia Nouatorum, qui Iudæis potius quam B. Deiparæ applaudentes, hęc verba, contra Sacræ scripturæ sensum, intorquere voluerunt. Sic & septuaginta illi, tum apud ipsos Iudæos,

Isa. 7.
Virginitatis Mariane ex Isaia assertio.
Alma. Patres Virginẽ reddiderunt.
a in 7. c. Isa.
b in Dialog. cum Triphon.
c li 3. cõt valent.
d li. 1. cõ. Celsum.
e hær. 77.
f lib. 7. de demonst. Euã. c. 1.
g li. hom. de humana Christi gener.
h lib. de carne Xpi
i li. 2. adu. Iudęos.
k li 4. de vera sap.
l super missus.

puella quæpiam sit paritura? Quomodo prętcrea Deus erit, qui ex illa nascetur? neq; simpliciter Deus, sed nobiscũ Deus? Hoc cine signũ m, quod corrupta ex corruptione conceptura erat, Diuina maiestatè dignũ est? Quod miraculũ? Quę nouitas vt puella cũ viro congrediés, & cõcipiens filiũ parturiat? Hoccine mirandũ, arrabonẽ suarũ promissionum, Deus populo afflicto obsignanit? Non est vulgare hoc signũ: Omniũ super excellit intellectũ, quod Dominus daturus, nec Regis pertinacia, nec Gentis indignitate detineri poterat, quominus prenũciaret. *Ecce virgo intacta & immaculata concipiet sine viro, virgo & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ, eius Emanuel, nobiscum Deus.* Nõ vocabitur nõ mẽ eius Ezechias. Iã &.n. Ezechias Patri suo natus erat, antequam regnare cępisset Achaz. Promissio aũt hęc facta est, iam Patre eius Achaz regnãte. Nõ vocabitur nomẽ eius, filius Isaię, vt Rabini peruertunt. Isaię.n. filius non erat vocatus, nobiscum Deus, si hæc Iudæi (ait Origenes & Eusebius) ad Ezechiam, vel Isaię filium referũt, & dicãt hunc esse, qui Patri suo futurus oraculo promittatur; videant, quomodo aliquis horum fuerit, *nobiscum Deus;* aut quodnam signum, sua maiestate dignum in illo ostenderit. Illius ergo quem virgo concipiet, & virgo parturiet, vocabitur nomen Emanuel, nobiscum Deus. Ille de quo inferius Prophetabat, Paruulus natus est nobis; & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerũ eius, & vocabitur nomẽ eius Admirabilis, Cõsiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sęculi, Princeps Pacis. An vero hęc cõgruere Ezechię filio Achaz, vel filio Isaię dicetis? Ezechias, vel ille alter, gestauitne Principatũ super humerũ suũ? Fuit ne aliquis ex istis Admirabilis, Deus, Prĩceps Pacis? Minime Solus virginis Marię filius Saluator noster, *gestauit principatum.* Crucẽ.s. *in humeris suis.* Dominus.n. regnauit a ligno. *Solus fuit ad mirabilis in nascendo,* dũ ex virgine intacta, intemerato eius vtero, caro factus prodijt, *Solus consiliorũ Euangelicorum* inspirator. *Solus Deus ab æterno* de Deo vero genitus, Deo vero consubstantialis. *Solus ille fortis,* q fortis Sathanæ castra munita inuasit; vectes ferreos inferni con fregit, Diabolũ è mũdo pepulit, & in abysso profunda colligauit. *Solus ille Pater futuri sæculi,* In hoc.n. venit, vt nos regeneraret, in spem viuam hæreditatis æternę. *Solus Princeps Pacis* quẽ in terras veniente, Angeli cõcinebant. Et in terra pax hominib.

Verba hæc soli Mariæ cõueniunt.

Isai. 9.

Christi nomina ex Isaia.

Solus

Solus princeps pacis, qui resurgẽs a mortuis, pacẽ discipulis nũciabat. Pax vobis, Pacẽ meam do vobis, Pacem meã relinquo vobis; qui Apostolis pacẽ Euangelizare pręcipiebat. In quamcũq; domũ intraueritis, dicite. Pax huic domui. Ipse est de quo alibi Isaias dicebat. Et ascendet sicut virgultũ, & sicut radix de terra sitienti, (vel secundum Aquilam) de terra inuia. *Nascetur Christus, sicut virgultum, sed mirabiliter, de terra aridas*. virgine Maria, uirili semine non irrigata. Alij uerterunt. *Ascendet sicut puerulus lactens, aspectu de terra sitienti & inuia.* Christus.n. paruulus ille virgineis uberib. lactatus est, & ex matre prodijt, sicut de terra sitibunda. Quoniam, secundum Origenem, & Hieronimũ, carnis affectu & uiri cõgressu semineq; uacua, sed ob ardorẽ & plenitudinem spiritus simul æstuante; terra inquam inuia, quia & in Partu, & post Partum uirginitatem suam, hęc mater integram conseruauit. Agnouerunt hoc idem, uestri Rabini explanantes illud Psaltis. *Veritas de terra orta est, & iustitia de Cœlo prospexit*. Hęc.n. uerba, de aduentu Messiæ interpretantur; cuius natiuitatem disparem esse alijs nascentib. enunciarunt. Volens prætereo aliorum Rabinorum, s. R. Berachiæ, R. Hacçadas, quem magistrum nostrum sanctum appellatis, R. Hunna. R. Simeon Ben Iohai. & aliorum plurimorum, quorum Galatinus & Hadrianus, Finus meminerũt, Aethiopem.n. lauarẽ. Ad te Caluine, & Erasme, & Oecolãpadi me cõuerto. Quid est per Deum? Quę uos uesania cępit, ut Archangeli oracula repudiantes, locum quo Angelus subdubitãtem Iosephum solatus est, in controuersiam uocetis? ex his uerbis, nõ euinci uirginem fuisse, quæ concepit? Angelis ipsis uos sapientiores esse, præsumptuosis uocib. dicetis? Angelus Iosepho testatur. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. uos non de Spiritu Sancto, sed de Ioseph, filium sustulisse asseretis? Si de Spiritu Sancto, quomodo de Iosepho? Si de Iosepho, quomodo de Spiritu Sancto? Angelus, uerbis Prophetę rem nouam, & admirandam confirmat. *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium*; ratus hac potissimum uia, suspicionem Iosephi quam habebat de Maria, ne ex adulterio concepisset, extinctã iri uos dicitis, quod ex his uerbis, non euincemus uirginem fuisse quę conceperit? Angelus Mariæ sciscitanti. Quomodo fiet istud, quia uirum non cognosco, Respondet. *Spiritus Sanctus superueniet in te*. Q. d. ut

Isai. 53.

hom. 17. in Genes. lib. 14. in Isai.

Gabrielis verborũ explicatio.

Andreas

Andreas Creten. aduertit. Cogita quomodo virga floruit; quomodo petra aquam effuderit, vnde nam fuit grauida? Quomodo rubi ambusta ignis pertransierit, Eum qui tam hæc quam illa fecit, vnus Deus & idem homo, nempe qui in vtero tuo gestatur. Nouo enim & præter naturam modo, eius quo tu grauida es, pura Mater eris. Non sicut Elisabeth, nec velut Anna quæ peperit; Illæ enim virili perfusæ semine, matres factæ sunt; tu vero absque viro filium paries, sine semine tibi conceptum. Et si modum, quo id fieri potest ambigis, hunc quoq; tibi aperio. *Spiritus S. superueniet in te.* Non, n. ex viri voluntate, neque ex voluntate carnis, qui nascetur prouenet; nō carnis interueniet voluptas, Matris Dei partui. Naturæ quippe terminos superat; & si naturali prorsus ratione destitutus est, eximiam igitur & naturali præstātiorem, ortus sui rationem habet. Hisce debetetis potius assentiri; hæc fide humili non curiosa complectere. Christus. n. est *a lapis ille probatus pretiosus*, qui fecit vtraque vnum, & cui innititur omnis edificatio spiritualis; *excisus de monte sublimi Maria, sine manibus humanæ operationis.* Christus est *b flos ille campi & lilium conuallium*, flos uitali campo exoriens, qui nec aratro scissus, neque rastro uexatus, neque sarculo defossus, nec manu hominis seminatus est, tamen incomparabile medicamentum animarum progerminauit. Christus *est vermiculus ille ligni*, *c* ad instar vermis natus, cuius non est aliunde semen, sed in ipsis & ex ipsis in quibus coalescit corporibus, origo est. B. vero *d Virgo est hortus conclusus, in quo summus ille hortulanus, inter lilia pascit, ac cubat in meridie.* B. Virgo *est rosæ Hiericontinæ plantatio*, quę florem sine semine emixa est campestrem. B. Virgo *e est nubes leuis illa*, qua se contegens Sol iustitiæ, ascendit & ingressus est Aegyptum, in quo idola uitiorum ad ipsius aduentum corruerunt: *Ex huius nubis rore, sine ex huius Aureæ comantis Auroræ, rorem Natiuitatis suę accepit Christus oriens; & hac aspersus, nostræ se infirmitati subiecit.* Cuius Virginei Partus calumniatores, Christe Iesu splendor Patris illustrare, nosque tuos præcones, in Cælesti Patria collocare digneris, in sæcula sempiterna Amen.

Luc. 1.
in Salut. Angel.
a Hieron. ad Eustoch. Virg.
Iren. li. 3. cōtra hæres. c. 38.
b Aug. tract. 9. in Ioan.
Rupert. lib. 1. in Cant.
c Orig. hom. 14. in Luc.
Bern. ser. de pass.
d Ambr. epist. 82.
Nyssen. de Nat. Domini.
Andrea Hierosol. de dormit. Deiparæ.
e Ambr. de inst. Virg. c. 13
Hieron. li. 7. in Isai.

Allegoriç Christi incarnationis.

VIRGO

VIRGO

Porta hæc clausa erit & non aperietur. Ezech. 44. cap.

CONCIO TRIGESIMASEXTA.

In qua Dei Genitricem, Virginitatem in Partu illibatam seruasse defenditur.

PERPETVAM Virginitatem Beatissimæ Deiparæ, contemplatus olim Ezechiel Propheta, Mariam Virginem cuiusdam Portę hieroglyphico adumbratam, prænunciabat. Conuertit me, ait, Dominus ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur; & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel, ingressus est per eam; eritque clausa Principi.* Hoc breui schemate, tale quid voluisse nunciare Propheta, mihi videtur. Conuertit me, ad viam portæ Sanctuarij exterioris. Illius scilicet Sanctuarij, in quo Deus non in vmbra, neque in nebula, nec in archa lignea inclusus recubabat; sed Trabea carnis nostræ circumdatus, in Archa aurea vitali gestabatur. Quem enim cæli cælorum, & terrę amplitudo capere nequiuerant, ipsa in gremio suo contulit. Conuertit me ad portam sanctuarij exterioris, in quo non Archa, sed thesaurus sapientiæ & scientiæ Dei reconditus est & in quo Margarita illa pretiosissima, de altissimo vertice Cęlorum deportata absconsa fuit; in quo nō propitiatoriū aureū, sed *propitiatio pro peccatis & nostris, & totius mundi*, collocata erat; vbi non duo Cherubini, sed celsiores atque sublimiores

Maria Sāctuariū.

Hac allegoria explicant. Virginitatē Mariç in partu. Chrys. hom. de Ioan. B. Hieron. in 44. ca. Ezech. Ambr. de inst. V. c. 8. Aug. ser. 2. & 14. Nat. D. Emis. sen. ho. 1. de Nat. Damasc. lib. 4. de fide. Ruffin. in expositione simb.

res naturæ, Diuina scilicet & Humana, Misericordia & iustitia, mutuo se respiciunt, & exosculātur, & ineffando modo copulantur: in quo Sanctuario exteriori, vtero scilicet Mariæ, non mensa propositionis circundata auro, sed ipse panis Angelorū, de Cælo descendens, omne in se delectamentum, & omnem suauitatis saporem habens repositus fuit: non candelabrum septiforme aureum, sed ipsa lux inaccessa, lux vera de luce vera, Sol ille iustitiæ exoriens in Altissimis Dei, & illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, nube leuissima immaculatæ carnis amictus & circuntectus refulget. Conuertit me in Spiritu Dominus, *ad viam portæ quæ respiciebat ad Orientem.* Hæc enim porta, non ad Aquilonem vnde panditur omne malum, sed ad exortum spectat, vnde Sol nouus & renouator omnium, idemque Princeps Pacis, & Pater futuri sæculi oritur, & egreditur; vnde vita, salus, redemptio, Iustificatio, Resurrectio, & Beatitudo cunctorum procedit, per quam nihil illatum est mortiferum, nihil perniciosum, nihil maledicto obnoxium. *Conuertit me Dominus, ad viam portę huius Sanctuarij*, vt contemplarer, quomodo pateat Principi pacis Saluatori nostro, Quem ad modum ex eius Virgineis claustris, lucidissimus Sol effulgeat, An obseratis hostijs? an vero effracto poste? An temerata Virginea integritate? an vero seruata ab omni corruptione? Et dixit Dominus: Audite nunc, vos omnes Noui Iouinianistæ, qui surda aure inuiolatam Virginitatem Mariæ pertransitis. Dixit Dominus ad me: *Porta hæc per quam ingreditur Deus Israelis Saluator*, & per quam Princeps Regum terræ, Rex Regum & Dominus Dominantium & Princeps Pacis sempiternæ, intrat in Orbem clausa erit, eritque clausa & Principi: Inuiolatis enim claustris vteri Virginei, per eam exibit. *Porta in Domo Domini clausa*, quid est (ait Augustinus) nisi quod Maria erit semper intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est, quod Dominus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quia Spiritus Sanctus imprægnauit eam? Et quid est, clausa erit in æternum, nisi quia Maria Virgo ante partum, Virgo in Partu, Virgo post Partum? At oblatrantes, insani homines, commaculantes atque cōspurcantes Virginitatem, & Virginitati Mariæ bellum turpissimum inferentes, antiquarum Iouiniani hę-

Maria porta clausa.

ser. 14. de Nat. D.

resum

Hæreticorũ de Maria Christum generãte iudicium.

rersum inuentores Hæretici, nobis hic percupide obstrepunt. Petrus matyr Apostata, virginis Mariæ infensus hostis, ausus est est contendere, Deiparæ vterum, post partum nõ mansisse clausum, ac si Christus matris vterum nascendo aperuerit. Nec iste solus, hunc suum infandum retinuit errorem; amplexi sunt libenter & alij impudentes Mariæ aduersarij, Caluinianæ factionis sectarij, crassa ignorantia laborantes, dixerunt Quomodo fiet istud, vt sine aperto matris vtero tanta moles, totque mensium fœtus elabetur? Nisi hallucinor, mouit illos forsan, ad hunc errorem complectendum, illud, quod in purificãdæ virginis ratione, ex Sacro Exodo a Luca ad fertur. Tulerunt, inquit Euangelista, puerum Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. *Quia omne masculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur.* Si igitur Christus aperuit vterum virginis, quomodo porta clausa, & non aperietur Principi? Et si non aperietur Principi, sed clausa in æternum manebit, quomodo adaperiens vuluam? Illa vero virgo permansit, quę vtero suo protulit infantem? Illius vterus apertus non est, de cuius ventre, gygas immensus Deus egreditur? Illane virgo erit, quæ vberibus suis infantilem releuat famem? quæ teneris labris, lactis guttas candidi, e suo pectore infudit? Quomodo virginitas conceptu clarescit? Partum, virginitas comitabitur? Generatio assignabit virginem? Quis vnquam audiuit simile, vt virgo mater sit & virgo permaneat? ¶ Verum quidem est, (vt vestræ ignorantiæ aliquid cum Bernardo concedamus) quod hæc mixtura, vt Maria sit & virgo & Mater, admirabilis est plane, sed singularis. A sæculo quippe non est auditum, quod virgo esset quę peperit; & quod mater esset, quæ virgo permansit. Nunquam iuxta rerum ordinem, virginitas vbi fęcunditas prædicatur, nec facunditas, vbi virginitas integra conseruatur, Admirandũ est, ꝙ uirginitas cõceptu clarescit, ꝙ partũ uirginitas comitetur, ꝙ generatio assignet virginẽ, ꝙ virginitas probet matrẽ, & Matrẽ vicissim virginitas glorificet. Sẽsum excedit humanũ, quod virginem, matris grauitas honoret; & decus maternum consequatur virginitas, decus vero virgineum, magis fœcunditate seruetur. Super communem omnium generationem est, vt virgo puerulum pariens, virgo persistat. Sola, sola hęc est B. Deipara

Beza lib. de omnipot. carnis Christi.

Luc. 2.

Maria uirgo in partu.

Ildeph. li. de virg. Mariæ. c. 2.

para(vt ad Bernardum regrediamur)in qua virginitas & fecun ditas obuiauerunt sibi. In ea semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum. Sola est, quæ nec primam si- milem visa est, nec habere sequentem. Sola est in qua noua il- la stupenda miracula, operata sunt. Postularunt olim Patres à Deo dicentes. *Innoua Domine signa, immuta mirabilia*, quo- niam prima consuetudine viluerunt. Plane enim solis ortus & occasus, terræ fęcunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt & magna miracula. Sed toties hęc vidimus, vt iam non fit qui attendat. *Innoua signa, immuta mirabilia*, Innoua illud miracu lum miraculorum maximum, vt de rore Cœlestis auroræ, exo- riatur Sol exoriens, & nubes illa leuis pluat iustum. Immuta antiqua mirabilia, quia nobis non profuerunt. Innoua signum illud, quod Regi obstinato dedisti. Ecce virgo concipiet, & vir go pariet filium. Et respondit Deus, *Ecce ego noua facio omnia* Quis hoc ait? Agnus vtique qui sedebat in Throno. Agnus totas suauis, totus delectabilis, denique totus unctus. Sed vbi hæc innouat noua signa? In Maria matre, cuius conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. In sola virgine nostra, mu- tata est maledictio Euę. Sola Maria inter mulieres, non male- dicta sed potius benedicta. Sola virgo peperit, & post partum inuiolata permansit; fœcunditatem prolis cum carnis integrita te, & gaudium Matris habens cum virginitatis honore. Cæte- ræ fæminæ dum virgines sunt, matres esse nequeunt, & dum matres efficiuntur, virgines permanere non possunt. Aliarum matrum infantes, signacula pudoris antea viri libidine corru- pta aperiunt, in mundum intrantes. Paruulus iste qui natus est nobis, inuiolato thalamo processit. Vt enim Sol visibilis, per vitream fenestram in interiora cubilis, radios suos transfundẽs sine aliqua corruptione inuiolatus illabitur, ita Sol iustitię Chri stus, exoriens ex ista matrice Auroræ, intacto vtero fulgidissi- mæ stellæ exortus est. Confitetur hoc idem de ipsa sanctissi- ma virgine Augustinus. Erat inquit, virgo Maria & Mater, & virgo. Vbi virginitas concepit, integritas parit. Christus eodem Omnipotentię signo, & conceptus, & natus, virginem habuit matrem, quum portaretur in vtero virginis, & quum ex vtero funderetur. Virgo genuit, quia virgo concepit. In- uiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobiq; mi-

In Maria innouantur signa immutantur mira- bilia.

Apoc. 5.

ex variis serm. de Nat. D.

hom. de hu. Chri sti gen. lib. 1. côt. Pelagianos.

quia uirtutem concipiendi Mariæ tribuit, ut uirtute Diuina obumbrante, ex suis castissimis visceribus, efformaret membra infantilia. Qua propter dicebat Nyssenus, hoc legis decretum, in solo Incarnato Deo singulariter, & ab alijs differenter impletum esse. Ipse namque solus ineffabiliter conceptus, ac incomprehensibiliter genitus, Virginalem vterum aperuit, non autem a connubio reseratum, seruans & post partum mirabile inuiolabiliter signaculum castitatis. Magis ad specialem, ait Hieron. natiuitatem Saluatoris, quam ad omnium hominum referri potest, hoc quod dicitur. *Quod aperit vuluam Sanctũ Domino vocabitur.* Solus enim Christus, clausas portas vteri virginalis aperuit, quæ tamen clausæ permanserunt. Solus Christus virtute propria non aliqua creata, sed Diuina in clauso vtero Virginis conceptus est. vt Archangelus virgini nunciauit. Spiritus Sanctus, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Hoc est Dei virtus & Dei sapientia. Christus virtute sua prepotenti, suam sibi carnem mirabiliter in tuis visceribus efformabit. non erit enim ex carnis concupiscentia, per quam seminantur & concipiuntur cæteri; non concumbendo, Sancta fæcundabitur Virginitas; Quapropter & illud quod nascetur ex propagine primi hominis; tantummodo generis, non etiam criminis originem ducet. Si vero more cæterorum, non ex propria potentia, sed viri semine conceptus esset, aliorum etiam hominum more, non tantum in similitudinem carnis peccati, sed cũ peccato, & in peccato conceptus atque natus, iuxta legem communem diceretur. Quomodo ergo Agnus ille Dei sine macula & Sanctus, impollutus, innocens & a peccatoribus segregatus Pontifex segregaretur? si cũ filijs Euæ maledicto obnoxijs, cõceptus sui initia traheret? Quomodo peccati respersione caruisset seque immaculatum per spiritum S. obtulisset Deo, vt pro delictis mortalium abluendis, & exhaurendis satisfaceret, vnaq. oblatione consumaret in sempiternum sanctificatos? Sed quia quod ex te nascetur Sanctum, quiddam eximium & reuerendum, quia ex te nascetur filius Dei, eiusdem essentiæ & Omnipotentiæ cum Patre æterno, ideoque non de homine, sed de spiritu Sancto concipies; neque alius præter omnipotens verbum aperiet tuam vuluam, se sua (si loqui fas est) potentia concipiet, nullus vir transibit per hanc portam, sed ipse Princeps Pa-

Christus solus aperuit vterum Virginis quõ.

Christus se sua uirtute formauit in Mariæ utero.

Heb. 7. & 8.

hom. 4. sup. mis. est.

cis femet Carnem efficiet. Sola enim Trinitas, ait Bernardus, in sola & cum sola Virgine voluit operari. Christus igitur *dicitur adaperire vuluam*, quia Omnipotenti potentia sua, sterilem vo to Virginem, fœcundam se solo effecit. Hoc legis decretum in solo Incarnato Deo, singulariter & ab alijs differēter impletum in 1. c. est. Non minus eleganter, quam verè, hoc argumentum conclu- Luc. dit Euthimius. Confiderabantur primogenita, quæ consecrabā tur, ait, Deo; quia olim primogenita Aegyptiorum morti tradi- dit, pro libertate Hebræorum. Sed hæc quidem primogenita, iam apertam adaperiunt vuluam; aperitur enim viri congres- su, quando femen infundit. Solus autem Christus, non dum apertam fupernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter serua- uit; quia etiam solus hic proprie Sanctus est Domino: & secun- dum Diuinitatem; quia filius eius, & secundum humanitatem, vtpote vnitus filio eius. Itaque licet propter dictam causam, de omnibus primogenitis præsens verbum statutum est; solum tñ Christus directè respicit. Patrocinio igitur suo, virginei honoris B. Virginis studiosissimus Lucas vos excludit, & clientela sua vobis interdicit. Ille siquidē Virginitatis est cultor; vos deflora- tores. Ille Mariæ nominis deuotissimus; vos blasphemi osores.

Hæreticis Lucas patrociniū interdicit

Ille Mariam a communi cætu fœminarum segregauit; vos illam infra scelestas & infames mulieres, (o blasphemiam) col- locatis. Ille cum Gabriele Archangelo acclamat Virgini; *Ecce virgo concipies, & virgo paries filium*; vos illam non virginem, sed mulierem corruptam proclamatis. Lucas cum Cælesti Paranympho Mariæ confitetur. Benedicta tu in mulieribus: eo quod nec sterilis manserit, nec cum detrimento Virginitatis pe pererit: vos vtero aperto illam filium profudisse asseritis. Il- le Diuinum nuntium, virgini persuadentem inducit. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*. idest Non suspectam habeas, prudens virgo fœcunditatem; quia non auferet integritatem. Concipies Ber. hom. sed sine peccato, grauida eris sed non grauata; paries filiū 3. super sed non cum tristitia, nescies virum & gignes filium: Vos miss. est. suspectam Mariæ redditis fœcunditatem. Vos Mariæ corrum- pitis integritatem. Ille cum Elisabetha exclamat Virgini, Be- nedicta tu inter mulieres; eo quia generalem illam maledictio nem euasit, qua dictum est. In dolore paries filios; vos Mariam in partu dolores & angustias pertulisse blateratis. Hunc ergo

Antithesis Lucæ & Nouatorum.

ergo, vestrarum tenebrarum Protectorem esse vultis? Hunc qui vobis aperto contradicit marte, defensorem hæresum nefandarum deligetis? Eum qui Virginitatem Mariæ, summis præconijs celebrauit: Virginitatis Mariæ violatorem indicabitis? Vnde istæc andacia? quæro cum Epiphanio. Vnde tanta malignitas? Ipsum nomen Virginis a Luca relictum, (*missus est ad Virginem. & Virum non cognosco*) non contra te testimonium præbet? non contra te persuadet ò contentiose? Quis vnquam, aut quo sæculo ausus est, proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus, non statim respondit, inferens Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus, epithetis, etiam virtutis signa elucent. Ipsum nomen (addo ego) adaperiens vterum .s. seipso se concipient, a Luca vsurpatum & a Patribus explicatum, te in eam mentis insaniam deducet, vt ex eo, Virginis intemeratum vterum violare contendas? Hoc te non euincet, quod Virgo genuit, quia Virgo concepit? inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit? Hoc tuam ignorantiam non confundet, quod porta hæc per quam salus mundi intrauit, clausa est & Principi? Virgo ipsa, apud Augustinum de se testatur: Eram, inquit, in domo mea puella, ex semine Dauid Regis generata, adulta facta sum, & desponsata sum coniugi, & placui alteri, non interueniente adulterio sed intercedente Spiritu Sancto: Desponsata sum homini Iudæo, & placui homini Deo. Desponsauit me vir Iudæus, & amauit me Christus Deus. Ita me virtus Altissimi obumbrauit, vt nec æstum paterer libidinis, & mater essem creatoris. Porta facta sum Cœli, ianua facta sum Filij Dei. *Illi facta sum ianua clausa*, qui post suam resurrectionem, ingressus est per ostia clausa. Qui natus de ventre meo, me Matrem dimisit intactam, adimpleuit ventrem meum Diuinitate, & vterum meum non euacuauit castitate. Exiuit de ventre meo, gyganteo cursu Magnificus, & venter meus non est pudore euacuatus. Regnum teneo Virginitatis, & Regem genui castitatis. Ingredientem & egredientem habui in palatio ventris, filium Imperatoris; & de manibus meis, non amisi clauem Regni pudoris. Porta facta sum Cœli, ianua facta sum filio Dei; *illa porta facta clausa, quam in visione Diuina, Ezechiel vidit Propheta.*

Margin notes: Malach. 3. — hær. 78. — Ezech. 44. — serm. varijs de Nat. D. — Mariæ de seipsa confessio.

Accedo ad aliud quod tetigeram ex Luca, Angeli de Maria oraculum. *Benedicta tu*, ait, *inter mulieres*. Quo manifeste denūciat Beatam Deiparam, esse à communi maledicto mulierum segregatā. Quænam vero fæminarum maledictiones hæreditariæ sint, Decretum illud Diuinum, quod in Paradiso; contra primam fæminam latum est, demonstrat. *Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse Dominabitur tui.* Hoc Demetriadi Hieronymus aliter scribit: In anxietatibus & doloribus paries mulier. Alij vero transferunt. *Multiplicans multiplicabo tristitias tuas, & gemitum tuum, In tristitijs paries filios*. Quasi sic mulierem alloquatur Deus, vt aureum os dilatauit. Ego quidem volebam te citra ærumnam, & dolorem viuere, liberamque ab omni mærore & tristitia, omni voluptate repleri; & licet corporo circumdatam, corporalium sensu nō affici. At quia non vsa es vt oportet, tanta prosperitate, sed affluentia bonorum, in tantam te ingratitudinem inuexit; propterea frenum tibi impono, vt ne amplius lasciuias, ad tristitias & gemitus te condemnans. Rem magnæ lætitiæ, & filiorum propagationem, a tristitia te incipere faciam; vt & ipsa, quanta peccati & inobientię magnitudo sit, perpetuam habeas memoriam, ex perpetuis doloribus, & præsertim tempore partus. Et ne processu temporis, obliuioni tradas quod factū est, quod hæc impostura, horum tibi causa facta sit; propterea multiplicās multiplicabo ærumnas tuas, & gemitum tuum. In tristitijs paries filios. Hic significat parturientiū dolores, multiplicemq. illum laborē, quem ferre necesse est: vtpote tot mensibus gestare vterum, velut sarcinam pueri; & sentire singulares, qui inde oriuntur dolores, & membra distendi, & ferre intolerabiles illos cruciatus, quos solæ illæ sciūt quæ expertæ sunt. Nam & mulier ipsa, sæpe post menses illos, post noctes insomnes, post membrorum distensiones, paruo quidem interuallo facto licet ante statutum tempus partum abortiuerit informem, & nondum lineamentis figuratum, vel etiam formatū quidē, non integrum autem neq. sanum, vel etiam sępe mortuum; vix e periculis elabitur. Et quid dico? Sæpe cum fœtu nato, commori eas contingit; & neque hoc cæteras terret, neque persuadet vt rem fugiant. Tantum Deus, tristibus illis insæuit dolorem,

simul

Maledicta fæminarum.

Genes. 3.

hom. 17. in Gen.

simul & voluptatem. Propter hoc dicebat. Multiplicabo multiplicans ærumnas tuas, & gemitum tuum. In tristitijs paries filios. Fælices vos ò sacratæ Virgines, quæ horum malorum ignaræ estis. Infælices vos ò nuptæ, quæ tãtis miserijs subiectæ estis. Dura hæc est vobis necessitas voluptas hæc amara est, Deliciæ istę felle oblitæ sunt. In anxientatibus paries, Multiplicabo ærumnas tuas. Tamen quam libenter absinthium hoc gustetis, ego vehementer demirari non possum. Virginitas horum omnium clades ignorat. Quam multæ Virginitatis amore teneantur? videmus. Omnes clamant, Nuptias, Nuptias, Maritum, paucissimæ quæ Christum euocent. Omnes calamitatum catenam nuptis confictam, humeris suis imponere, paucissimæ q̃ iugo Christi suauissimo Virginitatis, colla submittere volunt. Omnes ex illo calice felleas delicias gustare desiderant, vt inde ciant, (vos nuptæ scitis quæ dico,) stomacho exundante, continuas vomitationes, sputa crebra, effluxus spurcissimos; paucissimæ sunt, quæ in illam cellam vinariam spiritualium delitiarum, in quas Christus virgines introducit, intrare optant. Omnes arboris illius cibum amatum quidem, licet visu delectabilem, comedere cupiunt, vt inde sequatur, oris ventriculi arrosio, cibi fastidium, carbonum & rerum sordidarum appetentia, vt more canum aut nihil omnino aut malos cibos appetãt, vt reliquam calamitatum muliebrium partẽ abrumpã. Paucissimę sunt quę osculare velint Christum sponsum, ut ex ore eius degustent mel & lac, quod sub lingua sua gestat, & illis qui ipsum exosculantur distillat. Nullæ sunt pene, quæ cum sponsa, sub vmbra desiderati gentibus, requiescere, & fructibus dolcissimis Virginitatis refici desiderent; Omnes dicunt, Maritum volo. Maritum Nuptias. Quis oro vos de mente seduxit? Quis mala infinita, vobis dulcia fecit? Quis vero dulcia vobis amaricauit? *Nunquid solitudo infæcunda* (ad vos loquitur Deus o Virgines) *factus sum Israeli, aut terra serótina*, vt ex me concipere, spiritum timoris Domini non possitis? Nunquid ego qui alios parturire facio, ex uobis Sanctas cogitationes & Diuina opera generare nequibo? At his pro nunc omissis, redeo ad illud quod dicebam. Maledictionem mulierum esse, ut in doloribus ex corruptione claustri pudoris prodeuntibus generẽt filios. Quid ne

Nuptarũ in fælicitatẽ omnes fæmi nę quærunt.

Hiere. 2.

Maria ab omni maledicto fœminco libera. ro Maria? Angeli oraculo, Elizabethæ spiritu Sancto repletæ testimonio, *Benedicta fuit inter omnes mulieres. Benedicta inter mulieres, quia nulli maledicto obnoxia.* Benedicta, quia a morbis muliebribus, quos malesana nouerca Eua, in fœminas inuexerat, singulari munere præseruata. Benedicta quæ illam maledictionem generalem, ait Bernardus, euasit qua dictum est. In tristitia paries filios; & nihilominus illam qua dictum est, maledicta sterilis in Israel, ac singularem consecuta est benedictionem, ut nec sterilis maneat, nec cum dolore parturiat. Mutata est in Virgine nostra, maledictio Euæ, Peperit enim filium sine dolore. Mutata est inquam, maledictio in benedictionem, sicut prædictum est per Angelum Gabrielem. Sola inter mulieres beata, benedicta & non maledicta; Sola a generali maledicto libera, & a dolore parturientium aliena. Nec mirum fratres, si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, secundum quod Isaias ait. Quia uere ipse languores nostros tulit. Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor & dolor. Vtrumq. Christus tollere venit, unde & utrumque suscepit, quando (ut cætera sileam) morte, & morte turpissima ab iniquis condemnatus est. Itaque ut fiduciam nobis daret, quod tolleret hæc a nobis, prius matrem suam ab utroque immunem seruauit, ut nec in conceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret. Sola Maria benedicta inter mulieres, (ut post a Augustinum, b Fulgentium, c Ambrosium, d & Cyprianum, e Damianus reliquit) quæ sine contaminatione concepit, & filium sine dolore procreauit. Non secutus est in ea dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque Euæ fuerat. In dolore paries filios. Quæ sententia in alijs matribus uiguit, in Maria uero modum sui iuris amisit. In mulieribus fixa persistit; in Virgine præualere non potuit. Quæ enim Virgo permansit concipiendo, dolorem sentire non potuit pariendo. Sola Beata Virgo, Benedicta inter mulieres, quæ prolem Diuinam, sine viri commertio, sine virginitatis iactura, sine pruritu libidinis, sine ardore concupiscentiæ concepit. Sola Deipara conceptum fœtum absque onere, sine fastidio, sine lassitudine in vtero gestauit; sola Maria inoffensa valetudine, atram doloris acerbitatem effugiens, sine

Maria sine dolore peperit.

Ser. 4. in vigil. Nat. Dom.

a in serm. de Nat. Dom.
b li. 1. de Virg.
c serm. de laud. mar.
d li. de disciplina & habitu Virg.
e ser. 3. de Nat. M.

ordibus

sordib. parturiuit, sine dolore suum puerperium absoluit. Quis .n. astitit in stabulo virgini parturienti? Quæ obstetrix, puerulũ profundentem adiuuit? Quę profusum infantẽ, ab impuro sanguine lauit, fascijs inuoluit, & in cunis reposuit? Nulla certe tũc aderat fęminarũ. Sola virgo in diuersorio, filiũ sine dolore enixũ obstetricauit, sola manib. proprijs abluit, facijs cinxit, sola dulcissimũ lac tenellis labellis infudit. sola reclinauit in pręsepio suoq; calore refouit.

O virgo virginum, quis tuas singulares prętogatiuas, vel cogitatione assequi, vel oratione enumerare poterit? Quis benedictionis tuę speciales fructus, digne deprædicabit? Tune sola sine exemplo, a communi maledicto libera, & sine pudore cõcipis, & sine onere baiulas, & sine dolore parturis? Tũc gigantem illum immensum Deum, qui exultauit ad currẽdam viam, cuius a summo Cęlo egressio, & recursus vsq; ad summũ eius, tuo vtero cõclusisti? Quomodo possibile hoc est (a te requirunt increduli Hæretici) ut tu fęmina, vtero tuo inuiolato & in extenso contineas virum? Matres nostrę gestantes infantilia mẽbra, vtero distenduntur atq; tumescunt; tu virum (de quo Hieremias. *Fęmina, ait, circundabit uirum*) & virum incircumscriptũ, incompræhensum, viscerib. tuis complecteris, quomodo tua non crepant virginea membra? Mulieres cæteræ, infantem unius palmi, violato vtero profundunt; tu quomodo Gygantem, intemerata atque inuiolata protulisti? Maria respondet hæreticis de integritate seruata.

Ne mireris, ait. Non.n. decebat, alia mater Dei filium, nisi virgo; nec decebat alius partus uirginem, nisi Dei filius. Ne stupescas, quod, *Porta sum clausa*. Ille enim per me egressus est, qui post resurrectionem intrauit per ostia clausa. Ne dubites de facto. Illum enim enixa sum, qui est Deus & homo. qui omnia implet, & per omnia solida penetrat. Hanc rationẽ reddidit ipse Deus, Ezechieli Prophetæ, Quũ.n. vaticinaretur. Porta hæc erit clausa, & non aperietur; Sed quare non aperietur? *Quia Dominus ingressus est per eam*. Quare clausa erit? *Quia Princeps transibit per eam*. Siccine Deo ingredienti, nõ aperietur? Sic ne principi introeunti clausa erit. Clausa erit Deo. Deus siquidem (Deus est enim quem peperit) matrem suam singulari & pręcelentiori gloria donaturus in Cęlestibus, singulari in terris

Maria inuiolata in partu quia Deũ genuit.

Bern. ho. 2. super miss. est.

Deũ decebat virgo incorrupta.

prę

præuenire curauit & gratia; qua uidelicet & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porro Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de uirgine nasceretur. Talis congruebat & Virgini Partus, ut non pareret nisi Deum. Diffiditis forte de omnipotentia Dei, ut uirginem incorruptam in partu seruare possit? At hoc est impium, impotentem iudicare illum, qui oĩa facere potest. scelus est, illũ infirmũ, qui omnia verbo condidit, æstimare. Illum qui clauso latere viri dormientis, Fœminam prouectæ ætatis, sine dolore & sine corruptione eduxit, vt ipse infantilibus membris, è virgineo inuiolato aluo egrediatur, asseuerare non posse facere, blasphemia est. Deus ipse quondam in deserto, flammis maiestatis suæ rubum adurens & calefaciens, rubum non consumebat, & sine corruptione spineti, splendorem & caloré rutilans emittebat. Ipse ignis consumens, è fornace illa ardeati, vtero. s. Mariæ procedés, claustra illius consumet & pudorem uiolabit? Deus ipse in testimonium Sacerdotis Aaron, virgam sine corruptione germinare fecit flores & nuces. Dũ ipse Saluator Deus, flos ille campi e radice Iesse pullulat, virgę istius incorruptę, radices violabit? Non vtiq;. Non est incredibile, non Diuinę repugnans potentię, vt virgo Deũ generet & virgo permaneat. Non est incredibile, quod cõtra vsum originis naturalis, parturit Maria, & virgo permanet; quando contra vsum originis naturalis, mare vidit & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt. Nõ excedit fidem, quod virgo peperit, quando legimus, quod petra vomuit aquas, & in montis speciem maris vnda solidata est. Non excedit fidem, quod homo exiuit de virgine, quando petra pro fonte fluens scaturiuit, ferrum super aquas natauit, ambulauit homo super aquas. Ergo si hominé aqua portauit, nõ potuit virgo hominé generare? Non excedit fidé, quod Christus inuiolato vtero exiuit; quando rub. comburi videbatur, & ignis eum non tãgebat; quando tres pueri, in camino ignis inclusi habebãtur, & tamen eos nõ lædebat incendiũ, nec odor fumi erat in eis; quando Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis, allatum est ab Abachuc prandiũ. Ergo si ista omnia, virtus Diuina illæsa seruauit, vt virgo sancta Deũ generet, & intacta permaneat, mater efficiatur sed uirginitatem non amittat; Materno

Amb lib. 10. epist. 18.

ne decore honoretur, & castitatis sigillum non perdat, non poterit prestare? Demum; ille qui potuit virginem clauso vtero ingrauidare, grauidam clauso vtero, non poterit exonerare? Negas incorruptam valuisse seruare, quam fateris absque corruptione adire potuisse? Negas Deum, quod vellet facere quiuisse, quem concedis Genitricem integram inuenisse, & corruptioni deditam, integram reliquisse? Astruis Deum, virginem deturpasse nascendo, quam decorauerat ipse concipiendo? Asseueras Deum, qui letificare venerat triste saeculum, contristasse ventris hospitium? & qui corruptas virgines instaurare desiderabat, incorruptam suo egressu corrupisse? Oportebat certe & decorum erat, vt primam Genitricis integritatem, nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, Diuini spiritus virtus infusa seruaret; quia statuerat Deus deiecta erigere, confracta solidare, & superandis illecebris carnis, multiplicatam pudicitiae donare virtutem. Decebat, vt ille qui ex corde paterno, ab aeterno progrediens, inuiolato intellectu, immo perfecto intellectu Paterno, splendescens verbum emanat; sic ex vtero virgineo in tempore, non violato sed Diuinitate perfecto & solidato prodiret. Neq; enim nostrum verbũ cum paritur, corrumpit imo perficit mentem; neque Deus verbum substantialem partem eligens, peremit virginitatem. Decebat eum qui post resurrectionem suam, ianuis clausis ad discipulos intrauit, per inuiolata matris virginea viscera exire. Quid hic rationem quaeretis? Quid intellectum fatigabitis humanum? *Generationem eius quis enarrabit?* Quid nouitatem stupemus, vbi cernimus maiestatem? Fateris quod potentia sua, ad discipulo clausos, corpulentam substantiam intulit: Non poterit eadem virtute, infantilia membra e clauso vtero efferre? Hic, si ratio queritur? non erit mirabile. Si exemplum poscitur? non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. Demus potentie, quia de virgine natus sit, & tamen virgo, fuerit virgo post partum. In his enim rebus, tota ratio facti est potentia facientis. Si doctrinis non creditis Sacerdotum, credite oraculis Dei; credite monitis Archangeli dicentis, *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.*

Deus nõ deturpauit sed incorruptã seruauit Mariam.

Maria cur incorrupta uerbũ enixa est.

in serm. Ephesini Concilij.

Max. ho. 2. de Nat. Dom.

Aug. ad volusian. epist. 3.

Chrisost. de S. Ioã. Bapt.

Ambros. epist. 81.

Credi-

Credite Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Catholica intemeratum semper custodit & seruat. Maria enim est virgo quæ in vtero concepit. virgo quæ peperit Filium. Maria est *porta illa in qua connubium Booz & Ruth.* naturę Diuinę & humanę celebratum est. Maria est *porta illa iuxta quam Dauid sedens, nuncium fælix accepit*, debellatum esse Absalonem olim pulcherrimum Luciferum. Maria est *porta clausa: clausa per virginitatis votum, ante partum; clausa in partu, & clausa post partum*. Per hanc .n. obseratam, ingressus est incorruptionis author Deus, qui incorruptam virginitatem Mariæ, coronat in sæcula sæculorum

Amen.

(*)

VIRGO

VIRGO

Pallium breue vtrumque cooperire non potest Esai. 28 ca.

CONCIO TRIGESIMASEPTIMA

In qua sanctissimam Mariam, Virginem post Partum mansisse probatur.

QVONAM artificio filia Regis ęterni, vitæ nostræ conseruatrix, cum Deo iustissimo peccatorum vindice, in tutelari vitę hominis custodia & protectione vsa fuerit, non absimile ab illo, quo Michol Regis Saul filia, Dauidem a morte liberauit, esse iudicarem. Ea Michol, vt Regum historia narrat, dum videret feruenti succensum furore Saul Patrem contra Dauidem; consilio illi dato, ut fugeret. Nisi enim te, inquit, saluaueris nocte hac, cras morieris, *Et deposuit illum per fenestram; porro ille abijt & aufugit, & saluatus est. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit, ad caput eius, & operuit eum vestimentis. Misit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid; & responsum est, quod ægrotaret. Rursumque Saul misit nuntios, ut viderent Dauid, dicens, Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. Cumque venissent nuntij; inuentum est simulachrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius. Dixitque Saul ad Michol. Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum, vt fugeret?* Si vobis è memoria non excidit, inimicitia illa inter Deum Regem vniuersorum, & hominem iura naturæ violantem. Quia Deus Adami sobolem, fidem promissam Deo frangentem, & per malitiam animam suam occidentem, seq;

1. Reg. 19.

Allegoria pulcherrima Dauidis, & statuę.

Sophō. 1.

pro-

proprio cōmaculantō sanguine, vt de eo se vindicaret, q̄rebat, *Scrutabor*, ait Dn̄s, *Hierusalē in lucernis et visitabo, super viros dę fixos in fæcibus suis, qui dicūt in cordib. suis. Non faciet bene Dn̄s, & nō faciet male.* Et erit fortitudo eorum, in direptionem, & domus eorum in desertum. Miserat apparitores, vt hominem peccatorem etiam in lecto, imo & in Templo ab Altari auulsum occiderent. *Ite*, inquit, *& ad cornu ipsius Altaris, interficite eum*. At homo fugerat in solitudinem, & recesserat a facie Domini, in vastam eremum imperij Dæmonum, *Elongaui*, inquit, *fugiens, & mansi in solitudine*. Quid fecit Virgo Sanctissima? Quod consilium ad eliberandum hominem inuenit? Dū apparitor Angelus Gabriel, venit ad cubile illius, accepit statuam illam in Cælestibus elaboratam Iesum Saluatorem nostrum; *statuam* inquā *illam sublimem, quæ stabat contra Nabuchodonosor, terribili aspectu*. Terribilem enim se Deus in veteri lege exhibebat Patribus. Accepit illam statuam; cuius caput Diuinitatis, erat aurea perfectio; cuius pectus scientiæ, & brachia potentiæ, erant argentei candoris; venter & femora quibus incubabat super tribus nationum, & ex eis filios adoptiuos generabat, æreæ fortitudinis: Porro tibiæ & pedum iustitię quib. deambulabat super creata, & illis cōculcabat impiorū capita, quædam pars erat ferrea, dura & sempiterna; quædam vero fictilis, mollis & paruo durans tempore castigatio. Hanc igitur statuam Beata Deipara accepit, dum verbis Angelicis præbens consensum, dixit. Ecce ancilla Domini, licet indigna ista gratia, fiat mihi secundum verbum tuum. Continuo accepto verbo Diuino Dei Filio, posuit illum in lectulum viscerum suorum, & illic posuit ad aureum Diuinitatis caput pelles caprinas, *Similitudinem carnis peccati*; cæteram vero immensam molem, carnis suæ trabea, vt vestimento decentissimo induit, reliquum sanguine suo purissimo, vt panoplia quadam splendidissima cooperuit. *Habitu enim* vt Paulus ait, *inuentus est vt Homo.* Sicut Rex aurea toga indutus, dum in publicum procedit, & vel temporis mutationem aura instabilis promittit, vel a vulgi multitudine non vult cognosci, penulam vilem illis fulgentibus aureis vestimentis superponit: sic & Rex ille Regum Altissimus, amictus splendenti lumine vt vestimento, procedens ad currendam uiam, ex altissimo Cæli talamo, vilissima carnis

Marginalia: Allegoria statuæ Danielis. — Dani. 4. — Christus statua cooperta a Virgine. — Phil. 2.

carnis nostræ penula circumamictus prodijt. Periculum enim erat, ne vel corrusco lumine accæcarentur homines, Regem in suo decore procedentem aspicientes; vel quod magis, pluuiæ illæ decurrentes sanguineæ, agonizantis & patientis Christi, Sacratissimam eius chlamidem deturparent. Habitu igitur inuentus est vt homo, & in similitudinem carnis apparuit. Sic, à sua prudentissima Matre Iacob iste, pellibus caprinis carnis peccati, in similitudinem Esau a Deo reiecti, Patri suo comparuit. Sic Ioseph iste innocentissimus, a decora Rachele Maria, veste in consutili polymita, & omni pulchritudine distincta, indutus ante fratres suos qui eum odio prosequebantur egressus est. Statua hæc sublimis Filius Dei, a Filia Regis Regina cœlorum, in lectulo illius vtero angusto, opertus mortalitatis nostrę exuuijs recubuit. Quorsum hæc? Ad quid adduxerim ista, vultis videre? Aspexi quendam ex modernis Heluidianis, temerè Virginitati Beatæ Mariæ oblatrantem, Lucam sternbergerum. Maria, inquit, (audite horrendam vocem) adeo post partum nō perdurauit Virgo, vt etiam duos vel tres filios, ex marito Ioseph progenuerit. Petrus quoq; Pseudomartyr, inter alia quę Christiani necessario confitentur, ait, (audite, quidnam sordidius, quidue impudentius effingi & dici potest.) non est recipiēdum, quod Maria semper Virgo post partum perseuerarit. Nihil pene ad Virginitatis candida ueste spoliandam Mariam, intentatum reliquit mille artifex ille Sathan, quominus per satellites suos, Quater Sanctam Virginem oppugnet. Adeo infensus est, & infestus huic Virgini, quæ inter cunctas alias clades, impudicitiæ & carnali uoluptati grauissimam attulit, vt ultro citroque submittat carnis mancipia Hæreticos, qui non modo Virginitatē Marię ante Partum, sed & post Partum mordeāt & inculpent; atque ex Castissima Virgine, Iudæorum more Thluam, uel infame scortum (ò tempora, ò dogmata horrenda) efficiant. Alij execradam fore Virginem, si Virginitatem uouisset; alij quod uel ex libidine præueniente, uel ex Iosepho cōiuge (o horrendas blasphemias) filium suscepit. Nonnulli quod Virginitatem in Pariendo amisit. Remanebat unum sternbergero, Martyri & Chytreo, longe destabilius, quò & in Iosephi & Mariæ, & Saluatoris nostri iniuriam grauius; ut Heluidianorum & Iudæorum cineribus ex orco reuocatis, docerent: Mariam,

Marginal notes: Heluidiani noui. — in 1. cap. Math. — Hæretici blaterant Mariam ex Iosepho alios filios fuisse.

riam, duos vel tres vel plures filios ex Iosepho sustulisse. Epiphanius istorum impientissimum & flagitiosissimum dogma vocabat, qui Sanctam hanc & semper Beatam Virginem, insigni afficiunt contumelia; quod tradant illam, post maximam Dominici aduentus in carnem dispensationem, carnale cum Ioseph commercium habuisse. Basilius, vehementissime aures Christianas offendi dicit, si suam Maria Virginitatem aliquando corrupisse dicatur. An non grauissime Christianas aures offendit, dum Prophetarum & Sanctorum Patrum oraculis, contradicitur? An non impientissimũ & flagitiosissimum dogma est, quod in insignem & Christi Saluatoris, & Iosephi iusti, & castissimæ Virginis, calumniam & dehonorationem cedit? Prophetarum oraculis cõtradicunt hi, qui S. Mariam duos filios ex Iosepho sustulisse asseuerant. Isaias propheta, dum introducit Deum, statuam illam lapideam & auream, Filium suum, de cælesti habitaculo, velle ad terrenas domos, in cubile intemeratæ Virginis vterum demittere, *Ecce ego*, inquit Deus, *mittam in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum. Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit*, Quandocunque pertransierit tollet vos, quoniam mane deluculo pertransibit in die & in nocte, & tantummodo sola vexatio dabit intellectũ auditui. An ista omnia Christo conueniant, non meã sed Petri et Pauli Apostolorum sententiam suscipite. Eadem siquidem verba, hi vertices Apostolorum, & duo lumina Ecclesiæ, Christo esse propria iudicarunt. Quin ipsemet Saluator apud Mathæum, se illam statuam, seu illum ipsum lapidem appellauit. Hũc ergo lapidem ponere debebat Deus in fundamento Syon, vtero Beatæ Mariç, quæ fuit primum opus redemptionis nostrç. Ab hac enim velut a fundamentis, redemptionis nostræ ædificium, omnipotens manus Diuina fabricare incæpit. Huius consensus humilis, *Ecce ancilla Domini*, erat primum initium Saluationis nostræ. In huius igitur vterum, velut in lectulum quendam molissimum, demisit hunc lapidem, istã statuam præcelsam, Filium suum. Hæc nitidissimis vestimentis carnis suæ, circumdedit virum illum ab Hieremia prædictũ, hæc trabea mortalitatis nostrç, veritatem Dauidis de terra exoriente

Marginalia: hæres. 78. — hom. de humana Christi generatione. — Isai. 28. — Maria Virgo post partum ex Isaiæ vaticinio. — Act. 4. & 1. Pet. 2. & Rom. 10. Matt. 21.

de terra exortionem, vt terra cooperuit, hæc pallio humanitatis, statuam sublimem Danielis circumuestiuit. Hæc illum de quo Isaias vaticinabantur, *Vere tu eris Deus absconditus*, in lectulo sui ventris, pellibus caprinis, similitudinis carnis peccati amictum abscondit. Quid demum de Beata Virgine, a Propheta prædicitur. *Coangustatum* ait *stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrumque operire non potest.* Quasi diceret. Illud cubile intemeratum, & immaculatum, in quo lapis & statua sublimis Filius Dei recubuit, ita ex illius requie coangustatum est, sicque Virginitatis claustra voto firmata, egressu Dei ex vtero Virgineo solidata sunt, vt alter decidat filius necesse est: Alterum Filium, neque ab Iosepho, nec a quocunque recipere, nec in eodem castissimo cubili reponere potest. *Sic pallium breue*, Sanguinis purissimi Beatæ Deiparæ *breue est*; vt duos filios cooperire, sine duob. filijs materiam conceptus ministrare nequeat. Quæso, aliquis vestrum habet cubile sericis syndonibus, & varijs lapillis exornatis opertum, atque puluinaribus mollissimis adaptatum; ubi lectulus ipse ex auro, vel lapidibus pretiosissimis elaboratus sit. Illic non nisi gemmæ & margaritæ, lucentes carbunculi, virentes smaragdi, & aliarum lapidum splendor effulgeat; In illo vero lectulo, non nisi Rex, vel aliquis nobilissimus, & candidissimus sponsus requiesceret. In lectulum illum reponeretis aliquem mendicum, sordidum & pannosum? Non credo equidem, vt adeo speciosum lectum, pedibus sordidis contaminare permitteretis. Habeat demum aliquis vestrum, Chlamidem auro textam, qua non nisi Rex vti solebat, indueretisne illa quempiam in luto volutatum aut stercoribus commaculatum? Neutiquam. Quid ergo censetis de Virgine Sanctissima, quæ in lectulo vteri sui Cælis ipsis speciosiore, recepit Regem Cælorum, & Deú Vniuersorú? postquam illum in terras effudit, alium sordidum, pannosum, & peccatorú maculis conspurcatum, ex libidine recipiet Filium? Beata Deipara (vt Methodius dixit) carnis suæ pallio vt panoplia decentissima, et vestimento deaurato, quò nihil pulchrius, pretiosius nihil inuenire poterat, Dei Filiú induit; hoc ne eodem pallio, in vitiorum fecib. volutatum, filium Iosephi operiet? Minime, *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, et pallium breue; vtrunque cooperire non potest.* Palliú breue, per Votú

Mariæ uterus angustū cubile.

Maria si genuisset alium filium esset inconstantiæ imago.

Virginitatis adstrictam, seu contractam esse. Hoc enim (ut Bernardi tantum uerba repetam) uerecunda illa interrogatio & tacita excusatio *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* designat. Ac si diceret: Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, uotum esse ancillæ suæ, non cognoscere uirum; qua lege, quo ordine fiet, placebit ei ut fiat illud? Si oportet me frangere uotum, ut pariam talem Filium? & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat uoluntas eius. Sin uero Virgo concipiam, Virgo & pariam, quod utique si placuerit ei impossibile non erit? Tunc scio uerè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Cum ergo uoto Virginitatis seruandę, Beata Deipara se suamque carnem constrinxerit, ut omnem viri complexum, perpetuo sibi interdixerit; itane leuis & inconstans erit, ut insanum & nouum recipiens consilium id reuocet, quod prius affirmarat Sanctèque constituerat, se cum uiro nunquam congredi uelle? Si illud quod prius Angelo, etiam postquam Ioseпho desponsata esset, candidè dixerat. *Virum non cognosco*, huius pertæsa, mutaret uotum, quid aliud esset, nisi quod inuerecunde diceret? Etsi Christum Deum Cęli & terræ, intemerato utero concepi, & inuiolato aluo peperi, tamen nunc post Partum Dei & Saluatoris omnium, Virginitatis uincula soluam, genua mea diuaricabo, castitati ualedicam. Virum enim cognoscere, & cum Iosepho congredi, Dei & Hominum aliorum Matrem esse, collubescit. Quo, quid uel impudentius dici, uel ineptius & absurdius a Pseudomartyre, & Luca, cæterisque Impijs confingi potest? Ita ne illa, quæ ad Sanctissimum, redemptionis nostræ, mysterium electa; quæ carnalem affectum omnem deposuerat; quæ suum corpus ad summam puritatem recipiendam compararat, quæ uteri sui cubile, uelut nitidissimum domicilium atque hospitium, soli Deo ad summum mysterium exhibere uoluerat; quæ uenerandum uentris sui Sacrarium, quod Sanctus ipse Sanctorum, sua præsentia tot mensibus habitarat simulque consecrarat, maritali congressu uel libidinis usu dehonestare, & deturpare debebat? Itane prænobilis illa Leæna, quę Christum de Tribu Iuda dictum Leonem progenuerat, contra usum Leænarum irrationalium secundum admittet (consuetudo enim Leęnę est, ut semel patiatur,

Maria leæna.

secun-

secundum Plinium) partum? Itane Porta illa, perpetuo etiam Principi pacis clausa, viro Iosepho patula erit? Quid flagitiosius? Quid impientius de castitatis idea, & Principe effutiri potest? Quomodo impetere (Epiphanius queritur) audetis impollutam. Virginem, quæ digna facta est fieri habitaculum Dei, & ad hoc electa est, ex multis millibus Israel, quo vas et habitaculum dignum esset, in signum solum partus?
li. 7. de archanis Cathol. ueritat cap. 16. Legistis forte quandoq; apud Galatinum, veterum Rabinorũ traditionẽ de Iudaicis Virginib, valde lasciuientibus, Quod earum impudicitia Deus grauiter offensus, diu Messię prorogaret aduentum; solam vero Messiæ Matrem vere pudicã & integrã Virginẽ fore, quę nullius viri amplexũ appeteret. Hãc ergo vos lasciuientes tauri, lasciuientib. Virginibus Iudęorũ annumerabitis? Hanc viri desiderate amplexũ iudicabitis? Virginem illã quæ in locum primę Virginis, q̃ serpens in Paradiso deceperat, cooptata, statimq; post primum hominis peccatum, a Deo promissa, quę iam nata, quum iam desponsata esset, a Gabriele Archangelo benedicta, & gratia plena salutata ẽ; maledictarũ mulierum subire edictum censebitis? Sub viri potestate, ex viri congressu denunciabitis? In dolore parere, filios ex libidine suscipere asseretis? Illam Virginem, quæ ex terreno quidem Adamo nata, sed quæ terra Cœlesti imbre fæcunda, & aratro Spiritus Sancti culta, atque vt Saluatorem mundi germinaret vnice benedicta erat, virili sarculo defossam blasphemabitis? Quod flagitium? Quæ cæcitas? Quæ impietas vestra erit? At inquitis, illud quod etiam Heluidius Hieronymo obijciebat. *Erant*, inquit Scriptura, *ante fores Templi, Maria Mater Iesu cum fratribus eius* Verum itidem vobis respondeo, quod Hieronymus Heluidio, imperitissimum eum hominem iudicans, qui toto scripturarũ pelago derelicto, ad iniuriam Virginis suam rabiem contulerit. Imperitissimi estis & vos, ignorantes phrasin sacræ scripturæ familiarem; secundum quam, consobrini, cognati, contribules, licet communem parentem non habeant, fratrum nomine continentur. Quemadmodum Abraam & Loth, Iacob & Laban, licet minime germani fratres essent, se tamẽ mutuo fratres appellarunt. Cęci atque stupidi homines, & ebrij a vino, sobrios vos non ebrios (quando vnum pro altero, vel vnũ pro duobus videtis) ire conueniebat ante templum Salomonis

Fratres Christi qu. sũt.

Hæretici ebrij unũ pro alio uel duos pro uno uident.

Gen. 3. & 29.

vbi sanctissima Virgo, cum Iacobo & alijs consobrinis Christi astabat. Et illic videre, vel si videre non potuistis, interrogare a Maria. O Virgo, Iste, & ille qui tibi assistit, est ne tuus filius: Iacobum uel Ioannem, uel Andream; tuone utero protulisti? Iisdem ne partubus grauida fuisti? Christus quem Matthæus tuũ primogenitum appellat, habuit ne post se à te genitos, secundò genitos fratres? Diceret aperte. Dij me perdant, ut primam fidem irritam facerem. Ignibus inferni consumar; si libidinis igne aliquando adusta, filios procreatim, præter unicum illum primogenitum quem auditis, cuique uos grauem iniuriam affertis, Iesum. *Quem primogenitum quidem uocant*, non quod inter fratres primo genitus sit; *sed quia primo, sed solus genitus*, *fuit, ex meo intacto vtero.* Solus siquidem est genitus naturalis filius; siue generationem eius ab æterno, ex utero Diuino ante Luciferum, siue ex matrice aurore, in tempore spectes. Habet quidẽ Pater Cęlestis plures filios, sed adoptiuos non naturales; illos. s. quibus Verbum caro dedit potestatem Filios Dei fieri; sed unum tantum naturalem, ex eadem & in eadem substantia genitum; quẽ primogenitum. s. solũ genitũ uocauit. Habeo & ego plures filios, sed mihi a Christo Deo in cruce recõmẽdatos. Qualis est Ioan. cui Filius meus dixit. *Ecce Mater tua.* Hãc in orbitatis tuę cõsolatricẽ habe. Mihi quoq; ait. *Ecce Filius tuus*; sed tñ, unum tantum Saluatorem mundi, ex meis castissimis protuli uisceribus, quem primogenitum. s. solũ genitũ; Math. euangelizauit. Liber hic, pretermissis *a* Hilario, *b* Epiphanio, *c* Cyr. *d* Damasceno, *e* & Chrys. *f* Ambrosij uerba adijcere, quib. argumẽtũ de plurib. Marię filijs, huic in modũ euertit. Sane, inqt, non possumus negare de Marię filijs, iure reprẹhẽsum, meritoq; uestrã Sanctitatẽ abhorruisse; q ex eodem utero Virginali, ex quo secũdũ carnẽ Christus natus est, alius partus effusus sit. Neq., n. elegisset Dominus Iesus nasci per Virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore; ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis æterni, concubitus humano semine coinquinaretur. Qui. n. hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudęorũ adstruit, qui dicunt, eum non potuisse nasci ex Virgine. Nam si hanc accipiant, a sacerdotibus authoritatem, & uideatur partus Mariæ fudisse plurimos; maiore studio ueritatem fidei expugnare contendet. Et ubi est illud, quod scriptum est, dicente

Marię ot bacę, ptẽ ctor Ioã

a in 1. ca. Math.
b hęr. 78.
c in hom.
d lib. 4. de fid. Ortho. c. 15.
e hom de S. Ioan.
f li 10. cp. 79.

te Domino ad Matrem, de Ioanne Euãgelista. *Mulier ecce filius tuus;* & rursus ad Ioannem de Maria. *Ecce Mater tua?* Quid sibi istud vult; quod quum in cruce positus Dominus, peccatum mundi tolleret, pronunciauit, etiam de Virginitate materna? At quid aliud dicitur, nisi vt claudat ora sua perfidia, vt obmutescat, ne Matrem Domini aliquo audeat temerare conuitio? Testis est ergo idem arbiter, idem pudoris materni assertor, ꝙ desponsata tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine, Thori iura cognouerit. Neq;.n.eam susceptură ex Ioseph filios, a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Euangelista dicens *quod discipulus suscepit eam in suã.* Nunquid ergo diuortiũ fecit? Nunq̃d, a viro abduxit & abstulit? Ergo qui hoc legit in Euãgelio, quo modo quasi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo testamentum filij est de matris integritate; hęc Marię locuples integri pudoris hæreditas; hic totius finis consummationis.¶ Coangustatũ est igitur immaculatũ cubile Virginei pudoris, ita vt alterũ recipere nequeat. Pallium breue fuit purissimi sanguinis, statuã illam gyganteã solũ cooperuit; duos vtiq; cooperire nõ potuit.

Palliũ hoc breue est, propter Iosephi continentiã, qui noluit illo alios cooperire filios. Vbi statim se mihi offert, insignis pudicitia Patriarchæ Ioseph illius senioris. Illius clarissimũ est factũ; Genes. 39 dum in Aegypto mancipiorũ more peregrinaretur, tentatũ esse a Dñi sui vxore, quæ iniectis oculis in eum, dicebat. Dormi mecũ. At ille nequaq̃ acquiescens operi nephario, dicebat ei. Ecce Dñs meus, oĩbus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua; nec quicq̃ est ꝙ non in mea ẽ potestate, vel nõ tradiderit mihi, ꝑter te q̃ vxor eius es: Quõ ergo possum hoc malũ facere, & peccare in Dñm meũ? Magis verò eluxit eius pudicitia, dũ quadã die quippiã operis, absq; arbitris faceret, & Domina apprehenderet laciniã vestimenti eius, dicens, Dormi mecũ: Qui relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras. Qđ dũ legis, scito, ait Bernardus, ipsius istũ non solũ vocabulũ fuisse sortitũ, sed & castimoniã adeptum & gratiam. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: isti datum est conscium: fieri atq; participem Cęlestium Sacramentorum. Ille frumenta seruauit, non sibi sed omni populo; iste panem viuum e Cœlo seruandũ accepit, tam sibi quam toti mundo. Ille fraterna ex inuidia vẽ-

Antithesis Iosephi Patriarchæ & uni Mariæ.

hom. 2. super missus est.

ditus & ductus in Aegyptum, Christi venditioné præfigurauit; iste Herodianam inuidiã fugiens, Christũ in Ægyptũ portauit. Ille Dño suo fidem seruans, Dominę noluit cõmisceri: iste Dñi sui Matrem Virginé, Dominã suã agnoscens, & ipse cõtinés fideliter custodiuit. Nec vana aut temeraria é Bernardi collatio. Si etenim vir ille pudicus, tãtum iudicauit scelus fore, si Dñi sui vxorem contingeret, Quid dicemus de Iosepho iusto, & castissimo, quãtum existimaret peccatum, Domini Dominorum & Dei veri sponsã, atq. intemeratã Matré violare? Si ille iuuenis, in quo libidinis flamma titillabat, stuprum recusat, senex attentabit, Sanctã Dei genitricé temerare? Ille tẽtatus a Domina de nefario scelere, vestem in manibus mauult relinquere quam castitaté: iste summis precib. a Virgine de Virginitate conseruãda rogatus, castitatis periculum Matri Dei intentabit? Siccine in cogitans, maleq; castus & salax erit, vt in summa etiã senectute constitutus, a re vxoria se non potuerit cohibere? vtque libidine nescio qua flagranti concitatus, in Sacrosanctum illud templũ polluendum inuolarit? Deinde. Ille qui ante partũ Marię, a cõplexu illius abstinuerat, post partum tot miraculis coruscum, Sanctã Virginé ad ré vxoriam sollicitabit? Ille qui ante admirãdam Natiuitatem, a conuictu Mariæ, indignum se reputans, se subtrahere volens dicebat. Ego ne cũ illa, domésticã agã cõsuetudiné, q̃ tantę grauitatis & exquisitę puritatis, omnisq; virtutis viuum velut speculum, & exẽplar se mihi, ac oĩbus admirãdum potius quam imitandum prębet. Fortasse de Spiritu Sãcto cõcepit, vt ego neq; mariti, neq; mãcipij officiũ, illi digne vndequaq; possim exhibere. Pręstat igitur discedere, q̃ cũ periculo illi cohabitare, in qua mirabilis Deus, pręstãtiora q̃ ego exiguus assequar fortassis operatur. Iste igitur qui ante Maternũ partũ, ab illa se subtrahere volebat; post partum quasi Diuini timoris expers, ad carnale commercium vsurpare non verebitur? Ille quem scriptura virum iustum & religiosum vocat, quem Diuinis reuelationibus dignatus est Deus; quem idoneum spectatoré, & testem tot miraculorũ, quę circa Christi cunas obtigerunt fecerat Altissimus; post partum sine dolore, post Angelicum concentum, post stellæ apparitionem, post magorum aduentum, post Angelorum reuelationem, senex, decrepitus, Mariæ congressum concupiscet? Quo (interrogat Epiphanius) senex

Iosephi castitas & timor.

senex Ioseph, & prouectæ ætatis, tanta signa & miracula audiens, non verebitur debacchari, & contumelia afficere corpus Sanctum, in quo habitauerat Deus? Qũo audebit, tantæ ac tali Sanctæ Virgini copulari? *At desponsata erat*, inquis, *Ioseph*o, Quæ res vt Centuriatores fatentur, nequaquã per iocũ, aut simulatè fieri potuit. Euangelistæ enim certo affirmant, Mariã Ioseph in coniugũ fuisse desponsatã. Vnde liquido constat, ita vtrumq. Ioseph & Mariã fuisse affectum, vt statuto tẽpore, more aliorũ coniugum, voluerit liberos dante Deo procreare. Alioquin & Euangelistæ, certissimi rerum talium testes, aliter fuissent locuti. Petrus deinde Martyr argumentatur, Mariam iuxta cursum atq. morẽ aliarũ eiusdẽ generis virginũ nupsisse, & in viri cõgressum consensisse. At longe aliter Sancti Patres, desponsationẽ Mariæ interprætantur. *Desponsata est Maria*, secundum Bartholomeum apud Abdiam, *verum minime nupta*.[a] Epiphanius,[b] & Cyrillus, Mariã Iosephi vxorem propter solam despõsationem, autumant.[c] Euthymius, Mariam a Iosepho non ad nuptias, sed ad custodiam accipi dicit.[d] Hieronymus, Mariam Iosephi dicit coniugẽ, eo quod esset nutritius eius non maritus. Quare si aliquando vxor Ioseph appellatur, vxor seu coniunx nõnisi spõsę loco vsurpatur, vt[e] post Hilariũ Theophilactus docuit; nimirum vt prægnans virgo, rectius omni suspicione incontinentiæ liberetur, nec ab vllo vitiata esse crederetur. *Desponsata deinde Maria*, (ait Hugo Victorinus) virgo virum habere consensit, vt propositum suum celaret; vel quia parentibus nuptias imperantibus, inobediens esse timuit, spe quam apud Deum habebat non dubia, quod eam custodiret. Suscepit coniugium; sed non mutauit Virginitatis propositum. De Virginitate siquidem eius, hoc piè fides & pietas fideliter confitetur, Quod eius perfectionem non imminuit coniugalis consensus, sicut ipsius castitatem non violauit conceptus; nec integritatem abstulit partus. Spontaneus enim consensus, inter virum & fœminam legitime coniunctos, quo vterque alteri debitorem sui se spondet, iste est quo coniugium est, ipsa videlicet societas, tali consensu fœderata, quæ altero viuente, alterum ab altero non dissoluit. Est & alius consensus cõmertijs .s. carnalis adinuicem exigendi & reddendi, similem inter virum & mulierem constituens pactionem, comes non effector coniugij, officium

Cent. li. 2. c. 10. Math. 1.

Maria qũo desponsata.

in uita Barthol. Apost.

a hær. 78

b Cat. 17

c in 1. c. Math.

d in 1. c. Math.

e in 1. c. Math.

in lib. de perpetua virg. Mar.

Maria cur despõsata.

Matrimonij essentia accidentia.

cium non etiã vinculum. Qui & ipse cum vtroq. pari voto suscipitur, pari necesse etiam voto teneatur. Sed huius debiti necessitas, illos coniugatos adinuicem sibi non subijcit, in quibus dum Sanctificaretur coniugium, huius operis consensus non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante, veritatem, seu virtutem coniugij cessare credendum est; imopotius tanto verius ac sanctius est coniugium, quod non libidinis ardore, sed solo charitatis nexu fundatum est. Quid enim in concupiscentia carnis, coniugiũ Sanctũ esset, & in charitate nõ esset? Absit. Sed multo verius ac Iustius, Sanctum ac verum dicitur, vbi nihil habet castitas vnde erubescat, sed charitas vnde glorietur. Imo secundum Augustinum, beatiora coniugia iudicanda sunt, quæ siue filijs procreatis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare posuerint. Solus enim consensus, non coitus matrimonium facit. Non rumpitur inter illos vinculum coniugale, imo firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque seruanda sunt, non voluptarijs corporum nexibus, sed voluntarijs affectibus animorum. Tale coniugiũ fuit, inter Valerianũ martyrẽ & S. Ceciliã itidẽ clarissimam martyrẽ. De qua Annales Ecclesiæ prodiderunt; quod post votum virginitatis Deo promissum, viro nupsit Valeriano; credens siue ex reuelatione, siue ex inspiratione Diuina, se nullam Virginitatis corruptelam, imo maximum emolumentum percepturam. Quod & rei euentus probauit. Ex his enim nuptijs prouenit, vt sapientissima virgo, sponsum suum & suum fratrẽ Tiburtium, & fidei, & Virginitatis, & Martyrij sociũ effecit. Tale coniugium fuit, inter Galliæ comitem Elzearium & Dalphinam Virginem, in Ciuitate Massiliensi. Quorum vterque insimul ad Ecclesiam adeuntes, fusis primo præcibus, post sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti communionem votũ Virginitatis in hunc modũ iurarunt. Domine Iesu Christe, a quo omne bonum & omne donum proficiscitur. Ego peccator fragilis & infirmus, sine tuo speciali dono, non possum caste & continẽter viuere; sed de tuo singulari adiutorio confidẽs voueo & promitto tibi & sanctissimæ Matri tuæ, atq. omnibus Sanctis, toto tempore vitæ meę, me caste victurum & Virginitatem seruaturum, quam hucusq. tua benignitate custodiuisti. Atque huius promissionis exequendæ causa, paratus sum quascũ

que

Matrimonia quæ beatiora.

li. de ser. D. in mõte c. 14. & lib. de nuptijs & concupis c. 11.

Matrimonio quidã coniuncti virginitatem vouerũt.

que afflictiones, & pœnas, atque etiam mortem ipsam perpeti? Tale coniugium inueniaturne nostris luxuriantibus temporibus, nec ne? præsertim inter carnis emancipatos seruos, hæresum cultores? Non est necesse id dicere, reipsa clamante. Non sunt. nō, inueniūtur mō nec Valeriani, nec Cęcilię, nec Elzearij nec Dalphinæ, nec Henrici, nec Chunegūdes, nec Theophanes vel Elizabethæ, qui Eunuchatum Euangelij profiteantur. Magis quā ipsi Ethnici luxu & mollicie, & lasciuia defluxerūt o ēs. Ita ad coniugum expugnandam pudicitiam omnibus telis, omniq. artificio Sathan vsus est; & ita omnia libidinis irrimēta, Dęmon in Matrimonijs concitauit, vt matrimonia horum temporum, à meretricia voluptate parū distent. Taceo cæterea. Quis horum causa? Quis eorum ansam dedit? Hæretici docentes. Solus coitus, non consensus matrimonium facit. Cum potius, cum vniuersa Ecclesia docendum esset, *Solus consensus, non carnalis congressus coniugium facit*. Verum matrimonium dicebat esse Augustinus inter illos, qui procreationem liberorum, nec quærunt, nec sperant; sola interim animorum coniunctione coniuncti. Licet igitur Beatam Virginem dicamus, veram fuisse vxorem & coniugem Iosephi, & Iosephum fuisse verum maritum Mariæ; non tn inde euincere facile erit, Mariā in congressum carnis consensisse, licet in copulam animorum coniugalē, seu vinculum coniugii assensum præbuerit. Docuit hoc Aug. loco proxime citato. & alibi in exemplum fidelib. hoc idem proponit. Hoc inquit exemplo, magnificè insinuatur coniugatis fidelibus, etiam seruato pari consensu, posse permanere voueri-que coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Docuit & eo senior Ambrosius. Desponsata, inquit, viro Mater Domini, coniugis nomen accepit. Quum initiatur coniugium, tum coniugij nomen adsciscitur; non enim defloratio Virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis; Cum iungitur puella coniugium est, nō, cum virili cōmixtione cognoscitur. Quamuis igitur coniugium, neque per iocum, aut simulate, inter Ioseph & Mariam fuerit; non tamen consensus in vsum carnis. Ioseph. n. fuit conscientia sponsus, testimonium castitatis, atq. pudoris custos, vt Chrysologus voluit. Ioseph, Gregorio volente, integerrimæ custos virginitatis & sponsus, non in fœdus solenne coniugij, sed ad consortium communis habi-

Matrimonia huius temporis qualia.

Mariæ & Ioseph. fuit uerū Matrimoniū quō.

lib. 2. de consensu Euang. c. 1.

lib. de instit. V. c. 5.

ser. 175. hom. 26. & 27.

habitationis ascitus fuit. Hieron. sibi vendicat, etiam ipsum Ioseph, virginem fuisse per Mariam; vt ex virginali coniugio, virgo filius nasceretur. Si. n. ait, in virum Sancti fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur, Mariæ autem quam putatus est habuisse, custos fuit potius quam maritus; relinquitur Virginem eum mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari. Rupertus, Mariam & Iosephū *lilia candidissima* appellat, ad eos applicando illud quod sponsa dicebat. *Dilectus meus, pascitur inter lilia.* An non lilium castitatis Sanctissima Virgo; cuius vitam & decus Virginitatis, omnes, & coniuges, & viduæ, & virgines tanquam Ideam omnis pudicitiæ sibi statuerunt? Non lilium est illa, quæ prima insuetam omnibus anterioribus sæculis, viuendi rationem ingressa est? Quæ prima in connubio supra morem humanum vixit, nullu carnis vsu, Angelicam duxerit vitam? Non lilium est illa, quæ iuxta Cyprianum, adeo compressum corpus habuit, vt legem mentis eius nulla lex carnis infestauerit, & rebellio nulla quietem Spiritus afflixerit, quum Virgo esset tam casta, tam pura, Sancta, perfecta, vt Virginitatis eius (vt addidit Basilius), nihil æquale; & ad effectum spiritus Sancti excipiendum, nulla inter homines puritas, aptior potuerit reperiri? Non eam profecto, adiecit Ambrosius, Dominus Iesus eligeret sibi Matrē, quæ virili semine aulam posset incestare Cælestem cui esset quasi impossibile, virginalis seruare custodiam pudoris. Elegit talem quæ virginitatis thesaurum, Deo Angelisque gratissimum, a viro mortali nequaquam eripi passa est. Elegit talem, quæ summam inhabitantis gratiam dulcedinemque spiritualem degustans, adea quæ carnis atque libidinis sunt sese non deijciens, illud quod spiritu Duce & authore promiserat consummaret. Elegit talem, cuius exemplo, cæteræ ad integritatis studium prouocarentur; ipsa vero ab huiusmodi, quod per se cæteris propositum foret munere, nunquam deuiaret. Maiorem curam materni corporis, quam sepulchri habere voluit; In hoc enim mortuus, nouo & inuiolato, in quo nullus alius vnquam conditus fuerat, nec condendus erat; sic & illo viuus, in temerato & nunquam viri congressu violando, recubuisse voluit. Virgo igitur Maria non deficit; non deficit Virginitatis Magistra, non poterat fieri vt quæ Deum portauerat, portandum hominem

in lib. Cant.

Maria & Ioseph sunt lilia castitatis

nem arbitraretur. Nec Ioseph vir iustus, in tantam prorupisset instantem amentiam, vt Matri Domini corporeo concubitu misceretur. Coangustatum est immaculatum eius cubile, vt alter transiens in illo recumbat impossibile est, & alter de illo decidat necesse est; *pallium deinde breue est*, Gyganti Deo vix sufficit; *alterum operire non potest*. Beata virgo, virgo est ex voto, virgo fuit in concipiendo, virgo in pariendo, virgo postquam partum Diuinum ex vtero profudit. Non permittetur & non relinquetur, ait Epiphanius, & Sanctæ Mariæ vox virgo, & non mutabitur. Impollura enim permansit Sancta, quę digna facta est habitaculum fieri filij Dei, & ad hoc ex multis millibus electa, vt virginitatis Princeps hic in terris existens, promissum virginitatis decus perpetuo seruans, sempiternis ab eo præmijs, in Cœlesti gloria decoretur, in secula sæculorum. Amen.

MARIA

MARIA.

Tripliciter Sol exurens montes; radios igneos exsufflans Eccl. 43.

CONCIO TRIGESIMAOCTAVA.

In qua nominis Deiparæ Virginis MARIAE excellentia explicatur.

DIVINVS Sapiens mulieris sedulæ laudes, dum explicare cupiebat, illam esse in domo, ac si Solem lucidissimum in mundo, tali sermone prædicabat. *Sicut*, inquit, *Sol Oriens mundo in Altissimis Dei, sic mulieris bonæ species, in ornamentum domus suæ.* Vt enim Sol iste, oculis nostris obiectus, medium quoddam est inter splendentia sydera, omnium inferiorum cõtinens, & elargiens perfectas bonitates, vt inde non multum immerito, a quibusdam appellatus sit, Principium omnium rerum, Pater generationis & exortus cunctorum; ab alijs vero, loco Dei terrestris veneraretur. Sic & mulier bona atque officiosa, in Oeconomico suo Cęlo, medium est cunctorum. In hac enim coniungitur vir suus per amorem, familia vero per seruilem obedientiam. In hac oculi omnium pendent, vt eis solerti cura prouideat: Hæc demũ Principium generationis, siue filiorum per naturam, siue bonorum fortunæ, per vigilem diligentiam, omnium iudicio comprobata est. Quare non est mihi vitio vertendum, vt & ego nomen Sanctissimę Genitricis Dei Mariæ, *simile esse fulgentissimo Soli, dixero*. Quanquam enim illa, non sit, ille Sol materiæ Cælesti concretus. Hic enim in alto Cæli vertice ex nihilo, a principio temporis creatus est; vt sit,

Eccl. 26.

Mulier bona solis nomine vocatur.

Oculus mundi, pulchitudo Cœlorum, causa influens in sublunares effectus, Perfectio stellarum, Gubernator firmamenti, Pater generationis & corruptionis, Lux diffundens se in omnia, interstitium temporum. Quorum, non omnia virgini sanctæ conuenire, clara luce constat. Licet Beata Maria, non sit Sol ille iustitiæ, quē apud Prophetam Deus pollicebatur; *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ*. Iste enim ex immensa & inaspectabili Paterna luce exoriens, lumen est de lumine eiusdem essentiæ, paris potestatis, æqualis Bonitatis & sapientiæ, indiscreti luminis cum lumine Patre luminum; Iste tam sublimis celsitudinis & perfectionis est, ut nemo sit quem non splendore suo collustret: illuminat siquidem omnem hominem venientem in hunc mundum: Nemo est quem calore amoris sui non refoueat, non est enim qui se abscondat a calore eius: Nullus est quem obtutu scientiæ suæ, a suo conspectu absconditum, non aspiciat. oculi enim Domini multo plus lucidiores sunt sole, contemplantes etiam profunditatem abyssi: Nullus est, quem omnipotenti & efficaci potentia sua non attingat. Omnia & enim ex ipso, & in ipso, & per ipso, & per ipsum condita sunt. Quorum pleraque, virgini castissimæ propria facere, grauis error est. Tamen & ipsa quoq; Solis nomine non temerè, nec incongrue gaudere potest; cum & Diuinus Psaltes de illo Gigante incircumscripto Deo, summis præcordijs exultate ad percurrēdam nostræ salvationis, (illius scilicet Fælicis Legationis, de qua idem sæpius recordabatur dicens; *Misit me uiuens Pater*) viam scriberet; ex quonam Thalamo, vt sponsus speciosissimus processerit, aiebat. *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus, procedens de thalamo suo*, Mysteriorum vero secretorum acerrime videns Aquila Ioannes, vna dierum contemplatus est, *quoddam signum magnum in Cœlo. Mulierem scilicet amictam Sole, & Lunam pedibus calcantem*: Verum quid nam est o sublimis vates? Signum magnum dicis, apparuit in Cœlo. Quod magnum atque immensum signum? Quid tale emicuit in Cœlis, summa dignum admiratione? *Mulier*, ais, *amicta sole*? Sed quid magnum, si Sol amictus est Sole? In sole posuit tabernaculum suum, quid ergo est admirandum, *Mulier amicta Sole*? Demum, quid excelsum, si Mariam Solem insuper esse vocabitis? Si enim mulieris

Maria Solis nomine obtinet

Ierem. 23.

Maria Sol dicitur.

Psal. 18.

Apoc. 12.

Maria signum magnum.

geli suasu, se Ancillam humilem Deo exhibens, ex his miserijs ad Cœli delitias reduxit. Quid ergo mirum? Quid stupendum; si tu Ioannes Mariam virginem amictam Solo vidisti? Salua sit tibi tua veritas; maius quiddam sapiens de illa perhibuit. Sublimius enim est, quod ex sapiente, de Maria dicere possumus. Maria est *Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans & refulgens.* Si etenim iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Dei, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellę in perpetuas ęternitates. Qui vero docti fuerint, sicut splendor firmamenti transparebunt. Si deinde Saluator noster, ad dexteram Patris in Cœlestibus residens, secundum naturam assumptam, *septempliciter lucebit plusquam Sol,* vt ex Isaia didicimus, *Et erit* inquit *lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui.* De quo autem Sole intellexerit, declarauit ipse alibi, Non erit, ait, tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor lunę illuminabit te, sed erit tibi Dominus Deus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra Sol tuus, & luna tua non minuetur. Quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur luctus tui. Quę verba vsurpans Ioannes, in sua Apocalypsi, Deo & Agno attribuebat. Et Ciuitas illa Hierusalem supramundana, non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea: Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus. Christus igitur Saluator mundi cum septempliciter magis, quam Sol effulgeat; Iusti vero, tanquam Sol splendeant in Regno Patris eorum. Beata autem Deipara superior est in Cœlis; cunctis agminibus iustorum excellit insuper & ardentes choros Seraphinorum; sit vero inferioris meriti & gradus Filio suo. Sancta Maria, cum sit quoddam medium inter Filium suum Deum & Hominem, atque cęteros quantumlibet Sanctos, iure optimo *Tripliciter Sol exurens appellari debet,* vt & inferior Christo eius vnigenito Filio; & sublimior quacunque Creatura, demonstretur. At o me miserum potius quam præsumptuosum. Quomodo ego vermiculus vilis, in tanti fulgoris aciem mentis meę dirigam? Ad quem modum, ego splendidissimum iubar intuebor? Sol iste tripliciter exurens est? heu me, incendio eius consumi vereor. Radios igneos exsufflat? ego si ad illius laudes eloquędis

Maria est Sol tripliciter exurens. tripliciter exsufflās tripliciter refulgens.

Isai. 30. & 60.

Mariæ & sanctorū qui splendor in Cęlis.

accef-

accessero, niuis instar frigidę, dissolui pertimesco. Refulgēs iste Sol, radijs suis obcæcat oculos? quô oculos ęgros, ad te attollā meos? Aquilæ sublimes viri Cęlestes, nequeuntin tuū lumē cādidum & quasi ab oī creato inaccessum, aspicere; quid ego vespertilio faciam? Bernardum tuum illum deuotum, nihil magis delectat, quam intueri te Solem clarissimum, verum nihil etiā magis terret q̃ intueri. Quid ego noctua, tenebris ignorantiæ obnubilum habens intellectum, quid contendam? Eleuata est magnificentia tua super omnem creaturam, ita vt nec in Cælo inueniatur, qui tuam digne laudare queat sublimitatem; nec in terra sit, qui tuum possit compræhendere splendorem. Quomodo igitur ego cæcitate perfusus contemplabor? Quomodo lingua mea balbutiente, nominis tui magnitudinem prædicabo? Infandissima lingua mea, quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labijs, nec purgata igne Altari, quid dignum maiestati tuæ poterit immolare? Tamen amor superans timorem, & ardor contemplandi vincens ignorātiam me attollit; vt & ego vel minimam scintillam radiorum tuorum attingam. Tu solum ô potentissima animæ meæ medicina, quia gestas vbera fragrantia vnguētis optimis, inunge collirio oculos meos, quos hirūdo illa infernalis, suo stercore malitiæ excæcauit; vt in offensa pupilla, te lumen meum dulcissimum atque desideratissimū, conspicere merear. Tu quæ Domina es Angelorum, præcipe Cherubino, vt & mihi de superno altari, in quo Panis vitæ propositus erat, de te Altari aureo non quidem carbonem vnum, sed ingentem igneum globum afferat, Qui videlicet multam & inueteratam prurientis oris mei rubiginem, ad plenum excoquere sufficiat, quatenus lumen tuum, *Tripliciter exurens & refulgens*, Trinam nominis tui interprætationem, nubibus & inuolucris verborum infantilium obuoluens, non satis laudare, sed attingere possim. ¶ *Tripliciter Sol exurens mōtes*; Marię triplicem (apud Patres celebratam) nominis explicationem insinuare, mihi videtur. Non sine enim mysterio occulto, ab Ecclesiastico de hoc Sole dictum est. Primo quod sit exurens montes; Deinde quod sit exsufflans, igneos radios; Demum quod refulgens, radijs suis obcæcat oculos. Nimirum, vt Mariani nominis significatum aperiat; quæ exurit montes per Dominium. Maria enim [a] Epiphanio, [b] Chrysologo, [c] Damasceno [d] Eucherio,

ab omni creato.

Marię nominis trina significatio.

Maria Domina.

a ser. de laud. V.
b ser. 146
c li. 4. de fid. c. 15.
d lib. 2. instruct.

Eucherio, Dominam significat. Sic inter alios Damascenus. Parit, inquit, Anna Dominam, nam hoc Marię nomen denotat. Merito siquidem, omnium creaturarum Domina declarata fuit, quę illum enixa est, qui condidit vniuersa. Exsufflat deinde Maria igneos radios, per illuminationem. Maria enim Bernardo, Bedę & Epiphanio, illuminatricē signat. Vnde Epiphanius dicebat. Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi. Pręclare etiam, puellę Marię Beatum nomen interprętatur, Illustrata, ut pote quę illustrata sit a Filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terrę, credentes Trinitati illuminauerit. Sancta enim puella virgo Maria, est sponsa sanctę Trinitatis, & thesaurus dispensationis plane archanus, cui Gabriel inquit Gratia plena. Demum refulgens, radijs dicitur obcęcare oculos, per omnium gratiarum, & perfectionum plenitudinem. Maria enim apud alios plerosque; perfectam, quę omnia in se complecteretur spiritualia bona, denotat. Vnde ad rationem quandam Ethimologię aspicientes, simile esse aiebant. Sicut Deus congregationem omnium aquarum appellauit maria; ita congregationem omnium radiorum gratię, in hac fœmina gratia plena, appellauit Maria. Vnde S. Antoninus aduertit, quod Angelus salutans Mariam, de proprio nomine, quod est Maria, mutauit dicens, gratia plena. Hoc enim nomen, quod est gratia plena, circumlocutio est proprij nominis Beatissimę virginis, & personę ipsius. ¶ Verū antequam diffusius, in interpretando hoc sublimi nomine exspatiemur: illud primo statuendum est, interq Deum & hominem interstitium, in nomenclatura imponenda permaximum. Quia homines, plerumq; præclara epitheta Diuinosque titulos, hominibus tribuere solent, quibus tamen bona titulorum & nominum conferre nō possunt; Dei vero liberalitati repugnans est, dignitatis nomina sine dignitate conferre. Hinc summi Pontifices & Imperatores, quorum exiguæ opes, & tenues facultates sunt, honorifica sæpe nomina sine vllis opibus, uel dignitatibus tribuunt. Sic enim Titulares Episcopos, Patriarchas, Archiepiscopos; sic Ducum, Principum, Comitum, Illustres quidem sed manes titulos conferunt. At Dei veritas & magnificentia, non inania & fucata, sed solida & vera dignitatum nomina imponit. Sic

Maria illuminatrix.

Maria perfectionū gratię thesaurus.

Maria idē est gratia plena.

De' quomodo nomina imponit hominib.

Adamum principium generationis, & Euam matrem viuentium cognominauit, & effecit. Sic Abraam multarum Gentium Patrem, Iacobum Israelem Deo præualentem, & vocauit & fecit. Sic Ioannem Baptistam, non modo gratię nomine vocauit, sed etiam gratiam contulit, quando illum in materni adhuc vteri angustijs inclusum, Spiritu Sancto repleuit. Sic Ecclesiæ suæ Principem, qui Simon antea vocabatur, Cephas Syriaca lingua, quod Petrum vel Petram significat appellauit; quia illum re & nomine solidum Ecclesię fundamentum instituit. Quare si Idiotæ, uiro non contemnendæ authoritatis & sanctitatis credimus, quod hoc *nomen Maria, Virgini Sanctissimæ de Cælis allatum & impositum est*; Si Antoninum Pręsulem doctissimum sequimur, quod hoc nomen Maria, idē est quod gratia plena; hæc autem nomenclatura de Cœlis, ad virginem, per Gabrielem Archangelum perlata est. Necessario quoque fatendum erit; hoc nomen augustum, cunctis nominibus post illud Diuinum, in quo omne genu flectitur, venerabilius & sublimius, non inane fore? Neque superuacue datum Mariæ; sed datam esse & dignitatem, & gratiarum plenitudinem, per quam esset superior cunctis, magistra, & Domina; sine tergiuersatione aliqua confitendum est. Quocirca & Chrysologus dicebat, quia hoc *nomen, Prophetiæ germanum est; hoc renascentibus salutare; hoc virginitatis insigne; hoc pudicitię decus; hoc indicium castitatis; hoc Dei sacrificium; hoc hospitalitatis virtus*; *hoc* collegium Sanctitatis.

Mariæ nomen de Cęlis allatum.

In lib. contēplat de virg. c. 5.

ser. 148.

Dixerant Sancti Patres, hoc nomen Maria significare Dominam, ob eam potissimum rationem; eo quod Dominum genuerit. Sic enim Athanasius magnus argumentabatur. Qnandoquidem, inquit, Christus rex est, qui natus est ex virgine, idemq; & Dominus & Deus; ea propter & mater quæ eum genuit & Regina, & Domina, & Deipara, proprie & vere censetur. Licebitq; nobis ita congruenter dicere, dum ad ipsam, & ad eum qui ex ipsa genitus est, carnigerū Deum respicimus. Quod si nomine Domini dignamur terrenos Reges, & eos qui ex nobili prosapia exorti, sublimem gradum aliquem assecuti sunt; ecce Maria Regina est mundi, nobilissima stirpe Dauidis Regis progenita, Filia magni Patriarchæ Abrahæ: quæ in sua genealogia, inclytos illos Iosias, Ezechias, Salomones, Isaacos,

Maria quare Domina appellatur.

in homil. de Deip.

Iaco-

& Iacobos, tot Reges potẽtes atq; sapiẽtes, tot Patriarchas Sanctos & Deo familiares, tot Principes & summos populi a Deo electi Sacerdotes numerabat; ecce Sanctissima Deipara, summum honoris gradum post Deum assecuta, quo nec altior, nec dignior, nec maior excogitari potest, qui nec Angelis, nec Archangelis, sed nec supremis Cherubinis concessus est. Cui.n. ex Beatis spiritibus dictum est. In utero concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, qui erit magnus, & filius Altissimi vocabitur? Quis Angelorum, audacter Deo nostro dicit. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Sufficit eis & pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt & vocati Angeli, testante Dauid. Qui facis Angelos tuos spiritus. Maria vero matrem se agnoscens, maiestatem illam cui illi seruiunt cum reuerentia, illa cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, ait Bernardus, quod esse dignatus erat. nam paulo post subdit Euangelista. *Et erat* inquiens *subditus illis.* Quis? Quibus? Deus hominibus. Deus inquã cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tãtum Mariæ, sed & Iosepho propter Mariam. Mirare vtrumlibet, & elige quid amplius mireris. siue filij benignissimam dignationem, siue Matris excellentissimam dignitatem. Vtrinq; stupor vtrinque miraculum. Et quod Deus fęminę obtemperet, humilitas absque exemplo; & quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, q sequuntur agnum, quocunque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiã præit? Titulo igitur Dominæ censebis indignam, quę etiam domino dominorum, & Regi Regum principatur? Non dominam appellabis, quæ Regina est mundi, quæ clarissima Patriarcharum, & summorum Principũ stirpe exorta, ad summum creaturæ possibilem gradum euecta est? Domini nomine, existimo magis digni sunt illi, nõ qui greges histrionũ, vel cateruas parasitorũ post se ducũt, sed qui factis egregijs sempiterna memoria & celebritate insignib. stipati sunt; neq; qui mãcipijs & seruis subditis, sed suis effrenibus cupiditatibus imperãt; neq; qui vmbras hominum, imbelles pauperes, exteras gentes, sed suos irrationales affectus comprimunt & rationi subiugant. Domini potius censendi sunt, illi qui sibi ipsis po-

Mariæ sũmũ honoris fastigium.

Luc. 2.

Ho. 1. super missus est.

Domini qui vocãdi potius.

tius quā alijs Principantur, & se infra limites honestatis & iustitiæ cohibent, nihilque attentant quod recta dissuadet ratio. Quo enim potētiores, & magis infestos subiecit aliquis hostes, eo maius Imperium & dominium obtinuit. Beata autem Deipara Maria, fortissimorum inimicorum compressit furorem. Pede suo superbi Dæmonis caput contriuit, ita vt nūquam contra eam, in specie serpentis exsibilare potuit; nunquam *flumine illo, quod pestifer draco ex faucibus suis post eam miserat, eam obruere valuit.* Virtute demum & gratia diuina, affectibus suis ita pfectè imperauit, & ita motus carnis animo subiecit, vt caro nunquam aduersus eius spiritum concupisceret; non vllius turpitudinis mens idola efformaret, vel spiritui proponeret, nō alicuius libidinis æstum, aut pruritum titillaret. In Maria legem mentis (ait Cyprianus) nulla lex carnis unquam infestauit, & rebellio nulla quietem spiritus afflixit. Quid enim gratię plenitudine non vicisset? Quid ex suffocato fomite, mali persensisset? Si Baptista Domini præcursor, propter plenitudinem Spiritus sancti, nullum vnquam sensit motum rebellem; sed ad talem ac tantam se componebat animi celsitudinem, vt esset Angeli cuiusdam instar terreni, durissimis habenis comprimens brutales corporis humani affectus; Si plenitudo gratiæ, in eo tantam valuit efficere sanctitatem, vt nullum vnquam senserit mortalis labis contagium; Quid existimandum est de virgine Deipara, quæ maiorem gratiarum plenitudinem, a filio suo recepit? Ipsa forte, non perfectum exercet super se suamq; carnem imperium? In aliquo spiritui eius, caro contraibit? aut repugnabit? Sed hoc neutiquā, & dignitati gratię, & dignitati maternę, & dignitati Filij cōuenit. Dignitati gratię nō cōuenit. Vt.n. docebat S. Doctor. Quia tāta gratia Sāctificationis collata est Beatæ Marię, ut fomes, (illa s. inclinatio & promptitudo ad peccandū) in ea remāserit ligatus; nō quidē, per actū rationis suæ, sicut in viris sanctis, quia non habuit vsum liberi arbitrij, adhuc in uentre matris existens (hoc.n. est speciale priuilegium Christi) Sed per abundantiam gratię, quā in sanctificatione accepit; & etiam per Diuinam prouidentiam, perfectius sensualitatem eius, ab omni inordinato motu prohibentē. Postmodū vero, in ipsa cōceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credēdū est, ꝙ ex prole redun-

Maria sine peccato

Maria a sēsualitate nunq̄ fuit impugnata.

Mariæ fomes ligatus.

redundauerit in Matrem. Et hoc signatur Ezechielis 43. vbi dicitur. *Ecce gloria Dei Israel, ingrediebatur per viam Orientalem.* scilicet per Beatam Virginem, *& terra* scilicet caro *ipsius, splendebat a Maiestate eius* s. Christi. Repugnat hoc, ait idē Angelicus Doctor, dignitati Maternæ. Beata enim Virgo, non fuisset idonea Mater Dei, si aliquando peccasset. Tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud prouerbiorum 17. *Gloria filiorū, patres eorum.* Vnde & per oppositum, ignominia Matris ad Filium redundasset. Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. Cor. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Tum etiā quia singulari modo, Dei filius qui est Dei Sapientia, in ipsa habitauit, non solum in anima sed etiam in vtero. Dicitur autem Sap. 1. In maleuolam animam, non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur, quod dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Ideo de Sancta Maria nulla prorsus quæstio, cum de peccatis agitur, habenda est secundum Augustinum.* Scimus enim, quod ei plus gratiæ collatum fuit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Beata igitur virgo, plenitudine gratiarum perfusa fuit, quasi Sol tripliciter exurens montes vitiorum. Per gratiæ splendorem, per feruorem amoris, per specialem prouidentiā Diuinam. Exussit montem illum præaltum superbiæ, quæ parentes nostros de mōte Paradisi deiecit; per humilitatem. *Respexit* ait *humilitatem ancillæ suæ.* Exussit montem Aethnæ, luxuriæ igne flamantem; per castitatem dicens. *Quomodo enim fiet istud, quia virum non cognosco?* Exussit montem inobedientiæ, per submissam obedientiam. *Ecce ancilla Domini, Fiat mihi secundum verbum tuum.* Exussit per pietatem, montem impietatis. *Exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione*, ad pietatis officia Elizabethæ præstanda. Exussit per fidem, montem incredulitatis. *Beatæ quæ credidisti, quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino.* Exussit per confessionem beneficiorum, mōtem ingratitudinis. *Fecit mihi magna, qui potens est.* Exussit per contemplatiuam vnionem cum Deo, montem odij Diuinorū,

Maria tota pulchra.

Maria exussit montes vitiorum.

Et exultauit spiritus meus, in Deo salutari suo. Exussit per gratiarum affluentiam, alios montes vitiorum. Ab Angelo enim *gratia plena* salutata est. Hęc profecto maiorem quam quælibet alia victoriā, maioraq. trophea reportauit, seipsam cū vitijs subiugando, quam si vel vt Iahel Sisaræ tempora clauo trāsfixisset, vel Iudith caput Holofernis abscidisset, vel vt Amazonum Regina tot gentes debellasset. Tantas igitur, cum de inani hoste reportaset victorias quid nō ergo titulo Dominæ exornāda erit? non Imperatrix gloriosa salutabitur? non Reginæ nomine venerabitur? Memini me, cum Ioanne in Apocalypsi, filium Dei loquentem audisse: Qui vicerit, & qui custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanq̄ vas figuli cōfringentur, sicut & ego accepi a Patre meo. & dabo illi stellam matutinam. Et rursus. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in Throno eius. Beata autem Deipara super alios victores, gloriosior Triumphatrix de seipsa, & de Sathana, maiora trophæa, vt modo vidistis reportauit; datum quoque est ei Imperium super omnes Gentes, & sublimius sceptrum in manibus eius collatum est, quam cuique ex creaturis. Super omnes creaturas, datum est ei assidere in Throno relicto Luciferi, ad latus ipsius Dei. Collatum est ei vt sit Regina mundi, Regina Cœlorum, Regina Angelorum, Regina Sanctorum omnium. Fecit enim nos Agnus Dei, Deo suo Regnum; illam vero quam præcæteris elegit, & summo amore dilexit, omnibus celsiorem Reginam, in sublimiori sede collocauit. Dominæ igitur nomen, iustissima ratione promerebitur. Quo te tua feret stupiditas & impietas Stregeli, vt Mariam, miseram significare contendas? Miserane est illa, quæ suprema fælicitate Cœlesti potitur? Miserane illa, quæ summum dignitatis fastigium consecuta, omnibus creatis prælata est? Miserane, illa quæ gratia plena, puritate qua maior intelligi nequit, enituit? Quæ te ad eam infandam blasphemiam induxit, vt tu scortum tuum, vilem mulierculā Dominam vocites? Dei autem Matrem, Sanctę Trinitatis sponsam, Reginam mundi & Angelorum, contra tantorum Patrū sententiā, contra lumen rationis, miserā significare Mariam blaterabis? Nunc Sancta *adest Regina* (ita cum Athanasio hanc ser-

Mariæ Thronus Regalis.

Apoc. 2. & 30.

Stregelij stulta temeritas, de nominis Marię significatio.

victorinus stregelus. in scholijs circa 1. c. Lucæ.

Athanasij pulchra de virgine sententia.

hom. de S. Deip. (sermocinationẽ contraho) *a dextris Dei in veſtitu deaurato, circumamicta*, variegata, eo quod ſecundum ſexum fœmineum, Regina, & Domina, & Mater Dei appellari debeat. Eaque nunc vt Regina aſſiſtens a dextris Filij vbique regnantis, quaſi in veſtitu deaurato incorruptionis & immortalitatis, circũamicta & variegata, Sacris, & ſolennibus verbis celebratur. Non quidem ſecundum ſpiritualem ſimplicitatem, aut quaſi ſine corpore, & ſine carne aſſiſtat, ſed quod induta ſit, quantum ſpectat ad Sanctiſſimam eius carnem, incorruptibilitate & immortalitate. Variegata rurſus eſt, quantum attinet ad oſſa Santiſſima, quæ eius carnem ſuſfulciunt. Nã ex carne eius & ex oſſibus eius, velut ex veteri Adamo, nouus iſte Adam vt vicem eius expleret coſtam ſibi finxit; nimirum iſtam incarnationẽ, eamq. ſemel indutam ſemper geſtat. Ac proinde iſta noua Eua Mater vitæ appellatur, variegataq. permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicamus igitur, eam iterum atq. iterũ, & ſemper, & vndequaque Beatiſſimã. Sicut ergo cũ ad ipsũ aſpicimus, Regẽ & Dñm, & Deũ appellamus, ita quoq. cũ ad eã oculos reijcimus, Reginã, Dominã, & Deiparã eſſe animaduertimus, idq. cõtẽplatione oculi mentalis. Maria igitur eſt Domina. Tripliciter Sol exurẽs montes, p potentiã gratiarũ.

Eſt & alia interpretatio nominis Mariæ, ſ. Illuminatrix, cui ex Ecclesiaſtico correſpondet. *Tripliciter, Sol exſufflans igneos radios.* Exſufflauit primo igneos radios, illuminãdo corporaliter, multis enim cęcitate affectis, delectabile lumen reſtituit. Refert S. Antoninus, inter alia vnum exemplum, de quodam qui optarat, & frequentib. orationibus a Deo poſtularat, vt pulchritudinẽ Marię, de qua legerat, *quod eſſet tota pulchra, & ſine macula*, videre mereretur. Cui dum Angelus renunciaret, quod ſi eam aſpiceret, ex nimio ſplendore, viſu priuaretur. Dixit, ille ſe nihil de hoc curare, tantummodo vt eam videret. Intra ſe tñ cogitabat, vt ſi ſibi B. Virgo appareret, vnum tantum oculum aperiret ad videndum, ne vtroq. occæcaretur. Dũ ergo ſemel ſibi orãti Maria appareret, ponens manũ ſuper vnũ oculũ ne aperiret, cũ cępiſſet alio aſpicere, tanta cõſolatione perfuſus eſt, ꝙ vt plenius aſpiceret, remouens manũ, aliũ aperuit. Cæcitate demũ ex nimio ſplendore percuſſus, prę nimia dulcedine turbatus nõ eſt. Deprecatus eſt tñ virginẽ, vt ſaltem vnius oculi viſum ſibi reſti-

Maria il-luminat corporaliter.

4. P. t. 15. c. 34. 3.

tueret, cuius auxilio victum sibi acquirere posset: Beatissima vero virgo, non solum vnum sed vtrumque igneis suis radijs illustrauit. Exsufflauit deinde radios igneos Maria, filium s. suum vnigenitum, qui veniens in mundo, Oriés in hac vastissima sub lunari vniuersitate, illuminauit omnem hominem venientem in hunc mundum. Christus enim est lux mundi & splendor gloriæ. Christus est lucerna illa perpetuo ardens & lucens, in ciuitate supercælesti Hierusalem. Christus est Sol iustitiæ septempliciter lucens. Per Christum, Maria illuminauit illos, qui in tenebris & in vmbra mortis vincti sedebant. Per Christum, cymerias huius mundi tenebras, & cęcam caliginem mentium collustrauit. Per Christum, igneos illos radios, igneas linguas Sancti spiritus, edoctas omni veritate, & flammantes perfecto amore, exsufflauit. Exsufflauit deinde radios igneos Mariæ, ipsa Apostolos & Euangelistas decretis filij sui instruendo, vt non immerito ab Idiota, magistra illuminatrix Apostolorum, & ab Augustino, Magistra Gentium, agnominata sit. Iure, ait Bernardus, Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinæ Sapientiæ, vltra quam credi valeat penetrauit abyssum; vt quantum sine personali vnione creaturæ cōditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne, Prophetæ labia purgantur. illo igne Seraphini accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique & circumfundi, tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurū saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari. Insipientia vero omnis longe sub pedibus eius est, vt penitus absit, hæc ab insipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Imo vero & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, qui vere mutatur vt Luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Marię pedib. conculcatus & cōtritus, miserā patitur seruitutē. Nimirum ipsa est quódam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura. cuius plane calcaneo, in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola .n. contriuit vniuersā Hæreticā prauitatē. Alius, nō de substātia carnis suę, Christum

Maria illustrat mentes quomodo.

lib. de contemplat. virg. c. 3.

Maria Magistra Apostolorum sapientissima.

ser. 6. in Nat. Do. sup Nati M. ser. 1.

Maria cōtriuit hæreses.

Christũ edidisse dogmatizabat: alius, paruulũ nõ peperisse, sed reperisse sibilabat: alius, vel post partũ viro cognitã blasphemabat: alius, Dei Matrem audire non sustinens, Magnum illud nomen Theotocos impijssime suggilabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & Beatam eã dicunt omnes generationes. Sed per quẽ conculcati? A quo cõfutati? Per Apostolos a Maria de his omnibus edoctos. Quis.n. magis secretorum Filij Dei, quam Mater Dei conscia esse potuit? Quis illud in secreto animi sui recondidit; quod Angelus secreto ad Mariam venit, eamq; Connubium Spiritus S. induxit? Quod Maria Spiritu S. concepit, quod Ioseph antequam cum ea conueniret, inueniens esse prægnantem ex Deo et Deo, dimittere voluit; quod Angeli nascenti concinunt; quod ipsa sine corruptione parit; quod stella stabulum Gentibus demonstrat, quod tres Reges ab extremis terrę adorant, quis ista ex Apostolis sciuit? quis omnibus his, pręter Ioseph et Mariam affuit? Quis hęc et multa alia, quę circa infantulum Christum, siue fugientem in Ægyptum, siue redeuntem in Nazareth, siue in templo docentem contigerunt, in corde suo conseruauit? *Maria* vt Lucas ait, *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Maria testis & Magistra horum, apud Apostolicam Ecclesiam fuit. Non meministis, quomodo adiurarunt illam Ecclesię, vt eas edoceret de sponso, interrogantes. Dicito nobis o sponsa. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum?* Maria deinde illas edocet. Dilectus meus cãdidus, per gratiam. Mihi.n. dixit Angelus. *Quod ex te nascetur, Sanctum.* Dilectus meus rubicundus, per Regium decorem. mihi enim idem Angelus nunciauit. *Dabit ei Dominus Deus, sedem Dauid Patris eius.* Caput eius aurum optimum. Promissum est.n. mihi, vt illud Sanctum quod ego in vtero gestaui *vocaretur Filius Dei.* Oculi eius sicut columbę, quę lactę sunt lotę, per simplicitatem scientię. Illum enim *audiui inter Doctores disputantem, & respondentem.* Genę illius, sicut areolę aromatum, per verecundum pudorem; nihil.n. turpe ab eo, esse factum ego scio. Labia eius distillantia myrrham pęnitentię. A pęnitentia enim incepit suam Cęlestem doctrinam. Manus eius tornatiles aureę, plenæ Hyacinthus beneficiorum. Vbicunque enim transibat, illic sanabat infirmos. O Magistra Diuina, o Sol mirabilis. Quis tuam admirandam

Maria secretorum filij conscia.

Maria docet Apostolos.

Cant. 5.

doctrinam edisserere potest? Quis deinde Magisterium tuum, laudibus attollere valebit? Merito igitur Illuminatrix Maria significata est. Tertium quia oculus meus aspicere nequit, *Sol enim iste tripliciter refulgens excæcat oculos;* in stellarum splēdore videndum est(& hoc erit sequentis Concionis) Nunc ad te oculos meos conuertens, o Domina mundi & Regina Angelorum, Mater eius qui mundat mundum, Mater illuminationis cordis nostri. Audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri qui sumus de tua familia, et domo Patris tui. Parentes enim tui sumus, secundum generis prosapiæque rationem, nostraque filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te matrem, regenératricem, Dominam, ac herā nominari, eo quod ex te prodijt, rex, Dominus, & Deus noster. assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiā largienti. Qua de causa facta es, vt gratia plena sis, vt pote quæ omni gratia abūdares; idque per superuentum in te Spiritus Sancti. Ideoque vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, ditari scilicet istiusmodi bonis cupientes. Tuo igitur patrocinio nos protege, tuo lumine ardenti nos illustra & adure, per eum qui ad te tantam euexit nominis Celsitudinem, in sęcula sæculorum Amen. Athanas. ubi sup.

MARIA

MARIA.

Et in capite eius Corona ſtellarum duodecim. Apoc. 12.

CONCIO TRIGESIMANONA.

In qua illuſtriores Virginis Mariæ excellentię attolluntur.

EA eſt, ſublimium illarum Cæleſtium ſubſtantiarum conditio, vt non vno nomine, nec vna verborum deſcriptione, excelſæ naturæ earum delineétur. Quum & enim nullum epithetum, rei imponere poſſimus, ni prius eam cognitionẽ appræhendamus; multiplicia vero idola de rebus excelſis, propter earum multiplicem celſitudinem bonorum, efformemus; multiplicia itidem nomina, & diuerſa epitheta, atque difformes circumloquentes methaphoras, eis imponamus neceſſum eſt. Clariſſimum eius rei exemplum habemus, in Diuina enunciatione. Hunc ſiquidem Deum, Dominum, Adonai, Tetragrammaton, Omnipotentem, Aeternum, Immenſum, & id genus alijs innumeris titulis, propter eminentem eius Eſſentiam agnominamus. Vno enim effabili nomine, ineffabilem illam Maieſtatem, quis explicare ſufficeret? Quapropter & illum Solem, tripliciter exurentem, tripliciter exſufflantem radios, tripliciter refulgentibus radijs micantem Mariam, non vna ſed difformibus methaphoris adumbramus. Nunc enim dicimus eam eſſe *ſtellam exortam Iacobi*. Alias cum Ioanne, *videmus, circumamictam ſole*, Dein cum Pſalte appellamus eam *Solare tabernaculum*. Poſt modum cum Eccleſiaſtico. *Solem tripliciter radijs effulgentibus oculos obcæcantem*. Demum *mulierem corona ſyderea caput redimitum habentem*. Et in capite eius mulieris, quam

Sublimia non uno nomine appellãt.

Maria sole amicta & stellis coronata licet ipsa sit Sol & aurora.

quam Ioannes perhibuit esse vestitam Sole, *corona stellarum duodecim*. Quispiam enim horum varietate offensus nomi-num, vacillare posset. Mariam esse Solem tripliciter splendentem asseris; quomodo ergo Sole amicta erit? Maria est Sol, in quo posuit tabernaculum Deus: quomodo stellarum claritate adornabitur? Maria est stella ex Iacob orta; stella stellam ad quem modum coronabit? Non mirum dico, si illam tot diffor mibus magnificamus titulis. Quum enim sit refulgentib: radijs obcæcans oculos; & quum nemo hominum mortalium, in eius splendentem omnigenam perfectionem, obtutus suos dirigere, nullus laudes illius depręedicare, pro eius dignitate queat, Quod in Solis fulgore corruscans intueri non possumus, hoc in stellarum multiformibus, neque adeo lucentibus scintillis, nō pro ipsius maiestate, sed pro nostro posse, enunciamus. Et in capite eius, corona stellarum duodecim. Egredimini nunc Filiæ Syon, & videte Reginam vestram in Diademate, quo coronauit eam Filius suus. circumspicietis enim *in capite eius coronam stellarum duodecim*. Dignum plane stellis coronari caput, quod & ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sydera, quam Sol vestit? Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus Mariæ Regium diadema compactum est? Supra hominem est, Coronæ huius rationem exponere; indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis, abstinentes a periculoso scrutinio secretorum: non incongrue forsitan duodecim stellas istas, (cum Bernardo,) duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videremur, quibus Maria singulariter adornatur. Si quidem inuenire est in Maria, prærogatiuas Cœli, prærogatiuas carnis, pręrogatiuas cordis. Et si fuerit ternarius iste, per quaternarium multiplicatus; habemus forte stellas duodecim quibus Reginæ nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sane singularis rutilat fulgor, Primo quidem in Marię generatione, secundo in Angelica visitatione, tertio in Spiritus superuentione, quarto in filij Dei inennarrabili cōceptione. Sic & in his quoque sydereum irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fæcunda, quod sine grauamine grauida, quod sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore, in Maria corruscant, mansuetudo pudoris, de-

Bernardi expositio 12. stellarum.

ser. Signū Mag.

uotio

uotio humilitatis; magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Licet igitur cum sanctissimo Bernardo, has duodecim prerogatiuas, duodecim his stellis congruenter adaptare possemus; tamen non temere quoque Diadema hoc sydereum, ex duodecim fulgentissimis stellis contextum; Beatitudinis Coronam, qua Coronata Maria, astat a dextris Dei in cœlesti Throno, super ceteros Sanctos glorificata, appellare possumus. Coronam & enim gestare in capite, & coronam stellarum, non est pugnantis viatoris, sed fœliciter in Ciuitate superna Trophæa reportantis. Nemo enim coronabitur, aiebat Paulus, nisi qui legitime certauerit. legitime vero in hac militia vitæ nostræ certare, est morte inimicum supprimere, & calcaneo vitæ caput eius cóculcare. Nemo igitur in hac vita mortali, gloria & honore coronari potest. Coronæ Regum mundi, diademata Imperatorum, infulæ Pontificum non sunt præmia beatitudinis, quin potius sunt signa, curis & anxietatibus, & miserijs aggrauati capitis. Maluit Christus spineam quam illi imposuerant milites, quam auream qua illum onerare quærebant Iudæi, gestare coronam. Pro spinea enim corona Saluator noster, accepit diadema Regni totius mundi, de manu Dei sui. Dedit ei Deus, vt Daniel aspexit, potestatem & honorem & Regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei. Pro legitimo certamine, quod in hac palestra mundi certarunt Sancti, circumamicti sunt in Cœlesti Regno, vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & cantabant canticum nouum dicentes. Dignus es Domine, accipere librum & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Propter victoriam gloriose de inimico salutis relatam, dabo, ait Deus, potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, *& dabo illi stellam matutinam.* stella matutina adornabo caput ipsius. Ex hoc enim, quia iste fuit instar cuiusdam lucis, mundum suo exemplo virtutis illustrantis; quia fuit quasi stella, in medio nebulę tenebrarum mũdi, dabo ego quoque illi in Cœlestibus, iam non obscuram sed fulgidissimam stellam. sydereum diadema imponam capiti illius. Forte immerito sanctorum capita, circulo luminis obducta

Mariæ corona signi ficat beatitudinē.

Coronã nullus in hac uita

Apoc. 2.

Dan. 12.

Sanctorũ capita lumine circũfusa pinguntur, quare.

ducta ab artificibus depinguntur? Non equidem. Splendorem inaccessi luminis, coronatum quas ex manibus Dei receperunt, Ecclesia designare voluit. Qui autem docti fuerint, (promittit Danieli, Michael Princeps magnus,) fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Paulus vero asserebat. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim differt a stella in claritate; sic & erit resurrectio mortuorũ. Qui amplius in mundo lumine gratiæ perfusus fuerit, & qui maiori claritate in his tenebris refulserit, clariorem stellam seu stellas, in Cœlo suprasydereo habebit. Seminatur quidem corpus nostrum, in corruptione cadaueris; at resurget in incorruptione stellarum. Seminatur in ignobilitate, quid enim ignobilius? quid fœdius humano cadauere, quod hominum aspectus ita exhorrescunt, vt corpora quamuis coniunctissimorum, vix aspicere queunt? At resurget in gloria stellarũ. Seminatur in infirmitate, ita enim infirmum est cadauer hominis, vt tertio a morte die incipiat corrumpi. At resurget in potentia stellarum. Seminatur corpus animale, crassum, turpe, corpulentũ, terreũ; At resurget spirituale, subtilitate, & agilitate syderum. Verũ sicut stella differt a stella in claritate, sicut & iusti peregrinantes in hac caliginosa domo, differunt meritis: sic erit & resurrectio mortuorum. Licet omnes in Cœlesti Hierusalem habente claritatẽ Dei, & splendente sicut lumine Iaspidis pretiosi, vel ut crystallo purissimo fulgenti, idem lumen videbunt, & ex eadem luce coronabuntur; non tamen ad eundem sed differentem modum. Quum alijs dabitur Aurora matutina, in præmium doctrinæ; alijs Casiopea, in præmium animi pulchritudinis; alijs Aquila, vt contemplatiuam eligentibus vitam; alijs Andromeda denudata, vt paupertatem spiritus sectantibus, alijs Hercules inuictus, vt forti animo omnia aduersa sufferentibus; alijs Hydra, vt prudentibus nihil Deo coæquantibus vel præferentibus; alijs Orion armatus, ut strenue cum hostibus pugnantibus; alijs Cratera vacua vt virginibus; alijs Altare, vt sacerdotibus; alijs Perseus ut Prælatis, alios in suis humeris portantibus; alijs Triangulus, vt popularibus; alijs Pleiades, vt paruulis. Quibusdam vero aliæ, & aliæ pro diuersitate meritorum. Soli Beatissimæ Deiparæ

Beatorũ distincti gradus.

Duodecim stellarũ interpretatio.

Nomina stellarũ.

paræ Mariæ, imposita est Corona illa micantissima Australis: Sola duodecim stellarum coronam, splendidiorem magis quã aliquis Sanctorum gestat. Iactet quantum velit Martyrum victor exercitus, suum Herculeum splendorem; extollat radios suos quantum potest, Doctorum Lucifer; laudibus prosequatur virginum chorus, suam fulgentem Crateram; exurgant demum iusti omnes, & glorientur se splendescere, sicut Sol in Regno Dei; Mariæ coronã hæc oĩa obũbrat: Marianũ lumen hæc omnia obscura reddit. *Maria est tripliciter refulgens Sol.* Mariæ caput & Hercules martyrum, & Cratera virginum, & Aurora Doctorum, & Andromeda pauperum, & omnes aliæ duodennæ stellæ exornant. Gloriantur Doctrina exculti, contemplatiui homines, se perfectius sublimem faciem Dei contemplari: iuxta quod Aquila illa Cœlestis Ioannes pollicebatur. *Nunc scimus quod filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quapropter Aquilæ claritatem, se illic obtenturos expectant. Non deest Beatæ Virgini hoc præclarum Sydus Quin & maiori claritate illius sacratum cingit caput; quò profundius non solum mente, sed & oculis corporis aspexit Deum Deorum, in suis castis visceribus se contrahentem, & ex vtero suo prodeuntem. Oculis corporis contemplabatur, Maiestatem illam, quæ ab æterno in splendoribus Sanctorum genita est, in medio noctis silentio, in horribilibus tenebris, non inter choros Angelorum, sed inter greges iumentorum nascentem. Oculis intuebatur, & ecce Deus qui sedet super Cherubinos, iacebat in præsepio; qui est amictus lumine, fascijs inuoluitur lineis; qui regit omnia, & ecce ab ea regebatur; qui palmo suo concludit omnia, & ecce manus ei ligabantur: qui graditur super pennas ventorum ecce gressus figere nequit: quem portant curua Angelorum brachia, & ecce a vili homine portať. Videbat deinde, Angelorũ & hominũ choros adorãtes, cubãtẽ in præsepio; cui vniuersus mundus poplites flectit, sedenti in Cœli solio. Visitabat deinde (ait Hieronymus) loca in quibus fecerat filius aliquod opus mirabile, contemplans Diuina illa mysteria. Aliquando ibat in Nazareth, vbi conceperat filium Dei, conferens illic in corde suo, immensam Dei charitatem. Aliquando in Bethleem

Maria super alios sanctos beata.

1. stella cõtẽplãtiũ Aquila.

Maria cõtẽplatiuã ũitã colebat.

tellectus, siue humanus, siue Angelicus, illam splendidissimam Dei Maiestatem, sine lumine gloriæ videre potest. *In lumine* siquidem creato, *videbimus lumen* increatum, vt Dauid declarabat. Qui igitur de hoc lumine magis participabunt, clarius Deum contemplabuntur. magis vero participabunt, qui se maiori dispositione capaces effecerunt: maxima autem post Deũ dispositione, aptam se reddidit B. Virgo, ad communionẽ huius Diuini splendoris: maxima siquidem puritate nituit, & summa charitate flagrauit; Maiori splendore irradiabitur, quam hominum aliquis, imo etiam quiuis Angelorum; Sublimius, igitur lumen illud inaccessibile, lumen purissimum Diuinæ faciei contemplabitur. Attollet se super Aquinatem profundum, super Augustinum clarissimum, super Ioannem Altissimum, super Dyonisium Diuinum, & super Salomonem sapientissimũ Sed quid homines reuoluo? Angelos ipsos, ipsum Luciferum, Cherubinos ipsos in scientiæ profunditate, & in cõtéplatione secretorum Dei, atque in intuitu profundissimæ abyssi essentiæ Diuinæ excedet. Sacrum ergo caput ipsius cingit, lucidus Lucifer Doctorũ. Gloriantur innocentes, se gestare in capite Cassiopeam purissimam, pulchritudinis animi coronam; eo quod in Cælestibus, virtutum suarum perfectum decorem recipiunt. Non enim extincto homine, extinguuntur virtutes, sed unaquaque anima spolia sua, & ornatum suum ad Beatas sedes defert. Defert fidem, non quidem non apparentium, sed iam apparentium argumentũ; dũ illud quod in vmbra credebat, nunc in facie intuetur. Defert spem, nõ ꝗ expectet præmiũ sed qa expectatum iam assecuta, in perpetuum retinet. Defert charitatem. Charitas enim nunquam excidit. Charitas in terris incipit, illic perficitur. In Syon terrena, ignis tantum est charitatis, in Hierusalem vero & ignis & caminus. Defert secum & alias virtutes. Iustitia in Beatitudine, dicebat Aug., finem suum consequitur, dum Deo perfectissime subijcitur. Prudentia in Beatis erit, sine periculo erroris. Temperantia, sine libinum pugna. Fortitudo, sine molestia tolerandorum; vt prudentię ibi sit, nullum bonũ Deo præponere, vel æquare; fortitudinis, eis firmiter inhærere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. Defert secum anima & dona Sancti Spiritus. Spiritus enim Sanctus (docuit Augustini præceptor Ambrosius.) cuius nos breui satiamur

Contemplatio Dei.

Maria super alios magis uidet Deũ.

Stella innocẽtũ Cassiopea Pulchritudo animi.

Virtutes manent in Cœlis quo.

haustu, in illis Cælestibus spiritibus redundantius videtur affluere, pleno septē Spiritualium virtutum feruens meatu. Spiritu sapiētię gustāt B. & vidēt, qm̄ suauis est Dn̄s. Spiritu intellectus, eius maiestatem cognoscunt. Spiritu consilij, admirabilia consilia & iudicia profunda perpendunt. Spiritu fortitudinis, inseparabiliter ei adhærent. Spiritu scientiæ, humanitatem Christi & Sanctorum gloriam attingunt, & inter electos Dei, Sanctè & honeste conuersari scient. Spiritu pietatis, ad charitatis benignitatem, sicut spiritu timoris, ad Dei reuerentiam vtentur. Quid? Beatæ Virgini, hęc pulcherrima Cassiopea deerit? Illam quæ virtutum cumulo quoscunque excessit, non exornabit? Exornabit, vel potius exornabitur ab ea. Fælicem se iudicabit, contingere Sacratum illum verticem, qui fide Patriarchas, spe Prophetas, charitate Martyres, fortitudine Apostolos, prudentia Confessores, Iustitia Legum latores, temperantia Anachoretas, alijs virtutibus alios præcessit.

4. stella Martyrū Hercules Amoris flammæ.

Gloriantur flagrantes in Dei amore Martyres, pro emensis laboribus, & pro sanguine sæpius pro Dei nomine fuso, Herculeum in Cœlis reportare amoris triumphum. Qui enim in terris, maiori affectu in Deum effusus erat, maiori affectu a Deo in Cęlestibus complectetur. Quis autem maiori flamma amoris Diuini arsit, vt Maria? Amor amore nutritur. Quis pręter Virginem, maiori amore a Deo prosecutus est? Quis deinde præter Virginem, maiori in Deum amore succensus est? Quis Herculeos illos pro Christo, sustulit labores? Quis Martyrium grauius, præter Virginem perpessus fuit? An non tibi, ait Bernardus, plusquam gladius fuit sermo ille, reuera pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem Spiritus & animæ. Mulier ecce Filius tuus? O commutationem. Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro Domino; discipulus pro Magistro, filius Zebedei pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam, pertransierit hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? Nō miremini fratres, quod Maria Martyr in anima fuisse dicitur. Recepit igitur a filio suo, in Regno Dei, Herculeam flagrantem stellam amoris. Tanto illic ardentius ardet; quanto hic vehementius succensa fuit. Quidni amore flagraret? Quid non arderet amore? Similitudo generat amorem

Mariæ amor.

rem. quid non amaret Deum,ad cuius imaginem creata eſt? Quid non arderet, cui illa ſimilitudinem ſuam impræſſit? Bonorum communio nutrit amorem. quidni amaret Deum, qui fecit ei magna,& contulit immenſa? Quidni arderet, cui illa ſe ſuamque carnem,& animam obtulit? Amor ſuccenditur amore. quidni amaret,eum a quo ſuper omnia adamata eſt? Quidni arderet in eum, quem ſuper omnia dilexit? Cognitio fouet amorem. quid non amaret eum, à quo præ cęteris cognita eſt? Quidni arderet in eum,quem ſuper cæteros cognoſcit?quem intuetur, non iam deſpectum & cui non erat aſpectus,ſed ſpecioſum forma præ filijs hominum, deſideratum vniuerſis gentibus, in quem & ipſi,Cherubini deſiderant proſpicere. quem uidet, non iam non reputatum, ſed omnibus conſpicuum, imo omnibus ad perfectum incognitum,& omnibus abſconditum. Angeli enim ipſi,non audent pleno oculo aſpicere, ſed alis velatum caput, alis & contectos faſcijs pedes, obumbrant. Sola Beata Virgo velamen alarum Angelicarum aperit; ſola quia ſola cinxit,faſcias a teneris membris reuoluit. Sola & caput, & pedes, contuetur. Sola altius cæteris caput illud,non iam ſpinis, ſed Iride gloriæ & honoris coronatum, aſpicit. Sola corpus ſacratiſſimum Filij ſui; non iam plagis liuidum, vel ſanguine & ſputaminibus conſpurcatum, aut vulneribus conciſum, ſed glorificatum, ſplendidum, corruſcum, & Deiforme reſpicit limpidius cæteris. Sola clarius cæteris, pedes illos ſacratiſſimos,& manus miraculorum effectrices; non iam clauis confixas, non ſuper crucem diſtentas, non ſuper aquas vel terras gradientes, ſed plenas diuitiarum, plenas potentię, plenas ſplendenti lumine,plenas ſeptem ſtellarum fulgore contuetur. Quod ſi in terris cognitio peregrinantis, peregrino habitu induti Filij,tantam in eius pectore ſuccendit flammã; quid aſpectus in decore Regnantis faciet? Seraphinorum ardorem ſtellæ Herculeæ amoris,amoris ardore refrigerabit.

5. ſtella Andromeda. Pauperũ. Affluentia bonorum, in beatitudine.

Gloriantur Pauperes,omnibus pro Dei amore valedicentes, Andromedæ ſtellę,plenitudine bonorum repleri. Qui enim renunciauerit omnibus quæ poſſidet, omnia quęcunque deſiderabit in Cælo obtinebit. Si diuitias? Gloria & diuitiæ in domo eius. Si ſalutem? ſalus populi,ait,ego ſum. Si viam, veritatem & vitam? Ego,ait,ſum veritas & via & vita. Si honorem? nimis honorati ſunt amici tuj Deus,nimis cõfortatus eſt principatus

 eorum.

eorum. Si pacem? Ipse est pax nostra, pax quæ exsuperat omnem sensum? Si scientiam & sapientiam? In eo sunt absconditi, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Si amictum? Qui uicerit, ait, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitę. Si cibum? Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendit. Sedebitis super mensam meam in Regno meo. Si Regna & Imperia? Dabo inquit ei, potestatem super gentes, & reget eas in Virga ferrea. sicut & ego accepi a Patre meo. Si nomen celebre? Dabo ei, inquit, calculum candidum; & in calculo, nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Si famam volucrem? Confitebor, ait, nomen eius coram Patre meo & Angelis eius. Si locum excelsum? Dabo, inquit, ei sedere mecum in Throno meo, sicut & ego sedi cum Patre meo. Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, sedebitis super Thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Si omne bonum concupiscit aliquis? illic nullum vnquã deficit bonum, vbi est omne bonum. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Ipsorum desideria implet opulentissima Andromeda. Beatissima vero Deipara, paupertatem spiritus excoluit, quia Sancta Regina Regalib. sceptris valedixit, Regiasq. opes a Regibus oblatas contempsit, & distribuit, Regiã Dauidis coronam e suo capite deiecit, & pede conculcauit. Andromedæ copijs super alios, quia super alios paupertate spiritus excelluit, potiatur necesse est.

6. stella uictorũ Sathanę. Hydra. Securitas pacis.

Gloriantúr, cum Antiquo serpente pugnantes, Hydreis refulgere coronis, scilicet, securitate perpetuæ quietis. Sciunt enim quod iam non sustollet amplius, venenatum caput suum pestifer Hydra, vt bellum ciat Sanctis infestum. Norunt, quod tunc descendit Angelus de Cœlo, & appræhendit Draconem serpentem Antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligauit eum per mille annos; & misit eum in Abyssum, & clausit & signauit super illum, vt non seducat amplius Gentes. Sciunt quod isti fortissimi atque potentes bellatores, conciderunt gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, vt terrenis non Cœlestibus incolis bellum inferant. Norunt quod licet portæ illius Sanctæ Ciuitatis, patulæ sint & per diem & noctem, tamen in eam non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, seu ille qui est Mendax ab initio, vt sempiternum Sabbathum

interturbet. Quia requiem dabit illis Dominus Deus sempiternam, & implebit splendoribus animas eorum, & ossa eorum irrigabit, & declinabit super eos fluuium pacis, & erunt quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarũ cuius non deficient aquę. Tunc admirabundi cantabũt. Quõ cessauit exactor? quieuit tributum? Tunc exultantes collaudabunt. Facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, q̃a proiectus est accusator fratrum nostrorũ, qui accusabat illos, ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Tunc videbunt illum super terrã tantum serpere, nec se attolere ad Cęlos potentem. Quid vero Sanctissima & potentissima victrix Sathanæ? Quæ caput illius superbi Draconis, suo pede contriuit? Quę capita venenatæ hydræ vno ictu abscidit? Quę contribulauit capita Draconis, in suo profundo mari gratiarũ? Coronabitur, coronabitur, de cubilibus draconum. de capite Amana superbi. Corona quę cęcidit de capite serpentis, coronabitur. Diadema q̃ ablatũ est de capite hydræ, suo capiti imponetur. Tunc vt altera Maria, post submersum Pharaonem triumphans, canticũ occinet. Cantemus Domino, gloriose. n. magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in Mare. ¶ Resulgẽt Orionis armati fulgore, blandientis mundi victores, adblandientis Dei suauitate fruentis. Sic. n. Deus videtur alloqui, sęculi huius contemptores; Eia serui mei, qui blanditias mundi respuistis; & qui mũdũ osculo suos amatores vt Iudas expugnãtẽ et interficiẽtẽ, vos osculãtẽ, cum suis amaris & absinthio illitis labris refugistis; qui meretricẽ hanc circundatã purpura & coccino, & inauratã auro, & lapide p̃tioso & Margaritis, ornatã despexistis, & poculũ eius felleũ melle oblitũ bibere renuistis; Qui in cubili eius, tapetib. pictis ex Ægypto cõstrato, asperso myrrha & aloe amaritudinũ, cũ ea commisceri recusastis; qui frui cupitis, imo abominandis amplexib. eius, & inebriari vberib. illius exhorruistis; qui blãditias eius virili, forti, & inuicto animo, quasi armis potentib. muniti deuicistis; Ecce vobis Oriona armatum, splendentẽ victorem in pręmium concedo; ecce nũc modos adblãdiendi ego inueniam. Ego demulcebo animos vestros, omnẽ mũdi blãditiẽ refutantes; ego consolabor sermonib. dulcissimis. Quemadmodũ Mater adblanditur filio suo, ita & ego cõsolatione & dulcedine uos consolabor. Beata autẽ Maria, mundi omnes delitias

7. stella, Contemptorum mundi. Orion. Blandimentum consolationis.

contempsit. Quid vero nunc recipit? Quas delitias habet? Oriona armatum, mundi victorum internam suauitatem. Nā sponsus ad illā vocib. ingeminatis exclamat. Surge, propera, amica mea, colūba mea, formosa mea & veni, veni in hortum meum soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatib. meis & cubile meum illa asperſi; quia tu cubile mundi concalcasti, introducam ego te in hunc lectulum, Cælestis incorruptionis. Quia tu oēs mundi fallaces delitias respuisti, ecce ego comedi fauum cum melle, meo bibi vinum cum lacte meo, manduca & tu, & tu inebriare. Glorier & ego tandem, de tua consolatione, dicens. Fauus distillans, labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor Thuris Gloriosæ refulgent Virgines Sacræ, Crateræ splendor. Ex hoc enim quod hic in terris, corpora sua vasa Spiritus Sancti, solida per virginitatem, non corrupta per carnis complexum, sed inuiolata & intemerata, omnique lapide pretioso virtutum exornata Deo obtulerunt, ita vt de illis diceretur. *Vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*. Cratercam de incorruptione carnis specialem gloriam, gestare meruerunt. Hinc Ioannes vidit, purissimas virgines, ad modum rotundæ Cælestis Crateræ, choros rotundos post Agnum ducentes. vidi inquit, & ecce Agnus stabat supra montem Syon, & cum eo (scilicet circumcirca montem) centum quadraginta quatuor millia, habentes nomē eius, & cantabant quasi canticum nouum, ante sedem & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coninquinati. Virgines enim sunt. & sequuntur agnum quocunque ierit. Excedit omnem captum, fugitque omnem sermonem, gloriosus splendor huius stellę, Virgini Mariæ donatæ. Vt enim cæteras Virgines quantumuis castissimas virginitate, sic & de incorruptione carnis, incorruptæ Craterę gloria antecedit. Erat siquidem Virgo abscondita, Deoque magis quam hominibus agnita, per quam vetus Virginitatis opprobrium, cum Mosaica lege coniunctum abolitum est. Fuit Maria, Virgo quæ supra legis morem & institutum, sine cuiusque exemplo, castitatem suam Domino consecrauit. Fuit Virgo illis instructa & exculta do-

8 Stella. Virginū. Cratera. Gloria de incorruptione carnis.

Ex canisiomutua ta.

Marię virginitatis encomia.

ti-

tibus, quæ sapientissimæ, religiosissimæ & excultissimæ Virgini, imo & futuræ sui omniumque Conditoris Parenti, vel maxime congruebant. Fuit virgo non sterilis sed fæcunda, homini nupta sed plena Deo, habens filium sed nesciens virum, semper clausa nec prole destituta. Fuit Virgo sine corruptione grauida, & partu inuiolata. Virgo ante coniugium, Virgo in coniugio, Virgo prægnans, virgo lactans, Virgo perpetua, Virgo sine libidine concipiens Emanuelem; Virgo sine onere gestans vterum, sine dolore pariens Deum. Virgo tam augustè promissa, tamdiu & ardenter expectata, tamque ab omni parte fęlix & perfecta, nullam vt aliam visa sit similem, vel habere sequentem. Virgo cuius fætus non temporaneus sed mōmētaneus exiltit, vt perfectus idē filius subito intraueri, dum conciperetur, & sine mora egressus fuerit, dum nasceretur. Virgo Matris gaudia sentiens, damna vero nesciens, incendia Matris, libidinemque Matris & sordes angoresque parientis, nec leuiter quidem experta. Virgo virilis ignara consortij, q̄ non solū in conceptu & partu illęsa, sed & gaudio plena, Deoque semper mansit coniunctissima; sic Maternum exhibens munus, vt sibi Virgineum decus augeretur; atque incredibiliter illustraretur. Virgo carnis integritate, simulque mentis puritate pręstantissima, reliquis antecellens mortalibus, & Angelos ipsos antegrediens. Etenim quam puritatem Cœlestes illi spiritus ex natiua obtinent conditione, quod sint a corporea concretione, omnique contagio remoti; eandem hæc Virgo per gratiam singularem adiuta, & simul arbitrij applicatis viribus sibi comparauit, & in illa terra cui Deus maledixit, inuiolate seruauit. Virgo cum carne viuens, & cum carne fœdaque voluptate nihil commune retinens, in lege Domini ambulans immaculata. Virgo Sanctis & Sanctorum ordinibus tanto excelsior, Deoque immortali charior atque propinquior, quanto a concupiscentia omnique labe, & lege peccati liberior. Nam incorruptio est, vt scriptura Diuina testatur, quæ hominem Deo proximum reddidit. Virgo vna ob castitatem corporis mundissima, prę omnibus perpetuę virginitatis laude cohonestata, Mater, primitię, Regina & Princeps Virginum Euangelicarum. Nam sacram viam adinuenit, & prima demonstrauit alijs, quæ homines inte-

grum docet præstare Cœlibatum, vt in carne vitam Angelicam degant, & Cœlestium spirituum puritatem æmulentur. ad cuius Virginitatem omnis alia virginitas, quæ cogitationis libidinem carnisque molestias effugere non potest, corruptio quædam potest æstimari. Qualem igitur stellam, hæc sacro Sancta Virgo, non meretur? Quid non huic immaculatæ Virginum Virgini, fulgoris collatum est? Ipsa (vt Hieronymum & Bernardum in hac parte sequimur) Virgines ceteras antecedit; Ipsa splendore ampliori Virginalis gloriæ refulget; ipsa Canticum nouum præcinit alijs virginibus: Ipsa & de fœcunditate, & de Virginitate reportat maiorem gloriam.

9. Stella sacerdotū Altare. Laudis Dei.

Altare, Sacris Sacerdotibus, in hac militante Ecclesia offerentibus, in illa Thriumphanti impositum est. vt quod hic inceperant, illic fœliciter perficiant. Beata autem Deipara, oblatione sua quoscunque Sacrificantes excessit. Obtulit enim non oues, non agniculos, non capras, sed semetipsam in hostiam viuam, Sanctam, Deo placentem. Obtulit non boues, non vitulos, non corpus Christi sub speciebus panis et vini, sed Deum nostrum humana carne vestitum. Obtulit deinde sempiternas preces Altissimo Dei Filio; quid ei præter Altare sydereum, in Cœlis oblatum est? Iam non sub Altari vt cæsi pro Christi nomine, sed super altare, hostias laudis Diuinę perpetuo immolat. Præceptum est .n.ei. Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Persei regimine emicāt illi, qui in terris eminentiores, gradu Principatus vel Regni alios excellebant. Principatus & Potestatum gradus cōscendentes in Cœlo. Beata autem Maria Deipara fuit Regina mundi. quid? nisi Perseo Principāte refulget, Principatū super oēs creaturas exercens? Gloriātur populares, se fulgere Triangulari stella; fidei, spei, & charitatis illorum, pręmio sufficiente, s. de amęnitate Cœlestis Patriæ, de immortalitate corporis, de proprijs meritis acquisita vita æterna exultantes. Gloriantur paruuli se ornari Pleiadum, Matris s. Ecclesiæ, & Saluatoris nostri meritorum claritate, ideoq. sempiternas gratias toto ex corde, & ex immis viscerib. nutrici piæ, referūt. Beatæ Virgini nihil horum defuit; & Trianguli fulgore propter fidei, spei, & charitatis summum fastigium; & Pleiadū claritate, pp innocētiā puerilē, in perenni sempiternoq. Regno coronata refulget. Sed quid ego moror, in harum stellarum

10. Stella Prelatorū Perseus, Principatum exercens.

11. Stella Popularium Triangulus Triplex lętitia.

12. Stella paruulorū Pleiades. Gratiarum actio.

rum

rum enumeratione? Quid ego his duodecim stellis, stellas omnes, claritate, Solem hunc Mariam obscurantem, exornare con tendo? Qualem ego coronam stelliferam, stelliferum Celum ex cedenti Mariæ, texo? Vtinam in mea potestate esset, ò Beatissima mater Dei, vt mihi omnes stellę, omniaq; sydera ad nutum obedirent. Optarim ò serenissima virgo, vt *Sicut Deus uocat stellas, & illæ respondent, Assumus*, ita & ego conuocem ad me, & cōgregem illas in manus meas. Sed ad quid, interrogas? Ego tibi coronam non ex duodecim, sed ex omnib. sydetibus componerem. Ego fulgentissimum tuum Diuinum caput, omnibus stellis exornarem, non onerarem. Imo Beatissimos se iudicarét omnes Planetę Cęlestes, si a te exornari, & a te refulgere, non te exornare, nón te illustrare mererétur. Quidni, Beatissimos se iudicarent? cùm & Luna ipsa, pedibus tuis prostrata, te adorans uereretur: cum & Sol ipse in paruum se contrahens globum, te circumamiciat? Quidni a te exornarentur, cum & Beatissimę illę mentes, te ò clarissima mater, suum decus, suum honorem, suam Reginam, & suam Matrem appellét? Quidni a te illustrarentur? cum tu sis *Sol ille tripliciter refulgens, tripliciter exurens montes, tripliciter exsufflans igneos radios?* Sol a quo cuncta creata, post Christi naturam assumptam illuminantur? Irradia & nos ò splendidissima, aureo stellarum diademate coronata Mater. Te iam mater misericordię, per ipsum syncerissimę tuæ mentis affectum, tuis iacens prouoluta pedib. Luna, mediatricem sibi apud Solem iustitię constitutam, deuotis suplicationibus interpellat, vt in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amauit præ omnibus & ornauit, stola gloria induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Cuius pulchritudinis & glorię, contemplatores digni ut esse mereamur, tu pro nobis supplicare digneris, Regi Regum Filio tuo coronatori, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

Authoris erga Mariam affectus.

Bern. ser. 1. de natiu. M.

MARIA

MARIA.

Sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Cant. 3.

CONCIO QVADRAGESIMA.

In qua Encomiastice pręclaræ laudes Beatæ virginis, in omnibus præcedentibus concionibus sparsæ, recollectæ prædicantur.

PAVLVS Apostolus, fidei in Christum Saluatorem nostrum, dum admirandas virtutes prædicabat, inter alios effectus, quos in Patribus Antiquæ legis effecerat, sic de illa in Iacobo Patriarcha inquit. *Fide Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit; & ADORAVIT fastigium, VIRGÆ eius.* Dum intra me tacitus meditabar quidnam est, quod insignis summi Dei cultor, virgam Iosephi adorat? Idololatrarum detestabatur errorem; & iam exhalans animam, sanctus ille veneratur, & adorat virgam? Ecce mihi se offert Sanctissima Dei Genitrix, ab omnibus adoranda Maria, quæ apud Isaiam est, *Virga Iessea, de cuius radice flos campi*, super fœnum in Bethleemitico stabulo enixus est; quæ apud Salomonem est, *Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*, gratiarum, meritorum, virtutum, & priuilegiorum, Hanc Diuinus Patriarcha in spiritu contuens, nascituram de suo semine; atque generaturam illud semen Cœleste, in quo benedicendæ erant omnes Gentes; aspiciens illam fore primum & maximum opus Dei,

Heb. 11.

Mariam adorauit Iacob Patriarcha.

Ange-

Angelicis etiam Spiritibus, omni ex parte sublimius & absolutius: contuens mentis oculis, hanc virgulam omnibus bonis, tanquam vniuerso puluere pigmentario resperſam, ingentem odorem ante Thronum Dei ſpirare, & maximos fructus in vniuerſo genere humano proferre, *Adorauit faſtigium eius.* Adorauit Sacrum eius verticem, in quo velut in armario, theſaurus omnium bonorum reconditus erat: Adorauit Excelſum ipſius Caput, celſius Seraphinis, ſplendenti diademate Regali duodecim ſtellarum coronatum. Quid enim non adoraret? Cur non veneraretur Sanctiſſimam matrem virginem Mariam? quam *Videntes ipſæ Filiæ Syonis, beatiſſimam prædicauerunt. Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Beatiſſimam prædicauerunt eam Filiæ Syon. Qualis erat Elizabeth anus fęcunda, quæ afflata Spiritus Sancti flamine, exultante in abſtruſo ventris eius cubili, nouo Elia, ipſa quoque exultabunda in laudes virginis prorupit. dicens, Beata es tu, quæ credidiſti, quia perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi a Domino. Talis erat & Marcella, quæ non tam turbarum, quam virtutum Marię multitudine compræſſa, voces illas in laudem Mariæ edidit. *Beatus venter qui te portauit.* Ter & quater beata ſunt vbera quæ ſuxiſti. Beatiſſimam predicarunt, & Angeli, Angeli enim honorem illum qui prius ipſis deferebatur, Marię dederunt, Marię capita inclinarunt, Mariam adorarunt. Ita vnus ex eis Paranymphus, vbi cubiculum futurę Deiparę ingreſſus fuerat, poplite flexo ei conclamat. *Aue, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Adorarunt eam & ipſę concubinę. Si hęreticorum dicta attenditis? ecce anteſignanus eorum Lutherus, illi tanta collata eſſe afferit, vt ſuperent captum cuiuſq; vt in vniuerſo humano genere, vnica perſona ſuperior ſit cunctis, cui nemo ſit par, quod cum Cœleſti Patre Filium habeat communem. Hinc tantum ei honorem deberi dicit, *vt eam deprædicare, etiam ſi tot linguas habeat quot flores terra, ſtellas Cælum, mare arenas ſuſtinet, nullus ſufficiat.* Si deinde Gentilium cęcam ignorantiam reſpicitis? ecce Princeps eorum, adorat & veneratur Mariam, dum Marię ita pręclare confitetur. Nullus, inquit Mahomet, naſcitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan pręter Mariam & eius Filium. multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta

vnquam

unquam ex mulieribus nisi mater Isæ. Quam ergo crassa gentilitas perfectam veneratur, quam Hæreticorum capita, superiorem cunctis creaturis honorant, quam Prophetissę a cōmuni maledicto liberam, & benedictam inter omnes mulieres prædicant, quam Angeli venerantes plenam gratiarum salutant, quam vniuersus mundus adorat, cui caput inclinat, genua flectit, Sacra illi celebrat, Templa, Sacella, Oratoria, statuas, Altaria ei construit; in cuius laudem pueri, iuuenes, viri ac senes, virgines ac mulieres de sanctissima eius vita, morte, gloria, non nisi reuerenter sentiunt, & reuerenter loquuntur; cuius nomen sanctissimum inferis etiam tremendum, superis vero admirandum, non sine capitis apertione vel inflectione exaudire, ac illud honorifice vsurpare consueuerunt. Hanc igitur Patriarcha Sanctus non adoraret, cui vniuersa mundi machina poplites flectit? Hanc non veneraretur, cui Angeli ipsi & Archangeli capita inclinant? Solus ille debuit reperiri inter homines, qui crystas nollet inflectere, huic virgulæ Admirandæ? Cuius, si conceptionem spectes? est a Prophetarū vaticinijs prædicta, & a Spiritus Diuini gratia superueniente sanctificata. Si natiuitatem? est omnibus iucunda. Si genealogiam eius attendas? Regina est mundi. Regali progenie exorta. Si nomen? Mariano gaudet Dominæ illuminantis titulo. Si puerilem ætatem? est virtutum omnium exemplar. Si statum? est uirgo Deo consecrata. Si animi pulchritudinem? est gratia plena. Si gradum? est Mater Dei Filij. Si vitæ decursum? Ab omni peccato immunis. Si mortem? cum corpore & anima est assumpta in Cœlo. Si gloriam? exaltata est super choros Angelorum, ad Cœlestia Regna. Si officium? Aduocata est, & mediatrix nostra. Si virtutem? Omnia potest, omnia quę salutem nostram attinent operatur. Si affectum erga nos? Regina est misericordię. Si deniq; quippiam aliud in ea desideres? Ipsa est spes nostra, uita nostra, dulcedo nostra; ipsa est Mater & Domina nostra, ipsa bonum nostrum. In eam naufragrantia in mundo bona se collegerunt. In ea se ostentat gratissime, si vspiam Diuina commendantur munera. In illa congesta, quę alicubi disseminata sunt. In ea refulgent, quę alicubi nitescunt. Ipsa vincit omnes Cœlitum ordines, omnes creaturas excellit, ac omnibus pręest. Ipsa ut uirgula fumi ex-

omni-

omnibus aromatibus bonorum, ex vniuerso puluere pigmentario, omnium perfectionum creatarum compacta est. Attende (te alloquor Diuine Seraphin,) & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus esse virgine, solumq; opificem istud opus supergredi. Admirare & tu Cherubin, & contemplare, quicquid post eius Filium maius est, minus est Sanctissima Maria. Admirare & tu vniuersa Cœlorum cohors, & vide hanc virgulam esse Sacrarium Diuinitatis, Thronum Dei, inexplicabilibus Paradisi monilibus ornatum, & super omnium vestrum sublimitatem exaltatum.

Ex Hosio colle cta super salutat Angel. c. co. confess.

¶ Si conceptionem virginis attendas, eius desiderata conceptio fuit a Prophetis prænunciata, & diuersis oraculis præsignata, ita vt Hieronymus, eam Prophetarum vaticinium merito appellauerit. Hæc enim est, (doctissimi & Sanctissimi Hosij Cardinalis vtor verbis) illa, de qua in ipsis adhuc rudis mundi primordijs, conditor ipse primum edidit vaticinium, olim fore mulieré, quæ calcaneo, lethiferi serpentis caput protereret. Hęc est noui Adæ noua Eua, non nouerca quod illa uetus, quæ suos fætus prius etiam quam pareret extinxit, sed mater; neq; mater morientium, quod illa, sed mater reuiuiscentium: quæ mysterio quodam ineffabili, quod nulla possit humana mens compræhendere, de cuius osse genita fuerat, eum ipsa de sua carne vicissim genuit, nec ab alio fæcundata, quam quem peperit: vt inextricabili quodam ænigmate, simul eadem fuerit, & filia, & sponsa, & mater. Hæc illa Rebecca, vere Alma, adolescentula abscondita, viro incognita, eximie speciosa, inter plurimas electa, a Magno Patre conquisita, pretiosis dotata monilibus, & singulari pudore cohonestata virgo, solaque digna reperta, cui verus Isaac, omnipotentis nempe Patris risus idemq; omnis nostræ ueræ lætitiæ fons, beatissimo spiritualiú nuptiarum fædere coniungeretur. Quid vero nobis aliud, illa virga sacerdotalis adumbrauit, quæ sine radice germinauit? quam huius virgineam fæcunditatem, quæ neq; mortali manu consita, nec terreno succo irrigata; & Cœlitus concipiendo floruit, & sine cruciatu pariendo, viuificum fructum edidit. Tum & niueum illud Gedeonis vellus, quod in areæ siccæ medio maduit, cuius alterius præfigurabat simulachrum, nisi Mariæ? quę procul quidé a carnis cõtagio semota, verú Cęlesti

Maria, p̃signata oraculis prophetarum.

rore

& innocentię restitutio, & de hoste victoria; cumprimis esse fortem oportet, quæ tantum ad opus hoc, queat esse idonea. Hanc & illa Balaamo apparens stella prælustrauit, de qua vaticinabatur. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel. Quam ergo sic & oracula Prophetarum præcinuisse, & mysticę Synagogę, typicas imagines delineasse videmus, quidni adoraret illam Sãctus Patriarcha; *quidni de longe banc suam lucidissimam stellam, non illis caligantibus* sed illustratis oculis aspiciens, hanc rectissimam & Odoriferam Virgulam de longinquo olfaciens & contuens, non veneraretur? Non ei ceruices inflecteret? pręsertim quum eius exortus, sine tenebris peccatorũ fuerit: eius Natiuitas iucunditatẽ omnib. attulerit; si nẽ illis Diuinis promissionib. prima manu apposuerit. Nascẽte enim Virgine, in proximo esse nasciturũ Emanuelẽ videbant. Exoriente fulgidissima Iacobi stella, tenebrarum horrendam faciem, noui Solis ex ea prodeuntis lumine, dispelli credebant. Excrescente odorifera Israelis virgula, cessaturam Sathanæ durissimam Tyrannidem sperabant. Enascente virga Iessea, læti sunt Sancti Patres, summa exultatione diem illum fælicissimum celebrarunt. tripudiarunt *sicut qui lætantur in messe, vel sicut exultant victores capta præda, quãdo diuidunt spolia;* eo quod *de terra sitienti, ascendit virga* potẽtissima, quæ excutere debuit grauissimum iugum Dęmonis ex humeris populorum, quæ *virgam cędentem humeros illorum, & sceptrum iniquissimi exactoris superare debuit, sicut in die Madian.* Adorauit fastigium VIRGÆ illius. Quod si verum, vt profecto in hac parte verum est Bullingeri iudicium, quia *Deus præcipit Reges, & Principes, & personas venerabiles adorare; quia sunt viua imago Dei, & quia per illos Deus, salutem hominum operatur.* Beata autem Maria, est Regio semine Dauidis orta, vt ipse Iacob prędicebat. Non auferetur sceptrum ex Iacob, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Beata Deipara est filia Sancti Dauidis, sapientis Salomonis, Ezechię innocentis, Iosiæ iustitiæ cultoris. Beata virgo in suo stẽmate, secundum Mathæũ, quatuordecim Reges, tot deinde Duces & Heroas, Principes & Sacerdotes, Patriarchas & Prophetas longa serie cõputabat. Beata Maria fuit Regina mũdi, proauorũ illustrata titulis, vel potius proauorum suorum Regum, illustrans stemmata.

Regina. Mundi.

mata. Quid enim non illustraret, cuius nomen celebre clarius sit, quam lumen Solis elucens? Gloriantur potius de illa Sancti Patres, non quod illa glorietur de eis. Gloriantur se talem genuisse filiam, cuius nomen Maria, sit Domina vniuersorum, eò quia genuit Dominum cunctorum; sit Illuminatrix, eo quod sit Sol tripliciter refulgens, tripliciter illustrans, Illustrat enim Cœlos sua gloria; illustrat terras suo exemplo: refulget & in inferis sua potentia. Non ita exultat Israeliticus populus, de Maria sorore Moysi, sicut Ecclesia & Sancti illi Reges de Maria Virgine. Illa enim fuit soror Moysi, hæc soror Dei & Saluatoris nostri Sacerdotis & Legislatoris summi. Illa paruulum Moysen, per matris eius nutritiam curam a morte liberauit: hæc autem paruulum Christum, ab Herodis furore præseruauit. Illa Propharię accepit spiritum in veteri lege; hæc autem in Noua, veterum Prophetarum finis existens, Prophetissa generans Magnum Prophetam, fuit. Illa in veteri testamento, terra, ac mari clausum populum Hebreorum, virgo ad terram Chanaan pręcessit; hæc uero in nouo virtutum suarum exemplo, omnes ad Cœlorum Regna properantes antecessit. Cui enim statui, quibus hominum gradibus se absolutissimam ideam non exhibuit virtutum? Quæ tanquam Sol lucidus, omniũ obiectus conspectui, oĩa illa q̃ in inferiorib. sparsa, in se vnite & nobiliori modo cõplectitur; sic & Maria, quod in alijs Sanctis diuisum & dispersũ est, in se vna excellẽtius habuit; cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas confessorum, castitas Virginum, sed nec ipsa puritas Angelorum; Quæ innocentiam Abelis, iustitiam Noe, obedientiam Abraami, patientiam Iacob, mansuetudinem Moysi, castitatem Ioseph, charitatem Samuelis, humilitatem Dauid, Simeonis simplicitatem, deuotionem Annę, sanctitatem Elizabeth, claritate suarum virtutum excellit. Vt enim Sole oriente, lumen obscuratur stellarum; sic virgineo virtutum Sole, longe lateque lumen suum diffundente, virtutes aliorum Sanctorum vanescant necesse est. Hæc enim est mons sublimis, quę vt ad conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Sanctorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit. *Hæc est* secundum Chrysostomum, *Magnum mundi miraculum*

Regina Sanctorum omnium.

lum, quæ sola Cælum & terram amplitudine superauit. Non illa Sanctiores Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchę, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, nō aliud denique inter res visibiles atque inuisibiles vna hac maius, aut excellentius inueniri potest. Hæc est, secundum Erasmum (audite aduersarium Mariæ, vel inuite prædicantem.) *Rosa Hierichana florem enixa campestrem, quam non superbiæ scopuli, sed simplicitatis planities, & modestiæ humilitas educat; quam Diuina charitas purpureo rubore tinxit; quæ de terra parente prognata, nihil tamen terrenæ fæcis inde exsuxit. Hæc lilij conuallium Mater, lilium & ipsa, in spineto sine spinis enatum; quæ lacteo candori Virginitatis, summam modestiam adiunxit. Hæc fons signatus, cuius nitidissimas lymphas, nulla ferina vnquā libauit affectio; in quo spōsi refulgentem imaginem, nulla terrena turbauit cupiditas; quæ medicatas aquas suas, deriuat in capita omnium viarum, quæ potæ, nos, nō vocales quidem vt illæ Castaliæ, sed immortales reddūt. Hæc hortus Diuinæ illius custodiæ sepe sic circūmunitus, vt nulla vnquam petulca cogitatio quiuerit perrumpere; in qua varias aromatum areolas, summus ille hortulanus, mira distinxerat arte; vbi idem inter lilia pascit ac cubat in meridie. Hæc Sancta Ciuitas Syon, cuius mænia nullus vnquam Babylonij hostis aries pulsauit; quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quique fundauit eam Altissimus, cui videlicet ipse murus est & antemurale. Hæc vitæ speculum, tā nitidū ac purū, vt in nullo alio Diuinitatis effigies refulserit expræssius. Hæc niuei pudoris lectulus ille floridus, quē puritatis amator Dei Filius, ita Cælestis militiæ excubijs, omniumque virtutum corona muniuit, vt nulli vnquam vel cogitationi parum piæ patuerit aditus; in quo vno nihil vnquam repertum est, quod aut delitiantem offenderet sponsum, aut obstreperet quiescenti. Hæc procera illa Libani Cedrus, late virtutum spargens odorem; quæ mortalium sola vitiorum cariem non sensit, quin & allita nostris animis, eandem arcet; dū illius prouocati exemplo, tot passim pueri atque puellę, incorruptam vitæ puritatem meditantur. Hæc virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, quę sic incensa Cælesti charitate, sic a caducarum rerum amore extenuata, purissimis votis assidue superna petebat, vt ipsis etiam*

Erasmi Roterodami in Mariam elogia.

& Virginitatis auream coronam, & Maternitatis fęcundum præmium assecuta est. *Vsus naturæ nescivit*, vt Virgo sine viro granida esset. Sola hæc, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Sola sine commertio viri, & sine semine humano, virtute Spiritus Sancti Filium concepit. *Ignorat ratio*, vt aliqua fæmina, virum in vtero circumgestet. Sola hæc fuit benedicta illa fæmina, in qua nouum & admirandum, præter rationis captum effecit Deus, *vt circundaret virum &* virum nõ quemlibet sed Gygantem immensum, qui exultauit ad currendam viam, cuius egressio a summo Cœlo, & occursus vsque ad summum eius. *Mens non capit humana*, vt aliquando Deus ex creatura generetur; vt ille qui principio caret, ortus sui initia ex factura sua ducat. Ecce Beata Virgo, ex cuius vtero, Verbum illud quod erat in Principio sine principio apud Deum, quod erat Deus de Deo, per quod omnia facta sunt, in tempore homo procedit. *Pauet Cælum*, vt Deus se in tantam humilitatem deijciat, vt seipsum seipso quasi exinaniat, & formam serui accipiat; vt ille qui amictus erat lumine sicut vestimento, nunc sordidis & laceris pannis induatur. Ecce Beata Virgo, *Deum pellibus illis caprinis*, sordido pallio mortalitatis nostrę induit. Beata Mater, Deum quasi deiecit de Altissimo gloriæ solio, & pannis eum inuoluit, fascijs cinxit & reclinauit in præsepio. O quantam permutationem. Quid facis o dulcissima Mater? Ad quem modum, ad nos declinantem hospitio recipis? Ignoras forte, quod Cœlum palatium ipsius est? Quid ego ei cum stabulo? Ipse sedet super illud excelsum solium, super Cherubin & Seraphin, quid eum reijcis in præsepio? Ipse est amictus vestimentis candidis, auro obrizo gloriæ suæ; quid ei cum fascijs? Ipse manus apertas, & liberas gestat, cur manus & pedes eius constringis? Ipse inter choros Angelorum, fæstiua lætitia exultat; quid eum inter bruta iumenta, in fæno durissimo iacere permittis? Stupet hoc terra, stupent pastores Bethleemitici, stupent Reges Thrasis & Arabum: creaturæ etiam Cœlestes Angeli descendentes, admirantur sublimitatem & celsitudinem Sanctissimę Deiparæ; quod intantam euecta sit altitudinem, vt Mater Dei nominetur & sit. Non hoc Angelis, neque Archangelis, non Cherubinis, aut Seraphinis collatum est, vt Dei Genitrices vel Patres esse possint. Sola Deipara gaudet isto honore, sola cum æterno Patrę

ſericordiæ oleum, ſeu ille cui nomen oleum eſt effuſum profluxit. Petierant Sancti Patres, vt vel minima gutta huius balſami pretioſi deflueret de Cęlis, dicentes. Rorate Cęli deſuper. Habuerunt pro magno, ſi nō totū, ſed aliqua gutta huius miſericordiæ olei roraret. B. Virgo no guttā, ſed totū oleum, filiū ſuū miſericordē Deum, mundo profudit. Iam non montes dulcedinem, non colles iuſtitiam ſtillarunt, ſed flumina de ventre eius fluxerunt. Flumina miſericordię de hoc monte pingui, mō te coagulato, in quo beneplacitum erat Deo habitare in eo, pro manarunt. Petra hęc quā ſępe ſępius intuebatur Iob in ſpiritu, nō illa dura ſed mollis per pietatē, mollis per clementiam, mollis per compaſſionem; non illa frigida ſed flagrans & ardens igne charitatis, fudit riuos olei miſericordiæ. In hac taberna emeritoria, in qua diuertit hoſpitio Saluator noſter, emanauit fons largiſſimus olei. Non poſſum hic prærerire Chanam Galilex, vbi Beata Virgo, ac ſi quondam in deſerto, Virga Moyſis excuſſit è duro ſilice laticem dulciſſimæ aquæ; ſic & iſta ſitientibus conuiuis compatiens Miſericordiæ Virga, ex lapideis patentibus hydrijs, miſericorditer commutari fecit per filium ſuum, aquam in ſuauiſſimū vinū. Suſcepĩmus deinde ex vtero Virgineo, vitam omnium ſæculorum, animas noſtras demortuas cruore ſuo viuificantem, Suſcepimus & dulcedinem ex Maria, panem ſcilicet illum ſuauiſſimum Cęleſtem omne delectamentum in ſe habentem. Beata enim virgo fuit animatum Cęlum, quod nobis eſcam adeo ſuauem & pretioſam abunde pluit. Ex Beate Virginis viſceribus, corpus Chriſti quod in Altari Sacroſancto ſumimus; propter quod non amplius cinis, nō amplius captiui ſed liberi ſumus; propter quod Cœlum & ea quæ in eo ſunt bona accipimus, immortalem vitam, Angelorum ſedes, Dei conſuetudinem, cum Chriſto admirandam vnionem adipiſcimur. Quod ſi cauſam ſalutis noſtræ attendimus, ipſa maxime ſuper omnes aſtitit Tribunali Diuino, pro genere humano. Ipſa ſe Aduocatam & mediatricem pręſtitit. Adfuit operi Incarnationis & multum egit pro nobis. Dei enim filio, ſanguinem ſuum in redemptionem & reconciliationem Euæ, & omnium noſtrum miniſtrauit. Multum pro nobis egit dicendo. Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Nunc quoque magna & admiranda mirabilia, in cauſa noſtra perficit. Orat & intercedit indeſidenter, pro nobis,

Alluſio ad S. Mariā trans Tyberim

Vita.

Dulcedo.

bis, miracula edit, & operatur admiratione & stupore digna. Ipsa est animosa illa virago, quæ pulcherrimum ausa facinus Allophilorum ducem, communem humani generis hostem, clauo confixit. Ipsa sæculis omnibus celebranda Iudith, quæ late grassantem Tyrannum Tartareum, sola trucidans, populo suo pro certa desperatione, subitam salutem ac Triumphum attulit. Ipsa formosa Hester delitię Regis atherei, quæ triste mortis decretum, gladiosque iam in suæ Gentis iugulos intentatos, in ipsum cædis machinatorem detulit. Ipsa gestat vbera vt turrim fortissimam, cuius protectionis vim, nulla hostis nequissimi tela, ne dicam expugnare, sed ne impugnare possunt. Ipsa perstrenuum bello concussorum præsidium, secura, fida, & Sacra iactatorum tempestate anchora. singulare a calumniatoribus afflictorum auxilium, desperatorum spes, dolentium solatium, paratum ad omnes casus subsidium, singularis salutis nostrę propugnatio, tutissimus naufragorum portus studiosorum lumen, clausorum liberatrix, orphanorum susceptio, adiutrix destitutorum, subsidium oppræssorum, redemptio captiuorum, vnicum molestiarum leuamen, omnium cordis dolorum medicamentum, ęgrotantim exultatio, consolatio infirmorum, remedium aduersus Dęmones, miraculorum effectrix. Quod si ad Illustriora eius epitheta & laudes transeundum est. Ipsa est lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compēsatio. Ipsa Diuina cum hominibus reconciliatio. Ipsa Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Ipsa pratum fragrantiæ Sancti Spiritus, speciē gemmę pretium omne excedentis. ¶ Ipsa est DEA Deificata, reparatrix parentum; purificatio posterorū, restauratrix sęculorū, salus vniuersorū. Ipsa est gaudium nostrū ineffabile, Mater omnium viuentiū, magistra illuminatrix Apostolorum, Lapis excisus sine manibus, ex quo mons ille Altissimus excreuit. Ipsa vt tādem finiam est, Sol ille lucidissimus in quo posuit Deus tabernaculum suum. Ipsa Sāctissima illa fęmina apparens Ioanni, amicta Sole, sub cuius pedib. Luna cuiusq. defectus subiacet; cuius pedib. Ecclesia prouoluta se substernit. Hęc est, quæ gestat sydereū diadema duodecim stellarū, coronā illā splendissimā ex cubilib. leonum, & de montib. Pardorū. Quæ sicut meritis & dignitate, sic & gloria, & solio Beatitudinis cuncta creata præcedit. Exaltata est super ipsos et Seraphin.

phin. Processit de deserto sepulchro, vt virgula fumi. delata est a Rege gloriæ, cũ ingenti iubilo, ad tēplũ illud Domini, ꝙ nullis est excissum manib. Illic perpetuo virescit, perpetuo floret, sempiternos fructus producit, coronã nõ immarcescibilē sed ęternã sibi in illis Cęlestib. hortis cõponit. Hãc vt vidit Spiritus S. ꝓcedentē cũ iubilo, admirabũdus de eius pulchritudine aiebat. *Quæ ista, q̃ ascēdit de deserto, sicut virgula fumi, ex aromatib. myrrhę & thuris, & vniuersi pulueris pigmētarij?* Talis odor nũquã spirabat in pascuis Cœlestib. Talē odorē nõ suffumigabãt vnq̃ turibula illa, cum quib. astant Angeli ante Thronũ Dei. Huius virgulæ suffumigatio, quē nõ spirat nouũ odorē? Quã ergo Spiritus Diuinus admirans contēplatur, quã sũmus sacerdos Christus defert in Tabernaculũ glorię suę; q̃ est Regina Sanctorum omniũ, Regina Angelorũ quoq. ipsorum; q̃ oēs et Seraphinos ꝓcellit gloria, q̃ maiorē post Chr̄m salutis nostræ curã gerit; q̃ est Aduocata nostra, spes Christianorũ Sanctissima; q̃ vitã, dulcedinē, & misericordiã vniuerso mũdo attulit; in qua pollicitationes Patriarcharũ finē habuerũt; ꝑ cuius semē benedictæ sũt oēs Gentes; quæ fuit super oēs creaturas benedicta, ipsa a Patriarcha Beato non adoraretur? Fremant Dæmones, insultent Hæretici, nominis Mariani osores & acerrimi hostes. Salutanda est Maria q̃ salutarunt Angeli. Benedicenda est Maria, quã benedictam vocarunt Archangeli. Beata prędicanda est Maria quam beatam dixerunt Prophetissæ. Veneranda est Maria, q̃ vniuersa mũdi machina venerata est. Adorãda est Maria, q̃a eã adorarũt Sãcti Patriarchę; quia ipsa est Regina, Princeps, & viua imago Dei. Ipsaē persona venerabilis Mater Dei. Per hanc Deus salutē nostram operatus est. Hanc ergo & nos salutemus huic venerationē exhibeamus, hãc oĩ cultu sibi debito ꝓsequãmur. Hanc adorantes dicamus, *Salue Regina, Mater misericordię. Vita, dulcedo & spes nostra Salue. Ad te clamamus, exules Filij Euę. Ad te suspiramus, gemētes et flētes in hac lachrymarũ valle. Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos, ad nos conuerte. Et Iesum Benedictũ Fructũ ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O Clemens, O Pia, ò Dulcis Virgo Maria,* quæ stellifero refulgens diademate, super Cherubinos exaltata, viuis & Regnas, cum Filio tuo, in sęcula Sempiterna Amen.

FINIS.

Errata sic corriges.

Numerus primus folium, secundus versum: vltimum verbum, penultimum esse corrigendum tibi indicabit.

12	16	decedat,	decedit
13	6	excelsis	excelsi
14	14	exempla	epistola
15	17	timore	timore.
17	27	pugnacut	pugnat cum.
18	4	fatemims	fatemini
20	28	honorauit,	honoratus
	32	verum	vterum
21	17	eus	Deus
22	3	vetopic.	Aetiopics.
31	17	elbis	albis.
	19	spiritum	spirituum
41	24	ciacúlatus	eiaculatus
43	23	præcrearent	procrearent
44	1	funiculus	funiculus
	33	præduxit	produxit
50	1	militem	militum.
55	3	nu	n non.
59	1	beatitudines	beatitudine
64	7	præmanens	permanens
65	19	luz	sed
70	15	o culetur	osculetur
77	28	desulatum	desolatam
88	15	placuit	placui
91		pulrimum	pulcherrimum.
		deerat,	dederat.
96	38	similes nō iris,	similis non eris
98	4	tridum	triduum
106	6	cersus	certus
110		habuit	habui.
121	31	atellitibus	satellitibus
123	22	permixti	permixtio
124	33	Diuina	Diuinæ
129		vum	nouum
130	36	si manichæis	sis, manichæi.
138	7	inductum	induium.
145	1	subſtrahere	subtrahere
–	23	olie excrescere	olei excrescere.
146		bonitas	bonitatis.
149	15	cælestiū amo reque	cælestiūq; amore
	34	facto	fracto
155	16	paradisum	paradisus
169	31	alia	ad
191	32	interp̄tamus	interpretamur.
196	28	corporam	corpoream.
203		alicea	altera
206	37	sypressi	cypressi
228	11	desdice	despice
231	1	cracis	curis
234	10	Institutoria	Institoris.
255	7	Tamem	Famem
272	58	homo sed carnalis	homo carnalis sed
274	4	pauperem	pauperiem
309	13	diuitidis	diuitijs
342	10	aque cōmuiā	aquā cōmutet
381	5	intentem	nitentem
440		frueremus	frueremur.
401	2	sumus mea	sum, me
409	2	cupitatum	cupiditatum
415	24	deuocuamus	deuoucamus
437	3	lectantur	letantur
455	2	oculis	oculi
489	2	amictus;	amictum, ideo.
593	9	fasti	facti
502	9	Quam	quem
528	1	impositum	impositam.
533	21	omnia potēti	omni potentia
541	28	Blandrala	Blandrata
581	38	aures & vniu	Septentrione &
611	10	Danielem	Hadrianum
617	26	incessam	inaccessam
629	17	totas	totus
638	15	ardeati	ardenti
645	36	destabilius	detestabilius
651	36	commercijs	commercij
653	12	exterea	extera
654	15	nullu	nullo
656	11	vero, loco Dei	vero, temerè loco Dei
660	10	subimitatem	sublimitatem

THESAVRVS
LAVDVM
SANCTISS. DEIPARAE
Super Canticum SALVE REGINA.

Quadraginta Concionibus, omne id, quod vel ad Cultum B. V. Mariæ, vel ad hominis Christiani animum, præclaris doctrinis exornandum, atque illustrandum spectat, complectens.

AVCTORE
F. ABRAAM BZOVIO
Ordinis Prædicatorum, S. Theol. Lectore.

His propter maiorem commoditatem, adiunctæ sunt præter alias duæ Tabulæ; altera pro Sanctorum totius anni festiuitatibus, altera pro Quadragesimali tempore, vsum Concionum demonstrans.



VENETIIS, Apud Minimam Societatem. 1598.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO D. CLEMENTI VIII. PONT. MAXIMO.

FRATER ABRAAM BZOVIVS

Polonus, S. Theologiæ Lector, Ord. Prædic. S.S.S.

NEMO vnquam Catholicorum, B. P. Comnemo Imperatori succensuit, quod is gloriosam de Achemenijs referens victoriam, sublimi & longe à veterum consuetudine, clarissimo triumphandi modo, suam in Cælites pietatem religionemque, illustrissimam effecerit. Is enim hostibus superatis, non vt superbientes olim Romulidæ, Trophæophoram instituit pompam. Non siquidem currus militaribus signis onustos deuexit; non auri, argenti, vel gemmarum inæstimabiles detulit opes; non imagines, non vasa cælata, non cætera insolentis lætitiæ Symbola departauit; non ipse auro vel muri-

ce illita veste fulgidus, miseranda captiuorum stipatus cāterua processit. Sed eburnea & illa aurata atque lapidibus pretiosis distincta, & quatuor candidissimis equis vecta quadriga, Sanctissimæ Deiparæ simulacro imposito, currum deducente maxima Illustrissimorum Imperij Principum multitudine, ipse lignea Cruce onustus pedes incedens, imaginem admirandæ Virginis, solenni applausu lætitiaq; omnium, per Vrbem circumduxit. Neque enim fas esse iudicabat, alteram in magnificum inuehere triumphum, præter illam, quæ pro religione suscepto prælio, & initium, & exitum concessit fœlicissimum. Nemo, vt reor, mihi quoque dabit vitio, si in totius Italiæ, de Tuæ B. augustissima Triumpho gestiente lætitia, Commemi religionem persequendam mihi fore decreui. Si etenim tua illa noua, non cruore sed tremenda pietate stagnantia Ferrariæ prælia euoluo, Sacratæ Virginis ope, pro sponsa Iesu Christi Ecclesia, suscepta, eiusdem potentissimæ Diuiparentis auxilio, admirando fine perfecta fuisse aduerto. Illa enim SS. Cælorum Regina, quam tu B.P. in Vrbe Romana, nos vero in celebri scientiarum altrice Bononia, supplici expostulauimus prece, fuit (nisi, prout non fallor) quæ insanos plurium motus compræssit. Illa immaculata Dei Mater, factiones ad Italiæ fundendum sanguinem conspirantes, atque conflatas dissipauit. Illa inimicitiarum fluctus turbulentissimos sedauit. Hæc pestem Italiæ fugauit, extinxit flammas succensas domestici ignis, totiusque Orbis exitium depulit. Hæc manus in multorum perniciem elatas cobibuit.

Hæc

Hæc gladios in iugulum plurimorum intentatos, in uomeres conuertit. *Hæc desideratam quidem, sed nunquam speratam Italiæ pacem contulit. Quod eam vniuersa Ecclesia ad Aedem ipsius Maiorem Romanam, & Bononia ad Barachani prodigio erectum ipsius sacellum, votis ardentissimis obsecrauit; & a Bononiensium fortunis sæuam tempestatem, & ab Ecclesia nefarios conatus, & ab Italia partim sanguinolentum, partim nefarium bellum auertit. Quę igitur tuis sanctissimis conatibus auspicio astitit, hæc vt coronidi assisteret, tibique Triumphanti victori, in curru ingenioli mei (Quaterdenis scilicet Concionibus) delata, occurreret; atque sublimi gratularetur trophæo, non indignum existimaui. Accessit & altera instituti mei ratio, quæ me pauidum, tuo Augustissimo stitit conspectui. nimirum, vt Sacrarium Diuinitatis, ex profanis nouorum Philistæorum manibus, mea contentione ereptum, tuo potentissimo committerem patrocinio. Conspexeram ego. B.P. non tam in Pathmos Insula, quam in nostro infælici Aquilone*, Septicipitem *Draconem, truculentas* in blasphemando Dei Tabernaculo *diduxisse fauces; atque ex virulento gutture*, non aquæ tantum *Stygiæ immensos gurgites, quibus illud obrueret vomuisse; sed & pestiferam linguam in ipsius maledicta vibrasse, & illam hæreson, in multas se fingentem formas* multiformem bestiam, *ab orco euocasse. Quæ vt uario & infido est ingenio, artibus instructa Sathanæ, atque mortifero Sacrorum odio correpta, quid non fecit? Quos non nefarios conatus intendit,*

Allusio ad visionem Apocalypsis.ca.12. & 13.

vt illam animatam viuentis Dei Archam, aurea gratiarum fulgore corruscantem; illud Spiritus S. Sacrarium, mira charismatum varietate exornatum, de sua veneranda Maiestate deijceret, & nulla non contumelia, scelestissimo ausu afficeret? Adeo teterrimo exarserunt furore Philistæi Mariomastygæ, in S. Salutiparam Mariam, vt non facilè illos hominum, sed Draconum, vel belluarum sæuientium, aut verius Dæmonum immaniter bacchantium nomenclatura appellarim. Nihil intentatum reliquerunt Sathanæ ministri, quod ad Sanctissimæ Diuiparentis dignitatem conuellendam, atque omni ex parte violandam facere videbatur. Nulla est uitæ ipsius pars, nihil vel à natura, vel à Cælestibus, uel ab amplissimo gratiarum largitore Deo, Mariæ concessum, quod impia hæc Aduersariorum caterua non vellicarit, summisque non affecerit probris. Si Genealogiam ipsius perspicias: illam noui Faustiniani, ab Illustrissima stirpe Iessea secernunt. Si ortus initia: Caluinus, puellam obscuro loco natam, contemptam & ignobilem facit. Si nomenclaturam Cælitus delatam: Stregelius, miseram & omnibus subiectam ærumnis comminiscitur. Si præclaras animi dotes: Lambertus, malesuadam, Dei mysteriorum ignaram, subdubitantem, quin & perfidam, & cuiuis flagitio obnoxiam fuisse autumat. Si gratiarum splendorem: Illam non charismatibus Diuinis repletam quod Archangelus, sed gratiosam & bellulam quod Lutherus; non inter mulieres benedictam, vt Paranymphus, sed propter scelus infandam & maledictam

vt Cor-

vt Coruinus; non innubam Virginem, non Dei *praecelsam Matrem, non DEAM Diuinis muneribus supra omnium creatorum sortem elatam, vt Prophetæ, Patriarchæ, & Sanctissimi Patres, cum vniuersa fidelium cœtu; sed fœminam salacem, vix infimæ fæcis mulierculis, vt cætera impudentissimorum phalanx nunciauit, aggregandam esse decreuerunt. Si denique quippiam aliud in* Cælica *Virgine consideres: omnia infando ore, furijs infernalibus perciti Philistæi prosciderunt. Et quidem castissimæ illius vitæ decursum, alij non immaculatum, neque illibata consecratum virginitate, sed multis obscurum næuis, alij superbia inflatum animum, alij ambitione vexatam mentem; cæteri, illam Saluatoris officium vsurpasse, nonnulli, in salutis ministerium præsumptuosa cupidine inuolasse, plerique, cadentibus Ecclesiæ columnis corruisse; alij, ex Iosephi thoro plures sustulisse filios, & Diuinum cubile intactum, sacrilego polluisse semine commenti sunt. Nec tantum vitæ ipsius limitibus, eorum impietas conclusa est, ad usque mortuam funestas protenderunt manus. Sacratissimam enim Mariæ animam, tenebriones Anabaptistæ in Cymerias caligines; corpus uerò illud, quod fuerat Dei uiuentis tabernaculum, in sepulchrum Iosaphat; ipsam autem Mariam, supra choros Seraphinorum in perenni cœlorum domicilio, a dextris Dei exaltatam, non ad filij sed (ò infandam linguam, ò uoces funestas) ad Glaucoplutonis, ut olim* Philistæi Archam legis ad Dagonis dexteram, *nescio in quam lapideam retrahunt ædem. Quid uero*

illius

illius erga nos affectum? Neque nostram esse Mediatricem, neque Orbis vniuersi Aduocatam, nec Reginam Cælorum munificam. quamobrem nec mortalium actus intueri, nec illorum agere curam. quocirca nec salutandam, nec inuocandam, neque summis attollendam honoribus. proptere a & cultores ipsius, idololatras esse execrandos. ideoque homines sacrilegos, sacrilegi & phanatici insano ore denunciarunt. Et quis recenseret alia? aut quis enumerari sustineret nefanda commenta? Quis vero scelestissimas illorum fauces, non obturandas esse iudicaret? non cohiberet vesanum furorem? contra flagitiosos conatus non se opponeret? honorem Deiparæ, cui vniuersus Orbis poplites inflectit, non tueretur? Illam quæ Chrysostomo est, Magnum mundi miraculum, primum & maximum Dei opus, quæ sola Cælum & terram amplitudine superauit; quà non sanctiores Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, non denique una hac, aut maius, aut excellentius, uel inueniri vel excogitari potest. hanc igitur talem & tantam, quis hæreticorum furentibus non subduceret ausibus? Disperéam ego (ita mihi suadebam) nisi meas quoque, quales quales vires ad reprimendum insanum furorem, adque Sanctissimæ Virginis honorem, cultum, & splendorem tuendum, conuerterem. Quapropter Bononiæ inter scholasticas contemplationes, non ulla ratione vel ingenij præcocis, uel ætatis præmaturæ (nondum enim octauam supra vigesimum excesseram annum) uel

immensi laboris potui cohiberi, quin manus cum atrocissimis Sacrosanctæ Virginis Deiparæ hostibus consererem, vt illud Tabernaculum Diuinæ gloriæ, ab impijs eorũ cancellis eriperem, & suo candori Illustrissimo in Ecclesiam Christi restituerem. An meo satisfecerim officio, & pusio imbellis, siue septicipitem Draconem, siue Gorgoneum monstrum, siue immanem Goliam confecerim? Aliorum esto iudicium. Hanc igitur Animatam Dei Arcbam, à sacrilegis ereptam, in hac quadriga ingenij mei, non quidem illa ornata & splendida, sed inconcinna ego defero. At in cuius amplissima æde, tali dignas Virgine, Virginem introducerem? vel in cuius subsellijs ipsam collocarem? Tu solus B. P. præ cæteris à me delectus es, quem huius præcelsi Sanctuarij hospitem reputaui digniorem. Tuum siquidem animum Diuinis adornatum munerib. Diuinorum Numinum lararium esse aspexi. Pietatem religionemque in Sanctissimam Virginem desiderabam? At in te, illæ sunt eximiæ. Amorem aduersus Cælestes omnes? Is in te est flagrantissimus. Diuinarum rerum studium? Illud in te est ardentissimum. Cultus Sanctorum promouendi, & ab iniuria vindicandi desiderium? Illud in te summo Antistite est permaximum & potentissimum. Testis est tua Polonia, quę postquã te olim fælicissimam apud Sigismundum III. Regem legationem obeuntem, inflammata religione succensum contuita fuerat, tuo exemplo ad meliorem frugem redire cępit. Testis Augustissima illa Sanctissimæ Trinitatis à te prę cæteris olim dilecta Aedes, quæ te lachrymas fun

dentem

dentem & Sacra quotidie ad S. HYACINTHI aram pro religione, in Aquilone uel innouanda uel cõseruanda, pro SS. Virginis honore amplificando, pro funestis hæreticis ab uniuerso Septentrione depellendis facientem aspexit. Testis uniuersa Ecclesia, quæ te ob insignes animi dotes, et propter illa fulgentissima virtutum sydera, *Pontificem, nemini veterum secundum, Religionis firmissimum columen, Ecclesiasticæ pietatis & candoris studiosissimum defensorem, Pastoribus propositum exemplar ad imitandum, suspicit & veneratur. Testes amplissimæ terræ uastissimi limites, quos insignis tua clementia, humanitas, deuotio, zelusq; Diuini honoris propagandi, spectatissima vitæ tuæ sanctissima integritas, non secus* ac Cœlestium syderum splendidissima lux *clarissime collustrauit. Testes Aduersariorum primores, quibus te pro sacrorum cultu, pro religione Catholica innouanda & retinenda, pro Diuæ parentis dignitate ueneranda, inuictum opposuisti; & sæpe sæpius intentatæ funestæ cladis, flagitiosas eorum manus, et ab Ecclesia, & a sacratis imaginibus, & a reliquis salutis nostræ sanctissimis secretis, tuo studio & vigilantia retraxisti, atque caput septicipitis Draconis conterens,* super aspidem & trucem Basiliscum ambulasti. *Hæc & alia, quæ si me percensere posse putem, fallar prorsus atque errem, te Sacrarij huius Diuini, aspectu & complexu dignum efficiunt. Te igitur, pro mea quidem tenuitate submissius, pro tua Maiestate verecundius, pro amore quem Sanctissimæ Virgini debeo omni studio, pro beneficio per eam à te recepto diligentius*

gentius, pro magnitudine periculi, in quo mea propter virulentas in blasphemias Mariæ vibratas linguas, versatur Patria, vehementer etiam atque etiam contendo, vt illam obuijs vlnis in tuum suscipias patrocinium, eamque ab omni effrenato hostium impetu defenda'. Vides quib. maledictis proscisa sit à Nouis Philisteis Lutheranis, Caluinianis, alijsque eius sectæ hominibus; contueris nefandos illorum conatus, in violandum Virginis cultum, ab Angelo introductum, a sanctissimis uiris receptum, ab Ecclesiæ vsu obseruatum, a Deo eius filio comprobatum, ab istis autem Nouatoribus temeratum & abrogatum; refrena vesanum illorum furorem, reprime ferocium intolerabilem audaciam, conatus nefarios retunde. Consilij magnitudine fraudes & astus illorũ detegere, et omnia coniecta tela contemnere; Amplitudine potentiæ vim istorum comprimere, et paucas eorũ acies perrumpere; SPLENDORE tuarũ STELLARVM inadspectabilium, illorum cæcas mentes illustrare; Tua illa AVREA REGVLA, omne quod extortum est adæquare; SIGNIFERI COELESTIS EXCELSA virtute superare, deque illis gloriosissimè triumphare potes. Ne patiare oro, Matrem hanc Maximam, quam Christus Deus, eius & Dei filius omnibus prætulit, & præ omnibus, omni honore dignatus est, spurcissima & nefanda istorum lingua, in mea Patria profanari. Viue. vale diu fælix. Venetijs ex nostro S. Dominici Conuentu. Anno Dominici Partus. 1598. 14. Kalendas Iunij.

Allusio ad insignia Sum. Pon.

CANO-

IN illis partibus in quibus nulla est consuetudo Concionandi contra hæreticos, illas Concionum partes, quæ Controuersiā attingūt, resecabit Concionator; vel nulla mētione dogmatis facta, vel ad eū modū facta, quemadmodū, Cornelius Mussus sæpe sæpius vtitur. scilicet addendo post doctrinæ conclusionem. Procul hinc nefanda hæreticorum commenta, procul impiorum vesani errores, &c. Poterunt tum demum adiungi argumenta, in formam conditionalem ad impossibile ducente retracta: qualia sunt hic innumera. Quomodo Paulus vsus fuerat, dicens. Si Christus nō resurrexit, inanis est fides nostra, inanis & prædicatio nostra, ergo qui baptizantur pro mortuis &c. Sic & in propositis, de Sanctissima Virgine materijs, prudentis Cōcionatoris munus erit, diuersa prout videbitur vti forma argumentandi. Si non propter confundendos (qui nulli sunt in aliquibus Prouincijs) hæreticos, saltem propter informandos atque conseruandos Catholicos.

Canon. 2. Quod si authoritatum frequentior (quas quidem necesse habui propter hæreticorum calumniam reprimendam, licet stylum maximopere mutarent, adducere) citatio, nausæam tibi pariet, doctrina sola Patrum, citationibus reiectis, vti poteris.

Canon. 3. In illis partibus, in quibus consuetudo vt plurimum est, concionandi Allegorias, quarum in præsenti opere, infinitus est numerus. Vbi aduerterit Concionator allegoriam, motiuo aliquo vel per allusionem, vel per metaphoricam locutionem, uel per similitudinem, duobus vel tribus verbis illatam, quod sæpe obueniet. recurret ad proprium scripturæ (ex qua traxit originem allegoria) locum. & integra historia vel sententia accepta, pro explicatione prætacta, latius discutiet.

TABVLA INDICANS VSVM HARVM CONCIONVM,

Pro festiuitatibus Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum.

S. Andreas Apostolus. At illi relictis retibus secuti sunt &c. *Matth. 4. Tractabis de sequela & imitatione Sanctorum. An sit licita nec ne? Ad quam propositionem discutiendam, seruiet tibi Concio. 12. vbi quidem de Imitatione virginis Mariæ agitur: tamen ex inde multam congeres materiam, de imitandis Sanctis, An & quomodo sunt imitandi.*

S. Nicolaus. Expectantibus Dominum suum, quando reuertatur &c. *Lucæ 12. Tractabis de exilio humano, quam graue & iustum sit, & quid in eo agendum. ex Concione 21. Motus ex verbis prædictis, quod hic in mundo non tanquam in domo filij cum Patre, uel cum Domino serui; sed tanquam in exilio calamitoso vagamur, & Dominum expectamus.*

Sanctificatio B. M. V. Concio. 12. 23. 40.

S. Lucia. Date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ. Matth. 25. *Quid est quod Deus has repulit virgines? neq; dedit illis modum & commoditatem adeundi vendentes, vt coemerent sibi oleum ad suas lampades concinandas? Resolues. ex Concione 9. Ibidem proprietates olei pulchre explicatas reperies.*

S. Thomas. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. *Ioan. 20. Tractabis de veritate carnis assumptæ a Christo. ex Concione 7. Secundo quod Christus est speculum in quo nostram dignitatem & vilitatem videre atque considerare debemus. Huic proposito seruit Concionis 22. doctrina & allegoriæ.*

Natiuitas Christi. Concio Septima & Octaua integræ.

S. Stephanus. Plenus gratia & fortitudine faciebat signa & prodigia. Act. 6. *De diuersis gradibus plenitudinis gratiæ. De nominibus & dignitate gratiæ: ex Concione 5. Secundo de operatione miraculorum: An & quomodo conueniat Sanctis.*

bræ illuminatæ sunt, per lumen gratiæ & prædicatorum. ex Concione 9. post medium. Oleum luminis est condimentum.

S. Laurentius. Animæ vero suę detrimentum patiatur. *vel* Qui amat animam suam. *Ioan. 12. De nobilitate animæ: Concione 22.*

Assumptio B. V. M. Concio. 6. & 39.

S. Hyacinthus. Infirmos curate, mortuos suscitate. *Matth. 10. De operatione miraculorum a Sanctis, ex Concione 20. Secundo de Inuocatione Sanctorum, An & quomodo sunt inuocandi ex Concione 19.*

S. Bartholomeus. In illis diebus, exijt in montem orare. *Luc. 6. De necessitate & vtilitate orationis Concio. 17.*

Natiuitas B. M. V. Concio. 3. & 34.

S. Matthaeus Euangelista. Sedentem in theloneo, Mattheum nomine *Matth. 9. Diuitiarum mala quænam sint? vide. Conc. 18. Dei & Saluatoris nostri misericordia, qualis? Conc. 9.*

S. Michael. Angeli eorum vident in Cęlis faciem Patris mei *Mat. 18. De Angelorum prestantia. Concione 5. nobilitate & pulchritudine Concione 6. Circa nos amore & præsentia. Concione 2. vide circa medi.*

Rosarium B. V. M. Concio 2. 15. 19.

S. Simonis & Iudę. Hoc est præceptum meum vt diligatis. *Ioan. 15. De charitate operosa. Concione 10. circa medium.*

Omnes Sancti. Concio. 33. & 39. & nonnulla in Conc. 6. de Beatitudine Sanctorum.

Mortui. Sicut Pater habet vitam in semetipso sic & filio. *Ioan. 6. c. De igne purgatorio. Concione 27. in principio. De causa resurrectionis. Conc. 11. circa medium.*

S. Martinus. Sint lumbi vestri. *Luc. 12. De spe in Deum. Concione. 15. super illa verba: Expectantibus Dominum suum. De delicijs beatorum. Concione 13. in principio. super illud Pracinget se &c.*

Præsentatio B. M. V. Concio. 1. 20. & 29.

S. Catherina martyr. De nobilitate Virginum. Concione 34. Non longe a Principio.

TABVLA INDICANS VSVM HARVM CONCIONVM.

Pro tempore Quadragesimali.

Feria 4. *Cinerum*. Conuertimini ad me in toto corde vestro. *Ioel.* 2. *Videbis Concionem*. 27. *de Pænitentia & conuersione*.
Feria 5. Domine non sum dignus. *Math*. 8. *Videbis Indicem*. *de Humilitate & superbia*: *quod Humilibus dat gratiam Deus*. *quod superbis resistit*. *quæ Superbiæ mala & vanitas*.
Feria 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum. *Mat.* 5. *Hæc verba fusissime tractantur*. *Concione* 25.
Diebus Sabbathis, prædicabis de B. Virgine super Salutationem Angelicam Aue Maria
Sabbatho. *Super Aue*. *Concio*. 2.
Dominica 1. *Quadra*. Ductus est Iesus in desertum à spiritu *Math.* 4. *De belli spiritualis atrocitate*. *Concione* 28.
Feria. 2. Esuriui & dedistis mihi manducare *Math*. 25. *Vide Indicem verbo*. *Misericordia*, *quid sit?* & *quod eam a nobis exigit Deus*. *Similiter vide*. *Facinus horrendum est despicere pauperem*. *Similiter*. *Eleemosyna*.
Feria 3. Quis est hic? *Matth*. 25. *vide Indicem*. *Christi nomina*. & *Christus Angelis prælatus*. *Christus Deus & homo*. *Christus ex Tribu Leui & Dauid*.
Feria 4. Ecce mater tua & fratres tui. *Math*. 12. *An Christus habuit fratres carnales? Vide Concione* 37. *hæc verba explicata*.
Feria 5. Et nemini seruiuimus vnquam. *Ioan*. 8. *Vide indicem*. *Soli Deo seruiendum*. & *Viuere peccato insania*.
Feria 6. Quinq. porticus habés, in his iacebat multitudo languentium *Ioan*. 5. *Consule Concionem* 11. *vbi explicatur Puteus Iacobi Patriarchæ*.
Sabbatho. *Super*. *Maria*. *Concio*. 38.
Dominica 2. *Quadragesimæ secundum Curiam Romanam*. Bonum

est nos

est nos hic esse *Math.* 17. *vide Concio:* 33. *vbi agitur de Beatitudine; & quod non est in hoc mundo; & vbi est?*

Secundum vsum Ordinis Prædicatorum. Et ecce mulier de finibus illis egressa. *Matth.* 15. *De oratione. Concio.* 17.

Feria 2. Moriemini in peccato vestro. *Ioan.* 8. *Vide indicē. Mors animæ vnde? & vita animæ vnde?*

Feria 3. Amant primos recubitus in cœnis. *Math.* 23. *vide indicem. Ambitiosorum mores & dolores. Deinde super illud. Nolite vocari Rabbi. Concio* 16. *Quomodo sanctis Diuina conueniunt epitheta.*

Feria 4. Dic vt sedeant hi duo filij mei. *Matth.* 20. *De oratione, quid & quomodo petendum. Concio.* 18.

Feria 5. Epulabatur quotidie splendide. *Lucæ.* 16. *Vide indicem. Auaritiæ mala & pericula. Auarorum miseriæ. Auari & animam & mundum perdunt. Diuitiarum mala quæ? Pauper opulentior imperatore, & sequentia de paupert.*

Feria 6. Hic est hæres, venite occidamus eum. *Matth.* 21. *Vide Concionem* 21. *circa principium. &c.*

Sabbatho. Super Gratia plena. Concio 5.

Dominica 3. *Quadragesimæ* In Belzebub principe Dæmoniorum eijcit. *Luc.* 11. *Vide indicem. Satanas Satanā non eijcit. & multa alia circa eandē materiā, in eadem Conc. de miraculis.*

Feria 2. Missus est Elias, nisi ad mulierem viduam in Sarepta. *Luc.* 4. *Vide Concionem nonam, circa principium.*

Feria 3. Peccabit in me frater meus, & dimittam ei. *Matth.* 22. *Vide indicem. Vindicta inimicorum non imploranda. & Dimittendum proximis.*

Feria 4. Populus hic labijs me honorat. *Math.* 15. *Expositionem horum verborum vide Concione* 25. *post medium. Circa illa verba. Quæ de corde exeunt, illa coinquinant hominem. Quomodo Originale peccatum coinquinat hominem, cum ex corde non procedat. Vide Concione* 23. *Partem illam vbi dicitur. Adamo peccante in Adam peccauimus. &c.*

Feria 5. Cœperunt in grabbathis eos qui se male habeant. *Marc.* 6. *Vide.* 1. *Quæ miseriæ corporis ex peccato. Concione* 24. *post principium. Vide* 2. *ibidem post medium. Mala animæ grauiora quam corporis. & subsequentia. & indicem. Hominum stupor & crudelitas in animam.*

Feria

piscentia, vide indicem Carnalis voluptatis lues. & sequentia, & Concio. 26.

Feria 6. Expedit vt vnus homo moriatur pro populo. *Ioan. 11. De Christo Saluatore mundum. Concione. 36.*

Sabbatho. Super Benedicta tu in mulieribus. Concio vel. 4. vel. 40.

Dominica Palmarum. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. *Vide indicem. Christus Rex carnis nostræ trabea coronatus. Vide deinde Concionem. 3. De Christi genealogia regali. Vbi prophetiam Iacobi explicatam, conuenientem huic Euangelio reperies.*

Feria 4. De præparatione ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Concione 4. in principio.

Feria 5. in Cœna Domini. Concio Quatuordecima.

Plures deinde materias suppeditabit tibi index harum Concionum, atque ipsarum Concionum diligens & attenta lectio, vt experientia teste videbis.

TABV-

TABVLA LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE.

Quæ in hoc opere fusius explicantur.

24. Non

16. Paucam

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Quæ in hoc opere continentur:

A

Allego-

Fidei.

B

F

G

H

I.

mor-

Ornatus

Ven-

IL FINIS.

Facultas à Superioribus concessa prælo committendi has Conciones.

NOS F. PAVLVS ISARESIVS Mirandulanus, Sacræ Theologiæ professor, & in Romana Curia totius Ordinis Prædicatorū Procurator, ac Reuerendissimi Magistri Generalis Vicarius &c.

Cum ex literis tuis acceperimus, te R. P. F. ABRAAM BZOVIVM Polonum, nonnulla scripta in Canticum SALVE REGINA ad publicam vtilitatem prælo committenda in promptu habere; ac ideo super hoc facultatem tibi a nobis concedi, humiliter petis. Quibus quidem votis, ad Dei gloriam ac proximorum eruditionem annuere volentes, præsentium serie, nostri Authoritate Officij dictam licentiam tibi damus & concedimus, quantum in nobis est: seruatis tamen omnibus & singulis seruandis, tam iuxta Sacri Concilij Tridentini sanctiones, quam Indicis, iussu Sanctissimi D. N. Papæ Clementis VIII. nuper editi regulas, ac etiam iuxta nostrarum legum series. In quorum fidem, his nostro sigillo munitis, manu propria subscripsimus. Datum Romæ in nostro Conuentu, Sanctæ Mariæ super Mineruam, die 6. Martij 1597.

Frater Paulus qui supra manu propria.

Approbatio libri a S. Officio, facta per A. R. P. F. Heliseum Capys, S.Theo. Magistrum, & olim in S. Concilio Tridentino Theologum doctissimum.

THESAVRVM laudum Sanctissimæ Deiparæ super Canticum SALVE REGINA, à R. P. F. Abraam Bzouio Ordinis Prædicatorum compositum, ob eximiam ipsius eruditionem & DIVINI THESAVRI INÆSTIMABILEM ELEGANTIAM, ego F. Heliseus Capys Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum, ex commissione Admodum Reuerend. PP. Procuratoris Ordinis & Inquisitoris Venetiarum, summa animi mei voluptate legi, & dignum vt ad B. Virginis gloriam, necnon Hæreticorum confusionem prælo daretur iudicaui. Tantum abest vt quippiam contra Catholicam doctrinam, bonos mores, pacem Principum in eo inuenerim. Venetijs in Conuentu Sancti Dominici die sexta Maij. Anno Domini. 1597.

Ita est. Ego F. Heliseus, qui sup. legi & approbaui manu propria.

Fr. Vinc. Arrigonius Inquisitor Generalis Venetiarum.

NOs Capita Illustrissimi Consilij X. Hauuta fede dalli Signori Reformatori del studio di Padoa, per relation delli tre à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitore e del Eccel. Secretario del Senato Lorenzo Massa, & di D. Fabio Paulini Dottor Lettor publico. che nel libro intitolato, Thesaurus laudum Beatissimæ Virginis super canticum Salue Regina, del Padre F. Abraamo Bzouio dell'Ordine de Padri Predicatori non vi è cosa contra le leggi, & è degno di stampa. concedono licentia che possi esser stampato in questa Città.

Dat. Die 16. Decembris 1597.

D. Giacomo Moresini
D. Benetto Moro
D. Antonio di Priuli
} Capita Illustriss. Cons. X.

Illustriss. Cons. X. Secretarius
Leonardus Otthobonus.

1597. a 23. Decemb. Registrato in libro.

Antonius Laured. officij
Con. Blasph. Coadiutor.